28,888/B

A.x.02

Hippocrates III

55450

HIPPOCRATIS APHORISMI,

AD MENTEM IPSIUS,

ARTIS USUM,

& corporis *Mechaniſmi* rationem

EXPOSITI.

AUCTORE

JOANNE HECQUET.

A PARISIANA EDITIONE

EDITIO PRIMA.

Expenſis Joſephi Ponzelli.

NEAPOLI cIↃIↃCCXXXI.

Apud FELICEM MUSCAM

Superiorum Permiſſu.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆCLARISSIMO VIRO

D. JOACHIMO CASTALDO

In hac Neapolitana Universitate Medicinæ Professori Celeberrimo

JOSEPH PONZELLUS S. D.

Cùm tanta ac tam magna tua in me sint, Vir Præclarissime, beneficia, quibus summum tuum in me amorem apertissimè cognovi, ut iis sæpe sæpius memoria repetitis plurimum præ cæteris me tibi debere profitear; quapropter cum jamdiù cogitarem, qui valerem tantis tuis in me meritis, non dicam officiis satisfacere, sed qui quodammodo grati animi benevolentiam tibi saltem declarare; post tandem aliquando multam mei animi, vel cogitationis volutationem, nullum aliud mihi magis conveniens, tuaque gravitate dignum inveni, quam doctissimum Aphoristicæ Medicinæ Commentarium Joannis Hecquetii, in quo solidè & luculenter Hippocratis Aphorismi mechanico in plurimis ratiocinio enucleantur, quod propterea meæ in te benevolentiæ argumentum tibi offero. Et meritò, etenim cuinam tale opus nuncupandum erat, nisi tibi, qui in florentissimo nostro lyceo publicis tuis prælectionibus magna auditorum juvenumque discentium affluentia celebratis in Aphorismorum Hippocratis interpretatione selectissimos inter Authores Hecquetium quoque cum laude frequenter recensueris; Et modo in medica praxi publicè docenda adeò ingenio, & opera solidè

præcellis, ut te virum præstantissimum, ac in rebus medicis exercitatissimum Sapientes omnes salutent, quoniam quidquid præstantius, ac utilius ars medica complectitur tam ex Veterum, quàm recentiorum penu erutum, sive authoritate, & ratione, sive experimentis, & observationibus suffultum tua mente foveri, ac pectore recondi cuncti æquo judicio pollentes palam fatentur. Et jure quidem meritò, etenim transactis laboribus, ac simul ingenii felicitate Anatomen, Botanicen, Chymiam, ac præprimis Mathesin, Astronomiam, Mechanicen, aliasque artes, ac Scientias, quæ medicæ disciplinæ, vel fundamina, vel ornamenta Sapientium voto censentur, tibi contubernales fecisti; quare doctrina omnis generis tantopere inclaruisti, ut salebrosa quæque, & in rebus philosophicis, ac medicis abstrusa, nedum te non latent, sed familiaribus tuis, ac perspicuis ratiociniis prorsus explorata, & obvia fiunt; Atque quod magis interest natura, ac ingenium tuum ad eas serias, solidasque speculationes te determinavit, quæ magni sanè momenti ex praxi medica nascuntur, & ad Praxim frugiferè collineant; id quod maximam procul dubio apud omnes Cives, honestosque viros tibi famam, & existimationem conciliavit, idque uberiori plausu undique decus peperit, auxitque, quandoquidem in hac inclyta Neapolitana Regiorum Studiorum Universitate ad tot tantosque Artis Apollineæ studiosos juvenes erudiendos, quid tua opera, & industria olim valuerit, quid modo valeat aperte satis ostendisti; mira namque mentis solertia, perspicua scribendi claritate, magna eloquentia, digesta venustaque dicendi methodo, & præsertim insigni humanitate, ac morum suavitate effeciſti, ut nedum in ejusdem Artis adita, intimosque recessus te Duce, & auspice perducerentur, sed in medicos profectò omnibus numeris absolutos, excultosque plerique evaderent, & Medicinam accuratè tam in hac Civitate factitantes, & longè latèque in hoc Regno ejusque Provinciis, quam etiam in exteris remotisque regionibus exercentes te velut clarissimum Præceptorem unicè suspiciunt, ac venerantur. Hecquetii itaque breve commentarium nullis sive veterum, sive recentiorum prolixis interpretationibus postponendum, quo concinnè solidorum sistema enitescit, & Hippocratica brevitate obscura Aphorismorum doctrina magno

gnò ingenii molimine juxta Mechanicæ normam appositè exponitur, tibi procul dubio gratissimum fore confido; quando hac nostra ætate Medicinam totam tam Theoreticam, quam practicam, ut recte nosti, ad Mechanismum redigi, vel jam redactam esse, Doctiores quique sibi jucundè plaudunt, & blandiuntur. Atque in hoc Hecquetii opere plurima sanè asseruntur effata BORELLI, BELLINI, BOHERHAVE, PITCARNII, STROM, FREINDII, MOOR, BERGERI, STHAL, BAGLIVI aliorumque, quorum ipsemet Hecquetius meminit in suo eleganti Tractatu de Purganda Medicina à Curarum Sordibus, eaque inquam effata, eorundem auctorum nomine vix commemorato, tamquam postulata, lemmata, & apodictica ratiocinia ad Aphoristicas Hippocratis sententias juxta solidorum systema, ac Automatismum ingeniosè explanandas passim interseruntur, sed hæc tibi in his omnibus apprimè versatissimo, ulteriùs innuere desisto. Opus ergo solertissimum tibi præclarissimo Viro offero, ac dedico, in quo munere meam animi sinceritatem, meamque erga te voluntatem agnosce, & mihi crede nihil prorsus ad hoc me impulisse, quam nimiam cupiditatem observantiæ meæ argumenta tibi manifestandi; Accipe igitur præclarissime Vir benigno animo hoc Munusculum, velisque me inter tuos annumerare, quod tamen non aliunde oriri existimes velim, quam ex illo honore, & obsequio, quibus merito, & ex animo, te semper sum prosequutus; Deus Opt. Max. te domumque tuam incolumem semper servet. Vale. Neapoli ex ædibus nostris Idibus Junii cIↃIↃccxxxi.

AD

AD LECTOREM.

EN tibi, Lector, iterum typis mandatum doctissimum opus Clarissimi Joannis Hecquet, in quo traduntur prima artis medicæ elementa, doctrina nempe de Hippocraticis Aphorismis, fortasse magis purgatum, magisque emendatum superioribus editionibus; si res ex voto successit, æquo & benigno animo accipito meum consilium, laboremque meum laudato: si gratum te novero non prætermittam tuæ humanitati respondere, typico prælo iterum mandandis libris non modo aliorum doctiorum virorum, sed reliquis etiam hujusce nostri Auctoris, e quibus tua mens sapientiam hauriendo, in dies proficiet. Valeto.

REIM-

REIMPRIMATUR. Neapoli die 8. Augusti 1730.

D. Antonius Canonicus Castelli Vicarius Generalis.

D. Petrus Marcus Giptius Canonicus Deputatus.

Ma-

Magnificus A. M. D. D. Nicolaus Cyrillo videat, & in ſcriptis referat.

MAZZACCARA REG. ULLOA REG. GIOVENE REG.
PISACANE REG. VENTURA REG. CASTELLI REG.
PEYRI REG.

Proviſum per S. E. Neap. 3. Julii 1731.

Maſtellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE

JUſſu Exc. Tuæ legi *Hippocratis Aphoriſmos novis Commentariis à Cl. Hecqueto* illuſtratos, quoſque ad mechanicam amuſſim pro viribus exigere conatus eſt μηχανητικώτατος Paraphraſtes. Quumque in eo Opere nil Principis juribus, Reiquepublicæ commodis adverſum repererim; *Felici Muſcæ* Typographo permitti poſſe reor, ut illud novis Typis in lucem emittere queat. Hac enim ratione antiquiſſima, eaque ſolidiſſima Medicinæ Practicæ fundamenta, à tot tam diverſarum haereſeωn Interpretibus continenter in vulgus edita, & Philiatrorum eruditioni, & generis humani ſalubritati conſulere magis ac magis poterunt: quinetiam exinde manifeſtum erit, veritate nil antiquius, nec magis omnibus etiam inter ſe pugnantibus hominum hypotheſibus accommodabile. Neapoli 4. Julii 1731.

Addictiſs. & Obſequentiſs. Famulus
Nicolaus Cyrillus Prof. Reg.

Viſa ſupradicta relatione imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA REG. ULLOA REG. GIOVENE REG.
PISACANE REG. VENTURA REG. CASTELLI REG.
PEYRI REG.

Proviſum per S. E. Neap. 30. *Julii* 1731.

Maſtellonus.

PRO-

PROLOQUIUM.

AD Medicinam factum iter, apertamque esse medendi viam jam pridem pronuntiatum est ; (a) *Medicina enim jam ab antiquo exiſtit, & principium & via inventa, per quam inventa & multa & probè habentia comperta ſunt, per multum adeò tempus, & reliqua deinceps invenientur, ſi quis idoneus ſit, & jam inventorum gnarus, ex his ad perquirendum procedat.*

His verbis inventam medendi rationem monſtrat non tantùm *Hippocrates*, at eâ quâ valebat mentis acie, uberateque judicii, prælibat artis perficiendæ modum. Hic ipſi erat ab inventis ad invenienda procedere, quo ſpreto curtum & infelicem futurum neceſſe erat Medicinæ progreſſum. *Sapientiæ* enim agnata primùm Medicina, pondere rerum aut gravitate capiebatur, aliunde quàm à naturâ doceri temnens, erubeſcenſvè erudiri, cujus unicè amando mores unas illius leges venerabatur, in quibus cognoſcendis, detegendiſque cùm totus erat *Hippocrates*, inventa dicit quæ ex illis ducere noverat imitamina, hæcque ſunt quæ tenenda poſteris jubet, & ex quibus ad *perquirendum procedere* vult medicum, ut quæ invenienda ſuperſunt deinceps inveniat.

Hunc ut adjuvaret Medicinæ perficiendæ modum, nevè poſteris aliquid periret eorum, quæ inter medendum obſervando comperiebat, ſcribendo reſervavit, unde hoc ipſum quod ſapientibus conſuetum & familiare eſt, præſtitiſſe *Hippocratem* teſtabuntur *Aphoriſmi* ; nimirùm ut in chartam illi conjicere ſolent conceptus omnes aut cogitatus de veritate illâ quàm inquirendo amant meditari ; non abſimili conſilio, quæ ſcrutando naturam, quæ opera illius meditando, quæ imitando retexerit *Hippocrates* hæc ut ab ipsâ quam auſcultabat, naturâ excipiebat, pugillaribus mandaverit, ex quibus poſtmodùm excerpta, in hos quos habemus *Aphoriſmos* emerſerint ; quare non ineptè magis *cogitationes Hippocratis*, quàm *Aphoriſmos* nuncupare licitum videbitur : quin imò *adverſaria*, ſi lubet, dixeris, in quibus excerpta naturæ deſcribi curaverit *Hippocrates*, evaſura poſthàc in origines & primordia voluminum, quæ *Hippocratis* nomine circumferuntur ; enimverò ſive ipſius

a ma-

(a) *Hippocr.* de veter. med. art. III. v. 8.

manu exarata fuerint, sive filiorum illius aut coævorum operâ fuerint promulgata, perinde *Hippocratis* nomen sustinebunt, quandoquidem in horum seminia aut venerint ipsissima *Hippocratis adversaria*, observationes & principia.

Neque cœcam aut temerariam hanc invenies conjecturam, si benè memor quàm sæpè in *Hippocratis* libris aut integros *Aphorismos* repetitos legis, pluries autem adhuc *Aphorismorum* verba aut sensa, unde fit argumentum in promptuarium venisse *Hippocratis collectanea* iis qui isthæc conflarunt volumina, quæ ex illis *collectaneis* coaluerint; unde nuclei loco fuerint *adversaria*, loco fructûs volumina quæ hic vel ille congesserit.

Inde quoque intelliges qui contingere potuerit, ut inter *Aphorismos* quosdam invenias crudos adhuc, inemendatos nempè, ii sunt quos quidem in pugillares *Hippocratis* relatos invenerint, & ab eo adoptatos aliquatenùs, sed ab ipso *Hippocrate*, si per otia & vitam licuisset, recudendos; hos interea reservari dignos judicarunt, in illis boni quid aut laudabile subesse suspicati, quippè quos dedignatus non erat *Hippocrates*.

Similiter rationes habes *disparatorum* quorumdam *physices* aut doctrinæ, quæ hîc illîc occurrunt in *Aphorismorum* libris, quæ *Hippocratis* sapientiam sapiunt minùs, in quibus vides rudia philosophiæ tritæ tunc specimina, quibus cum philosophorum ætatis suæ vulgo fidem ad tempus commodaverat, donec aut inveniret meliora, aut isthæc recoqueret in melius; interim incondita illa ut acceperat in *adversariis* illius reperta, *Aphorismis* annumeraverunt; deceptioni ansâ factâ brevi & *Aphoristicâ* dictione, quæ cùm *adversaria* scribentibus consueta sit, ab *Hippocrate* fuerit usurpata; sicque memoriæ causâ quæ breves *Hippocrati* erant adnotationes, has *Aphorismorum* titulo evulgarunt, tamque bello nomine luserunt posterorum fidem.

Posthàc animadvertis, quæ se promit in *Hippocratis* libris styli varietatis rationem, dum ipsum *Hippocratis* reddunt sensum, ex hoc enim uno concludito, alteriùs quàm *Hippocratis* manu conflatum fuisse ejusmodi librum, cui ut fidem faceret (quilibet fuerit) illius author, ex *adversariis Hippocratis* sententias erit mutuatus; quo dato utut *Hippocratis* genuinus non sit ille liber, genuinam exhibere poterit & exprimere *Hippocratis* mentem.

Sub hoc conceptu *Hippocratis Aphorismorum* liber veterum medicinæ traditionis codex erit, medicinalium nempè traditionum codicilli; ductoque hinc exemplo, ab authoribus, qui ex libris quos *Hippocratis* nomine habemus, non paucos conflarunt, fides fit, moris fuisse primorum temporum medicis, ex *Aphorismis Hippocratis* trahere artis medullas, quibus suos insuccarunt libros. Re ipsâ sentias in primævis medicinæ parentibus verborum pondus, sententiarumque gravitatem, quæ priscæ Hippocratis Medicinæ redolent simplicitatem, dices? an veritatem. Ita *Galenus* micat ubique totus *Hippocratis* fulgoribus, quique prodiere alii medicinæ authores nobiles verbis, sensu graves, doctrinâ celebres, quos inter splendent *Aretæus*, *Cœlius Aurelianus*, *Celsus*, &c. Hi omnes eâ parte maximè laudantur, quâ *Hippocratem* exscribunt aut imitantur.

Hæc inventa jam via est, quàm *Hippocrates* posteris tenendam jubet, & unde ad *perquirendum* oportuisset *procedere*, unde suppleta haberemus, quæ desunt nobis tam multa artis & usûs *desiderata*. Hoc autem adeò verum est,

ut

ut si quid boni ad artem ad nos transmiserunt medicinæ authores, ipsi etiam *Arabes*, qui medicinam aliundè fœdarunt non infrequenter, id omne ab *Hippocrate* sint mutuati. Testis *Rhases Arabum* scholæ facilè princeps, qui scripta sua *Hippocraticis* saporibus condivit non tantùm, sed ipsam *Hippocratis* scribendi methodum *Aphorismos* (*a*) quoque scribendo, voluit imitari.

Id quidem laudis meruêre *Arabes*, quibus concedendum adhuc illorum operâ supereſſe litterario orbi litterarum, quod illorum ætate cadebat, studium, at felicius illorum fuisset officium, si tantum in se suscipientes studiorum laborem, genii scientiarum, in hisque rerum delectûs tutores se præstitissent! cum bonâ enim dictum sit illorum veniâ, in scientiarum nugaminibus interdum superflui, dignitati illarum & progressui defuêre non infrequenter, undè litteratorum mentes futilibus cumulando, necessariis & utilibus sæpè defraudarunt. Testis Medicina est, priscis temporibus *muta ars*, quam rudis physicæ suæ ineptiis malè garrulam fecerunt, facti quoque præstantissimorum artis ingeniorum infectores, ipsius nempè (magni aliundè) *Fernelii*, qui (exprobrante *Hollerio*) (*b*) *quodam nectare latinitatis Arabum fæces condivit*.

Interim, quod fatendum est, non ab *Arabibus* cœpit primùm ab *Hippocraticâ* medicinâ recessus, curiosas naturæ *Græcorum* mentes jam invaserat philosophiæ rerum effrænis amor, medicorum in primis authorum, quos occupabant causarum indagines, ætiologiarumvè scrutinia, quæ ad medicinæ studium transferentes, *Hippocratis* libros commentariis ornare vel onerare fategerunt, medicinamque replere causarum commentis; commentis, inquam, stupendum enim! quàm multa in *Hippocratem* commentando, ut de *Hippocrate* commenti sint multa. Aberrandi causa fuit ab illâ quæ *Hippocratis* erat, philosophandi mutata ratio; illi moris erat ex observatis naturæ motibus obvias animo illorum delibare causas, his præsupponere aut in anteceſſum stabilire causas, ad quarum rationes se componerent *symptomata* morborum aut naturæ *phænomena*; sic agendo multa, aut aliud egerunt aut nihil; aliud ab artis progressu, ad *Hippocratis* doctrinam nihil, intereàque medendi minùs quàm ratiocinandi ars facta medicina est.

Huic serpenti malo moram identidem fecerunt, ex hâc modò, modò ex illâ scholâ artis magistri, qui scriptis & verbis de labente in dies *Hippocratis* medicinâ acerbè conquesti sunt, his potissimùm ultimis temporibus, ubi *Chymiæ*, *Physices* & *Anatomiæ* inventis facta dives medicina & superbiens, veterum dogmata despexit tam audaci ausu, ut ipsum *Hippocratem* ejurare quidam non reformidaverint; tam capitale facinus! ut plecti indiguerit, *appellatione* (c) *ad universas & singulas totius terrarum orbis academias super injuriis magno Hippocrati medicinæ parenti illatis*. Reverâ eò usque temeritatis progredi contigit paucis, cum reservatus sit *Hippocrati* ipsi aliquis honos, etiam ab iis quibus cordi minùs erat ergà veteres reverentia. At vix ullos ex his invenias quibus non moverit risum *crisium* doctrina, quæ *Hippocrati* sacra fuit, ad normam enim illius sua moderabatur medendi opera; ad *crises* pertinet adhuc *coctionum* observatio, quæ al-

(a) Scripsit *Rhases* Aphorismorum lib. VI. (b) De Morb. intern. *pag.* 500.
(c) Vid. Hippocratis defensionem *à Bernardo Langvvedelio* pag. 9.

terum erat *Hippocratis* medicinæ fundamentum; at hodie *coctiones* facere se aut supplere gloriantur, sicque exlex facta medicina *andabatarum* ritu se gerit, aut novis regitur & vivit legibus; ideò certè quòd derelicta *via* est quæ *inventa Hippocrati* erat, *rejectisque* (a) *ac reprobatis omnibus* priscæ medendi sapientiæ *inventis*, *aliâ viâ*, *aliâque formâ procedere conantur* aut *inquirere*; imò *invenisse* meliora *gloriantur*, unde *falluntur* & fallunt.

Igitur *de tramite*, (quò medicina deliravit,) in *viam* quam *inventam* offert *Hippocrates*, reduci medentes, tam urgens quàm necessarium est, quo in opere ut præstabilius nihil aut convenientius quàm ipsum adire viæ ducem aut magistrum, ita nihil benignius quàm ad patrem reduci filios, idest, medicos ad medicinæ parentem, apud quem reduces, utut protervi, rebelles & ingrati fuerint, cum facili venià benevolentiam, pristinaque recuperabunt officia. Itaque sub his ubi versamur rerum medicinalium turbis, dum de emendandâ refingendâque medicinâ clamitant assiduè, non omnia sùs deque verti, neque aliam studiorum medicinæ formam institui oportet, *inventa via* est, quæ relegenda; *comperta inventa*, quæ adoptanda; adest dux viæ, incedendique aut procedendi in arte magister; aliâ incedere viâ, nunquid non recedere erit? an non regredi, progredi aliàs?

Hîc aperit se operis hujus finis, refingendæ scilicet ad *Hippocratis* mentem medicinæ, ut sua illi reddatur, quæ labitur in dies, cum veritate dignitas; *firma enim est tota ars medica*, *ejusque præceptiones pulcherrimæ* (b): At undenam congruentiùs expectabis has medicinæ *pulcherrimas præceptiones*, quàm ab eo cui *commonstrata est universa medicina*, qui illam pervidit, cujusque diligentiâ, *singula ex fine observata fuerunt*, *& ad eadem aggregata* (c)? Itaq; *Hippocratis* volumina ut pelagus habebis observationum, ex ipso ductarum naturæ sinu; meliùs quod in animalibus ova sunt, quod in plantis semina, id ipsum in medicina sunt *Hippocratis* libri, medicæ nimirum artis germina, quæ meditando, scrutando, comparando, medentium cuique fovenda sunt, maturanda, excludenda. Verùm ut ad explorandas universæ naturæ leges, iis confiditur, qui in retegendis generalibus mundi legibus locant operas, jure pari ad intelligendam particularem corporis humani naturam, credendum iis est qui particularibus illius naturæ legibus cognoscendis singularem simul & felicem impenderunt curam. Atqui his notaculis se sistit *Hippocrates*, naturæ genius aut contubernalis, tam frequenti cum illâ convictu usus est & familiaritate! cujus proinde didicit mores, sensit indolem, novit ingenium. An æmulum naturæ fidum magis habebis? testemnè oculatiorem? interpretem tutum magis? verbo odiorum illius & amorum tam benè conscium? ejusmodi ducem genuinæ medicinæ instaurationi præfici voluerimus; & ad illius documenta medentes hodiernos eruditi.

Eruditi autem dicimus de iis quæ *medicum faciunt* (d); perplura enim sunt quæ *aptiorem* faciunt ad medicinam, quæ nec à medico abesse volumus, sed ut amœnitatibus suis pelliciunt animos, toti se ac fortè lubentiùs in ea se immerserunt recentis ætatis medici, imò ab illis aliquantisper pervelli men-

(a) *Hip.* de veter. medic. art. III. v. 15. (b) *Hip.* lib. de loc. in hom. p. 421.
(c) Lib. de præcept. p. 8. (d) *Gels.*

mentes, artis utilitati non adeò incongruum foret: de illis ergò informari medicos optaverimus, magis quæ illorum forment consilia, intentiones regant, fortunent opera. Hujus sortis erunt, quæ *diagnosin* morborum revelant, *prognosin* aperiunt, absolvunt curam; at, amabo, mortaliumnè ullus alius ab *Hippocrate* lucidiùs morbos enucleavit, pervidit apertiùs, feliciùs curavit? utpotè cùm ab eo nullus distinxit nitidiùs primordia morbi, prævidit fines, aptavit auxilia. Posthàc sapientiorem dari posse suspicaberis medentibus *institutionis* magistrum?

Tam amplas artis opes, tam divites condunt thesauros *Hippocratis* libri, tamque uberes spondent fructus; *natura enim nostra agri, doctorum præcepta seminum rationem habent. Institutio à puero tempestivæ sationi respondet* (a). Sata ergò in *Hippocratis* voluminibus præcepta præ cæteris commendandi singulariter medicinæ studium impendentibus, nostrum hîc desiderium est, ut à peregrinis scientiis resipiscentes, ad ea quæ arti propria sunt se fortiùs accingant, pressiùs & diligentiùs. Interim ut illorum solemur fastidia, levemusque labores quos à veterum lectione metuunt, utpotè quorum fascinant animos aut præoccupavit physicæ recentis cupiditas, *mechanismi* corporis humani rationes ex *Hippocratis* libris eruimus, aut illas in ipsis conditas sub oculos eorum venire curamus, ut veterem philosophiam minùs quam philosophi veteris ore loquentem audiant naturam.

Naturæ autem nomine hîc intelliges motuum *fluidorum* cum *solidis* librantium ingenitas leges, ordinem, œconomiam sub sanitate, à quibus facto recessu enascuntur morbi. Nihilique erit illorum in *Hippocratem* inhonesta exprobratio, quâ regerunt rudem adhuc inchoatamque tantùm illius *Philosophiam*, hos *Physices* ignorasse mirabiles artes, quarum cognitio bis mille sæculorum post *Hippocratem* fructus sunt, hæc enim etiamsi vera fuerint, admirabilis ingenii illius vis faciet maximè, quòd artes utut incompertas, usu suo, monitis & observationibus tam pulchrè, tam verè tam utiliter expresserit, elucidarit, adduxeritque in apertum, tamque feliciter, ut quidquid utilitatis ad medicinam contribuunt, hoc ipsum in curando ab *Hippocrate* præoccupatum necesse sit confiteri; adeout dum medicina mille inventorum modis post sæculorum millia facta amplior, juvenescit in dies, medendi artibus pauperata, repuerascere indigeat, aut prima ortus sui tempora recalcare; verbo ad sui parentem *Hippocratem* regredi, usum ab illo edocenda eorum, quæ ad artis pompam non usum facerent, si medendi legibus quæ ab illo positæ fuêre defecta forent: itaq; inventa medicinæ nova, quà sunt pulchra, nova sunt, quà utilia, antiqua; nam quod jucundi habent, habent à præsenti, quod utilis, præterito debent tempori. Posthàc alterutrius recentis vel antiquæ medicinæ præstantiam definire, anxiusvè volueris, suum utrique constat jus, stat mutua necessitas; quod habet novi medicina recens, veterem explicit & facit illustrem, quod antiqui habet medicina vetus solidam & utibilem facit recentem, unde ambarum jungatur non impar connubium, necessitudinis & necessitatis duplici vinculo confirmandum, affines enim sunt, ejusdem quò tendunt boni similitudine, necessariæ, comparis neutra officiis carere nequit, quod enim exequi vetus, elo-

(a) Ex lege Hippocratis pag. 213.

eloqui docet medicina recens, illinc veniunt operum medicinæ documenta, hinc momenta rationum.

Atqui, inquient, hoc ipsum novæ medicinæ crimen damnabile est, rationum commentis & *systematum* furoribus causas fecisse vel occaliones; has ergò ab radice altâ revellendas ad ravim clamitant omnes.

Litem dirimit *Hippocrates* his admonendo verbis, *ad causam ipsam* (a), *& causæ occasionem aut primordia deveniendum esse*; cum *ejusdem scientiæ sit morborum nosse causas, & morbos curare* (b); *rei enim cujus non est certa cognitio, opinio certum reperire remedium non potest*; (c) hinc concludere promptum est, *eum certe curaturum esse quem prima origo causæ non fefellerit*; (d) proinde *rectè curandi* methodo rationem, ceu causarum investigationem non adversari, denique non ita ejuranda quælibet *systemata*, ut intolerabilia omnia dictatoriâ voce pronuntientur. Prætereà quæ toleranda veniunt, explicat isthuc effati genus; *alterum est recenti novitate fictum*; *alterum antiquâ origine incorruptum* (e) *novitate ergò recenti fictis* morborum causis si stabilitum systema fuerit, explodetur, adoptabitur verò, quod *antiquâ origine incorruptis* rebus fundatum comperietur: esto enim quæ *majores nostri prodiderunt hujus temporis culturæ* (verbis) *non respondeant*, at si (factis & operibus) non *dissonent* (f), hæc inter se nunquid non concordabunt? imo (observationes) *aut statuta bene veterum* non tantùm *non labefactabunt experimenta ejusmodi nova, confirmabunt* (g) *magis*.

Hæc ut palam fiat de tolerabilitate systematum doctrina, hùc accedat oportet vera medendi rationis idea; in observationibus posita hæc tota est, adeout adversetur illi penitùs id omne quod observationes obscuraret vel incertaret; at ejus eruńt sortis ex systemate novo suppositæ, ad quorum normam aut intuitum expenderentur morborum causæ aut definirentur, ab his ergò systematibus certè abhorret recta medendi ratio; si verò observatione & usu antiquo comperta artis opera, suas inveniant in recenter inventis rationes & causas, ejusmodi *ætiologias* admittere, sapientiæ consonum est; quæ *sapientia* erit quam ad medicinam esse traducendam præcipit Hippocrates (h). Certiores autem hæ erunt *ætiologiæ*, si ex confessâ partium fabricâ, situ, positurâ & rationibus earum eliciantur, hincque ductis & in apertum venientibus corporis œconomiæ legibus, constantibusque regulis; profectò quæ sic se habebunt *systemata*, medicinam non incertabunt, adjuvabunt potiùs, in eo tolerabilia non tantùm, quòd *medicum facere* non attentent aut instituere, sed laudabilia maximè, quòd factum jam observationibus & factis medicum reddant verbis *meliorem* (i) aut aptiorem. Artis fundamenta non sunt, sed adjutoria tantùm talis conditionis *systemata*, ex quibus verba tantùm mutuatur medicus, quibus suas promat, explicet, in mediumque aut lucem proferat, quos sibi fecit ex observationibus medendi conceptus, quos sic præsentibus & posteris exponit, declarat, communicat.

Enim

(a) Epid.lib.II.sect.1.p.981. (b) *Hipp.*de arte p.11.
(c) *Cels.*præfac.l.1.p.13. (d) *Ibid.*p.5.
(e) *Gell.*noct.attic.p.295. (f) *Columel.*p.11.
(g) *Lamzuverde* monit.salut.præfat. (h) *Hipp.* de decenti habitu pag.24.
(i) *Cels.*præfat.

Enim verò *nunquid non erit verbum* in medicinâ ? Secùs medicum ſuum inſtituit *Hippocrates*, qui qualitates inter, quibus illum inſtrui cupit, *ſententiarum elocutione* (a) illum vult commendabilem.

Reverâ fuit, ubi *muta ars* medicina videbatur; tempus nimirùm ſub quo naſcentis medicinæ primi parentes, in *naturæ majeſtate naturam* taciti meditando, ad illius opera ſilentes ſtupebant, parcentes verbis, ne crudas adhuc aut inchoatas tantùm proferendo ideas rerum, poſteris fraudi fuiſſent aut decipulæ: veri enim ut erant æmulatores, hinc *falli* ſuis judiciis timebant, illinc alios verbis ſuis *fallere* reformidabant.

Primis ergò temporibus orientem medicinam, celſo in futurum ædificio comparabis, cujus prima dum ponuntur fundamenta, terrarum imo condita diù latent in conſpicua, donec terris emergendo omnium oculis in conſpectum veniunt, ſurgenſque monſtrant ædificium; ſimiliter prima medicinæ *tempora, obſcura* fuêre artis fundamina tantùm, at his ſuperaddita poſterorum inventa creverunt in altum, artemque faciendo ſublimem, oſtentarunt dignam, quæ operibus non tantùm ſed & verbis ſe daret ſpectabilem. Illic adumbratam adhuc habes tenellulæ ætatis infantiam, ad quam attinet linguæ balbuties, hîc adultam concipis ætatem, cui contingit facilitas eloquii.

Itaque crimini ne vertas medicinæ, cujuslibet *ſyſtematis* uſum, quia quæ *Celſi* admonitio fuit, *morbi non eloquentiâ*, aut *verbis curantur*, ſed *remediis* (b), *de garrulitate* (c) *enim ad quam deſcenderat medicina* intelligendum illud conſilium eſt, quo nempe tempore *ſupererant verba, deerat verò medendi ſcientia* (d). Unde *ſyſtematis* nomine abſtinebimus adoptare *confabulandi artem*, ſub quo conceptu *ſyſtematibus anathema* dicit Anglorum medicinæ ſapiens (e), at differendi poteſtatem fieri tantùm optamus, de naturæ *phænomenis* & operibus, quæ obſervata tradidêre nobis medicinæ patres, ne nobis pereant & nepotibus illorum rationes; quas retegit comperta hodie corporis œconomia.

Syſtematis ſic expoſiti facta nobis copia, alterius ad uſum artis commodi vel utilitatis cauſa fiet, modus nempe erit, tentandæ, explorandæve naturæ, rebus in arduis, ubi *multa fiunt aliàs omittenda*, veterum enim obſervationum & corporis œconomiæ *rationibus* eruditus medicus, in obſcuris & ancipitibus morborum caſibus, factorum quondam & *rationum* detectarum nuper ductus exemplis, animadvertet naturalem, diſcetque ſanitatis rerum cum morborum rebus analogiſmum, ſicque decretorum naturæ & neceſſitatum cum artis virtutibus comparatione factâ, conſilium inveniet, quod urgenti malo aut difficili congruet magis.

Tot bonis artem defraudarinè vellent, qui *ſyſtematibus* inceſſanter allatrantes obſervationis ſeduli zelatores videri volunt? iis certè unis invident *ſyſtematibus*, quæ ſpretis obſervationibus naturæ, & antiquæ manûs in medendo operibus, natos ex imaginandi libidine conceptus, ambitioſis elementorum nominibus & fundamentorum titulis illuſtrant arroganter; ab hujus

(a) *Hipp.* de decenti hab. pag. 34. (b) *Celſ.* pag. 11.
(c) Plin. hiſt. lib. XXVI. c. 2. (d) *Celſ.* pag. 8.
(e) *Sydenham.* præfat.

jus autem iniqui & mendacis consilii cœptis abhorrere nos recognoscent, qui *systematis*, quod tolerandum suscipimus, conditiones ad mentem nostram æstimabunt.

Imò ab hoc *systemate* neque *chymia* exulabit, quippe quæ ferinos in dies exuens mores, ad medicinæ ingenium mansuefacta se accommodat. *Chymiæ* veteris delictum erat & audacia, abalienandi se à medicinâ, hujus dogmata temnendo, ridendo leges, repudiando remedia, quorum loco suppleta *arcana majora* sua jactabat mirabiliter: *operationes* illius exitia *mixtorum* erant, quæ elaborando perdebant, œconomiæ corporis tam portentosè dissimiles, ut illius regimini exponendo, restituendonè servire quirent nullatenùs; at nunc eruditis magis tractata manibus, & ad medicinam unius (*a*) è nostris Parisiensibus medicis sapientiâ & ingenio cicurata, in artis adminiculum evasit. Parentis (*b*) illius meritissimi opus fuerat & honos, *chymiam* à nubibus suis & umbris exuisse, à difficultatibus solvisse & impedimentis & ad simplicitatem adduxisse; ad naturæ modum gradus fuit, sed hunc promovendo, patris quem *chymia* nobilitavit, futurus nobilior filius, artis chymicæ provexit simplicitatem, naturæque simplicitati æquare cœpit. Apud hunc, quæ per interitus & ruinas rerum antehac exercebatur *chymia*, quæque ars & labor tunc temporis erat, studium nunc, philosophia & *mechanismus* est; quæ per fumos & furnos fiebat, industriâ illius, elocandi partes, dimovendi, transponendi, supplendique illas est scientia, quâ salium *genesis*, qualitas, *fixatio*, *volatilisatio* peragitur, *acidorumque* & *alcalium* naturæ mutationes, *metamorphoses*, sine ignium vi exeruntur, elucidantur.

Sed quantùm progressûs inde capiet artis usus, intelligetur ex singulari illâ observatione, quâ has vel illas *terreas* substantias, hujusve aut illius texturæ, supplere docet in *animalibus materiebus* (c), ipsas mutando *salium matrices*, aut supponendo alias, ut inde, v.g. *Armoniaci salis* loco, verum emergat *nitrum*; at quia ejusmodi *processus*, *alcalium* cum *acidis* invento convenienti connubio, succedit, hinc surgit spes, fore ut *acidorum* cum *alcalibus* energiæ ad mutandos sub morbis sanguinis sapores usurpatæ revelentur, *absorbentiumque* potentiæ & opportunitates ad curandum aptentur meliùs, quia meliùs concipientur & apertiùs.

Pridem medicina sensit *absorbentium* abusum (*d*), *punctum enim omne tulisse* putant omnes, prædicando confidenter, *alcalia* esse bibulas materies, pororum plenas, quibus *acida* glutiunt, sorbent, devorant, hocque sanguinem salium aculeis hispidum dulcorare vocant, similibusque contenti his nugamentis, de cætero hærent in definiendis bene multis aliis *alcalium* efficaciis: ulteriùs progreditur chymiæ emendatæ assertor & doctor noster, adnotandum jubens, pro vario *alcalium* ingenio sanguini admixtorum in *nitrum* evadere modò, modò in *armoniacum sal* sanguinis *acidum*, idest *exaltari* sanguinem aut deprimi, quod incalescere aut refrigerari est; sed inde quàm multùm emicat lucis, rationis quantùm, ad exponendas elucidandasve re-

fri-

(a) *M. Lemery*, Med. de la Faculte de Par. dans ses *Memoires* de l'Acad. Royale des Sciences sur le *Nitre*, annee 1717.

(b) *M. Lemery* le pere. (c) Pag. 125.

(d) *Vide Etmuller.* de absorbentium usu & abusu.

frigerandi, calefaciendique rerum virtutes? Hoc enim horum vel illorum, ſub hoc aut ſub illo ſanguinis febrientis ſtatu exhibitorum effectus eſt aut opus. Sed hinc ſubodorari nunquid non licebit *ſpecificorum* abditas rationes? Sic quod *cortex Peruvianus* febres compeſcat tam efficaciter, aliânè de causâ, quàm quòd *alcalina* materies eſt, textûs ſingularis & maſſæ ad cohibendam quandam ſanguinis exaltationem, in *nitroſam* veluti vertendo aut paris indolis ſanguinis *diatheſin*? animo luſtres adhuc *chalybeatorum, martialium, amarorum, antiſcorbuticorum* energias ſingulares, in illiſque ſuſpicando *terreas* quaſdam, graves & ſorbentes particulas, venient tibi *alcalinarum, abſorbentium, præcipitantiumque* molecularum non inepti conceptus, quibus deprimi aut coerceri intelliges ſanguinis certos fervores, & quaſdam acrimonias illius mulceri: tandem ut multa paucis accipias, in his emendatæ ſic *chymiæ* rationibus novis, ſentias *mechaniſmi* vim & ingenium, qui illi quod amamus congruit *ſyſtemati*.

Mechaniſmi enim ideas ſectamur, illiuſque leges ſunt quas ex *Hippocratis Aphoriſmis* exponendas ſuſcipimus; enimverò *mechaniſmi* quidem vox, verbum recens, idea vetus, conceptus nempe & ſignificatio ordinis, quo creatoris voluntate concordant animalis œconomiæ res. Unde tam antiquus *mechaniſmus*, quàm antiqua creatio, cui coævus eſt, cum nihil aliud ſit præter creatoris leges, vi quarum & conſtantiâ ordinati pergunt in corpore humano *fluidorum* motus, & *ſolidorum* oſcillationes, quæ in ovo veluti niſus & *tendentiæ* ſe habentes, in corpore nato in vibrationes evadunt & in motus evidentes. Verùm corporis motuum ſpeculatorem aſſiduum ſe fecit *Hippocrates*, & eorumdem ſedulum obſervatorem, *mechaniſmi* ergò ut ſpectator diligens fuit, *mechaniſmi* tutor nobis erit & patronus, apud quippe quem aliud nihil expiſcaberis præter naturæ leges; cumque nullibi uberiùs illas inſeverit *Hippocrates*, quàm *Aphoriſmis*, utpotè cùm ad obſervandum diarii fuerint codicilli, aptior nulla eſt *Aphoriſmos* exponendi ratio, quàm quæ ex *mechaniſmi* doctrinâ elicitur.

Hæc cùm vera ſint, *Aphoriſmorum* non unica laus eſt, quòd inſigniora medicinalis ſapientiæ complectantur effata, adhuc revelant ſolemnes naturæ motus, ritus agendi, mores, ingenia, conſuetudines, hæcque omnia ſub morbis, quo ipſo tempore noſſe intereſt & doceri vias aut modos quibus redditur ad ſanitatem. Hinc elicitur, non aliunde tantùm emolumenti acceſſurum ad medicinam, quam ex *Aphoriſmis*, qui & vias ſanitatis oſtendunt, ſimulque confirmant quas medicina recens prodidit vitæ cauſas, tam benè convenit naturæ motibus qui ſub morbis fiunt, cum naturæ legibus quæ ſub ſanitate exercentur! Igitur medicinam recentem in veteri habes in anteceſſum confirmatam, cum recens in tantùm vera ſit medicina, in quantùm felix & proſpera vetus fuit, imò ideò vera illa eſt, quòd veras veteris medicinæ felicitatis cauſas prodidit.

Inde autem liquet quàm firmum illud ſit, quod *ſyſtemati* venit à mechaniſmo veritatis argumentum, quo patet obvia recentis cum veteri medicinæ neceſſitudo, naturaliſque ambarum concordia, quâ altera alteri ſtabilimento ſit. Mutuum & amicabile fœdus eſt, unde ducitur verus *ſyſtematis* conceptus, cujus idea conſociationis notio eſt, quâ diſparilia conciliantur, & in unum conſpirant: at confœderatio quænam laudabilior & utilior, quàm

quæ novam cum veteri medicinam adunaverit; *Syſtema* ergò illud erit, quod vel *Hippocrati* placitarum confidet, cujus palato benè ſapuerit *Hippocratis* medicina.

His de cauſis nos non morabuntur ſparſi in vulgus rumores, vel opiniones multorum, de recentium cum veteribus medicis implacabili diſſenſu, utut enim verbis diſſoni utrinque medentes, re conſentiunt in medendo, iiſdem ducti naturæ conſiliis & motibus, quos alii priùs quidem obſervarunt, explanaverunt lucidiùs alii, ſed utrique curant feliciter, quia iiſdem incedentes ad ſanitatem itineribus, iiſdem legibus ſerviunt, quas diſſimilibus vocant nominibus, mente ſequuntur non diſſimili; ejuſdem artis ſed diverſæ loquelæ opifices videre videberis, qui eadem & æquè feliciter exequuntur artis opera, ſuas interea ſinguli diverſis vocibus enuntiando operum ſuorum rationes & rationum cauſas.

Eò tendunt quas hîc aggredimur *Aphoriſmorum* interpretationes, quæ veteris medicinæ verbis parendo, ſapientiæ veterum notione exponent, cum recentibus loqui ſinendo, agere docendo cum veteribus; an ideò in unis veterum traditis operibus conquieſci volumus? A nobis inſulſam adeò amoveri jubemus ſuſpicionem, quin imò *analogiſmi* in medendo rationes & modos medentium oculis lucidè hinc prodituros ſe confidimus, innuendo nempe ex detecto *ætiologiarum* novarum cum veterum operibus conſenſu, illum veritatis gradum comparaſſe ſibi *animalis œconomiæ* ſcientiam, ut veteribus curationum exemplis credere non reformidet medicus, doceatur inſuper venire illi metuendum minùs à recentium *ætiologiis*, quæ veterum medendi placita tam manifeſtè confirmant.

Iterùm comparatâ ſic corporis humani rerum meliori cognitione, medenti fides fit recentium inventis, quæ non incertas certiorum artis operum retegunt cauſas. Poſtremò addes, inde contingere medicinæ, quod philoſophiæ optabat *Carteſius*, *admittere nihil cujus idea clara & diſtincta* animo non inſederit, præterquàmquòd enim *mechaniſmi* non infirma laus eſt, veteris medicinæ operum cauſas elucidaſſe, alterum illius commodum eſt, nullam eſſe hodiè artis operam, cujus medicus rationes in corporis mechaniſmo non pervideat, tùm ad *diagnoſin*, *prognoſinnè* morbi, tum ad illius curationem. Reverâ à præexiſtente animo ideâ ſuos philoſophiæ conceptus educi volebat *Carteſius*, dùm ſuas medicina operas in *mechaniſmo* corporis videt tantùm confirmatas, at quàm ſecura medici mens, quæ in medendo poſita ſentit in animalis œconomiæ legibus operum ſuorum rationes & fundamina.

Syſtematum oſoribus in votis eſſet, in unâ hiſtoricâ obſervationum, operumque medicorum enarratione medicinam poni, in hanc adducti ſententiam *Hippocratis epidemiorum*, *coacarum*, &c. ipſorum *Aphoriſmorum* exemplis, ubi diſſutæ ſolùm leguntur ſententiæ, quæ utut *ætiologiis* defectæ poſteris ſæculis reverentiæ fuerunt & imitamini, omnibuſque factæ ſunt medicinæ leges; dictataque medicorum principis pronuntiata.

Et hæc quidem vera ſunt; intereà meminerint in nudis ejuſmodi factorum enarrationibus non adeò aſſiduum fuiſſe *Hippocratem*, quin multis in aliis libris *ætiologiarum* miſcuerit ſpecimina: teſtimonio eſt de *flatibus* liber, ubi totus eſt in attribuendo *flatibus*, quotquot ſunt morbi; ita & qui *de veteri medicinâ* inſcribitur, dum omnia profligare *ſyſtemata* videtur ſapientium

tium plurimis, ex *ſyſtematibus* numerat plura, quæ jam uſu celebrabantur: ſed quod omnem conficit rem, innumera loca ſunt in *Hippocratis* operibus, ipſiſſimis etiam quæ genuina illius habentur, in quibus ad *calidum*, *frigidum*, &c. omnes revocat morborum cauſas, hæcque *ætiologiæ* ſpecies frequens adeò eſt in ejuſmodi libris, ut non aliundè forsàn certiùs ducas *criterium*, quo genuinos à ſpuriis diſcernas *Hippocratis* libros. Hinc non temerè colliges vel ipſum *Hippocratem* de *ſyſtematibus* tantillum quid delibaſſe; cumque arti unicè neceſſaria ſectatus videatur, augurium ſit illius calculo neceſſarium eſſe *ſyſtematis* alicujus uſum. Neq; regeres librorum illius plures, ubi evidentiùs *ſyſtemata* ſe produnt, ſpurios *Hippocratis* eſſe, ineptos proindè qui ſuadeant *Hippocrati* ſapuiſſe *ſyſtemata*; hoc enim etiam conceſſo, inde non mediocre veniet *ſyſtematis* alicujus neceſſitatis argumentum; nam quicunque fuerint ſpuriorum, ut loquuntur, librorum illorum authores, vel ad antiquam *cnidiorum* ſcholam pertinebant, quæ tempore multo ante *Hippocratem* floruerat, unde ſponte patebit antiquioribus medicis *ſyſtematis* aliquid uſui fuiſſe: forte an etiam *Hippocratis* magni atavi illi fuerunt; à quibus venerint illæ *ſyſtematum* ſcintillæ, quibus micant quædam illius volumina, unde intelligere daretur vel ſuſpicari fas erit à *ſyſtematum* amore non omninò abhorruiſſe *Hippocratis* familiam: denique ſi affirmaveris *Hippocrati* coævos illos fuiſſe aut ætati illius poſteriores, inde ſaltem elicitur ab antiquo commodatam fuiſſe ſyſtematibus fidem, fitque credendi locus veteribus viſa fuiſſe quædam ſyſtemata, quibus omninò carere non poſſet medicina.

Re quidem ipsâ, confeſsâ, ut decet, ratione, quâ progredi potuit & proficere medendi ars, cùm illa progreſsûs inſtituendi ratio, in obſervationum traditione poſita fuerit, obſervationibus illis conceptus aliquos oportuit uniri, quibus veluti vinculis commedentium mentibus colligatæ obſervationes, ad poſterorum animos tranſirent, ſecùs quaſi *diſſolutæ ſcopæ* fuiſſent, fulciminibuſque deſtitutæ veterum obſervationes, quæ ſæculorum lapſu diſſipatæ, brevi fuiſſent oblitteratæ; obſervationum rationes aut cauſas, ut potuêre tradiderunt, quæ utut inabſolutæ, & ab inchoatâ phyſice profectæ, in memoria ſigna poſteris evaſerunt. Succedentibus autem ſæculis ſi factâ politiori aut ampliatâ *phyſiologiæ* rerum culturâ, notiones idoneæ magis aut aptiora verba ab illâ commodentur, quæ currentis ætatis medicinæ progreſſum tranſmittant in futurum, an aliquid diſciminis inde naſciturum cogitabis? *mechanicæ phyſiologiæ* caſus eſt rebus medicis conceptus ſufficit meliores, qui *ætiologias* dant utiliores, hilumnè hinc medicinæ conſiliis aut operibus metuendum videbitur?

His munita rationum momentis, veniam merebitur *mechaniſmi* doctrina, quæ in *Aphoriſmis* exponendis hîc uſurpata, medicinæ rebus nitorem, operibus utiſitatem conciliabit, *Hippocratis* ſapientiæ derogando nihil; quandoquidem ſic *verbis loquendo præſentibus*, *vivere* nihil vetat *moribus præteritis*, ſeu *Hippocratis* more mederi.

Atqui inani nos labore conſumi admonent, in expiſcando *Hippocratis* mentem in *Aphoriſmis*, qui, ut ajunt, nominis illius titulo quantumvis ſuperbientes, illo parente nati ſunt nunquam; inofficioſum ex eo ducunt argumentum, quod ſeptingentis annis antè natum *Hippocratem* ex illis *Aphoriſ-*

rismis qui ad nos pervenerunt, plures evulgatos fuisse fama sit unde suspicari volunt non paucos adhuc esse ex iis, qui *Hippocrati* tam parùm proprii sunt. Hanc illorum auget suspicionem numerus *Aphorismorum*, quos sapientiam illius tam malè referre vides, ut pro spuriis digni sunt haberi, hâcque notant infamiâ ex *Aphorismis* non tantùm singulares quosdam, verùm sectiones integras illâ suggillant immisericorditer.

Malo animo commissum id mendacii genus imputari nemini volumus, at sic malam *Hippocratis* authoritati moveri litem, hinc evincitur. Illud septingentorum annorum tempus, *Aphorismorum* authoritatem non minuit, illis è contrà meretur reverentiam, illorum elevando antiquitatem; *Aphorismos* enim *Aphorismorum* ideſt *Axiomatum* titulo, sub remotioribus sæculis fuisse solemnes, veritatem illorum antiquissimis temporibus confessam, publicare est & confirmare, unde sua constat *Aphorismorum*, saltem multis inconcussa veritas, concessa etiam iis ante *Hippocratis* tempora, sub quibus iterato usu suo confirmatos ipse collegerit, adoptaverit, feceritque suos; quid enim tam proclive de *Hippocrate* cogitasse (quàm sedulum) (ut erat) observationum collectorem, sparsas per orbem medicinæ sententias, sua in adversaria retulisse, unde postmodùm emerserint *Aphorismorum* libri, qui proinde *Hippocratis* & illorum qui præcesserint medicorum authoritate venient commendabiles; adde quod antiquissimæ in medicinâ antiquitati *Hippocratum* familiæ respondet, unum fortè ex illis fuisse *Hippocratem*, qui illorum Aphorismorum septingentis ante nostrum *Hippocratem* annis vulgatorum author fuerit primus, quo dato, *Hippocratis* nomine eò digniores essent, qui penès nos sunt *Aphorismi*, quod duos *Hippocrates* pro patribus numerabunt.

Quod ad spurios, ut ajunt, *Aphorismos*, aut horum spurias *sectiones* attinet, convitiandi malignanè prurigo feret? aut interpretum ignavia? Qui quorumdam *Aphorismorum* repetitionibus aut similitudinibus lassati, spurios dixêre *Aphorismos*, quos iterùm meditari labor fuit, aut fastidium. Enimverò iisdem verbis, & sub eodem sensu reddi, repetivè propositionem, superflui notâ vellicari fortè tolerabis, at adulterii opprobrio infamari, iniqui non parum habet aut maligni; porrò *Aphorismorum*, quos ut spurios vituperant, verba eadem, eundem textum legis pluris aut passim in cæteris *Hippocratis* voluminibus; eluenda restat superflui macula, verùm quid habet periculi, viro aliundè spectabili, exuperantiam aliquam donare verborum, à quo venit tam multiplex copia sententiarum? Præterea nùmquid otii vel temporis incurritur jacturæ, in colloquendo cum eo frequenter, quo cum versari & cogitare disces vix unquam sedulus satis? Rem exagerant, tam facilis & præceps maledicendi proclivitas! Urgendo, ex *Aphorismis* plures ideò spurios audire, quòd supposititii sint, ab aliis medicis inter genuinos *Hippocratis* relati, inde ergò mendosos, quòd illius nominis specie medentium non paucis fuco sint & fraudi.

Hæc gratuitò concedimus; sed & inde illegitimis ejusmodi *Aphorismis* fit pondus; vel enim ex genuinis *Hippocratis* repetiti illi erunt, quo dato tùm illius authoritate commendabiles erunt, tum illorum medicorum usu confirmati, qui quæ ab *Hippocrate* observata fuerunt comprobando, veritatis illorum fidos se dedêre testes; vel veteris medicinæ referent ingenium,

quâ

quâ de causâ nec ejurandi ; ut enim medicinæ veteris caput habetur *Hippocrates*, non aspernabile veniet, quod ex tam venerabili fonte manaverit; cumque eâ parte illos *Aphorismos* hîc exponimus, quâ cum *Hippocratis* sapientiâ concordant, fraudi nemini aut dolo erunt.

Sed quid si ab *Hippocratis* sapientiâ alienati illi Aphorismi videantur? Tunc id vitii emendabitur cogitando medendi veterum scientiæ inchoamenta hæc esse humanè proindè excipienda, artis quippe rudimenta erunt, gravida rebus, quas in ovo proferendo veteres, meditandi pleniùs illas, planiùsque elucidandi ansas reliquêre nobis vel materies. Graviùs disputant, qui *idiomatum* proprietatibus, linguarum ingeniis, & puritiis verborum singulariter addicti, *Hippocratis* gravitatem, dictionemque desiderari pronuntiant in *Aphorismorum* nonnullis, harumque rationum specie ducti, septimam & octavam sectiones penitùs, & integras explodunt, rati abhorrere à vero, virum (ut erat *Hippocrates*) eruditum aliena usur passe verba, aut sibi peregrinis usum scribendi rationibus, ut vera sua & genuina posteris explanet animi sensa.

Criticæ artis isthæc fundamenta & rationes sunt, quarum utilitates & commoda sensit aut experta pluries est, suis in rebus, libris, annalibus *Theologia*, quæ cùm cauta esse debeat, in tuendâ, quæ scripta est, *traditione*, ipsas *syllabas* & verbula æstimanda habet & exploranda frequenter, adeout virgulas numeret, & ponderet puncta, ne veritati aut fidei fraus fiat aut dolus ; norunt enim *Theologi*, quantùm ecclesiæ turbarum pepererit, vocabuli unius hæc vel illa interpretatio ; at tantùm religionis adhibere in medicis rebus, scrupulo inutili aut casso angi vel laborare est, ubi *iota unum* aut unum apicem minui, tolli, mutari, tanti non est, hinc enim nec *hæreses*, nec *schismata* fundari firmarivè metues, sed periculum fieri tantùm, ne fortè ex antiquis medentium alicui attribueris, quod alteri competit, ad artis medendi usum sufficiet ab antiquo venire quamlibet observationem, quam reverearis, teneas animo, mediteris, ut in curando locum illi invenias & occasionem. Ad Medicinam enim unicè attinet, ea cupidè tueri, avarèque acervare, quæ antiqua sunt artis, usualis quippe ars est, quæ à gestis rebus aut factis laudem capit & authoritatem ; itaque hujus vel illius medentis antiqui observatio aliqua sit, perinde erit artis profectui ; nec te anxium nimis tenebit, quod *dictio*, *Hippocratis* dictioni malè similis sit, nam qualiscunque soni illa fuerit, ab *Hippocrate* manare observationis sensum intelliges, cogitando primum & unum *Hippocratem* fuisse priscorum medicorum præceptorem aut medicinæ magistrum, cujus auditores & discipuli cum fuerint quotquot coævi illius vixerunt, aut proximè posteri, de *Hippocratis* scholâ aut personâ profecta omnia putabis, licet alterâ manu, dictionis proinde peregrinæ, illius libris inserta suspicari posses aut adjecta.

Inde venit adhuc, quòd quædam in *Hippocratis* voluminibus reperias, quæ gravitatem illius malè sapiunt, *Hippocratis* enim medicinam velle imitari, multis fortè datum est, assequi paucis, qui interim imperfectè scriptis suis reddendo, quæ meliora ab *Hippocratis* ore, aut alumnorum illius sermonibus acceperant, *gravia* minùs, utpote multorum variis conceptibus deformata, aut verbis expressa malè, atque detrita, ponderis sui & *gravitatis* non parùm amiserunt ; pari ratione quâ aquarum rivuli, qui longiùs à fon-

fonte primo recedentes, conceptas à scaturigine perdunt vires. Quæ igitur, inquient, iis habenda ratio, quæ non tantùm *Hippocratis* non eloquia sunt, sed & quæ illorum manca sunt imitamina? His respectus habebitur, quò non indigna sunt venerandæ antiquitatis superamenta, medicinæ in primis, cujus veteris quò pauciores sunt & breviores reliquiæ eò benigniùs excipiendæ sunt & conservandæ, imò diligentiùs, quia in his, utut inchoatis, tantùm non obscuras splendere vides non rarò egerminantis sapientiæ micas. Nolimus ergò repudium dici *Aphorismis*, quos ob dictionis disparilitatem ab *Hippocrate* alienos fecerunt, præterquamquòd enim suis nævis non carere *criticam* artem publicum est, ex quo sua remotioribus sæculis auso illius eripi nuper vidimus publica magis & confessa authorum celebriorum monumenta, aliis adhuc patet erroribus; quid enim, amabo, ambiguum magis, quàm authorum *dictio*, stylus, *idioma*, scribendi aut eloquendi ritus, quæ omnia verti, vitiari, perfici, corrumpi, mutari contingit ab ætate, studio, tempore, consilio, malignitate, dissimulatione, artibus omnibus quibus uti potest, vel ut profit, vel ut ludat author: & reverâ, ut variæ sunt, quas confessas habes, pro variis temporum ætatibus scribendi, imò & cogitandi rationes, abs re nè fuerit cogitasse, pro variis hominum ætatibus, adde, conditionibus, occasionibus, & consiliis, variare posse scribendi & cogitandi modum? Et verò, *aliquandò bonum dormitare Homerum* observatum est; posthàc authorem ex verborum, styli, scriptionumque discrepantiis judicato!

Nihilominùs tamen non ii sumus qui *Hippocratis* nomini aliquid indigni aut spurii adscribi unquam patiemur, optaverimus tantùm hospitii jus non omninò denegari illis ex illius discipulis, aut zelatoribus, qui fidei aut tutelæ librorum illius sua commisêre artis molimina, hâc ratione non contemnenda, quòd multùm habeant antiquitatis, unde improtecta hæc sinere noluimus, eaque magni *Hippocratis* ad quam confugerunt authoritate penitùs exui. De cætero eò tolerabilior est paupercula isthæc ergà *Aphorismos* indulgentia, quòd tam parva sit, quàm exiguus ille *Aphorismorum* numerus, quos spurii notâ infamant, enim verò exacto *sectionibus* in quas dividi solent, sex integræ sunt quas pro geminis habent; imò neque desunt, qui septimæ parcunt, sed illi exprobrando; quod ex illius *Aphorismis* multi sint, qui redundant, utpote repetiti: severiùs cum octavâ agitur; quam omninò delent non pauci, jubentque proscribi; verùm & in aliis *Hippocratis* locis, eandem illorum legimus doctrinam, nec dissimilia invenimus verba; posthàc ab *Hippocratis* operibus eos rescindere, iniquum ferè videtur, inhumanum saltem.

At, inquient, dudùm exuberant undequàque, tùm ex quibuslibet regionibus, tùm ex sæculis omnibus profectæ in Aphorismos Hippocratis commentationes, quæ quia hanc siccaverunt materiem, in commenta facessere periculum his fit, quæ superaddenda tentabuntur, quæ quæ aut quod jam proditum boni est repetent, aut in superfluis nugabuntur.

Ex his incommodis incurret neutrum, quæ traditur hîc *Aphorismorum* interpretatio, non eo suscepta animo, ut *eandem recoquat cramben*, ceu eadem quæ scripta sunt describendo, ast ut specimin is loco sit aut tentaminis, quo in conspectum venire possit recentis cum veteri medicinâ consensus; meliùs ut publicum fiat, habeaturque in confesso, traditum esse ab *Hippocrate* nihil, quocum non conveniat *patologia* recens, quæ causas aperiendo

do operum illius aut obſervationum, vulgi eam delebit opinionem, quâ cæcam eſſe perhibent *Hippocratis* medicinam, honore quidem, ut confitentur, & reverentiâ digniſſimam, colendamque ſingulariter, ſilendo tamen, utpotè cum tam inſcrutabilis, quàm vera ſit. Itaque quod veri habet aut boni *Hippocratis* medicina, ex illius *Aphoriſmis* eruere hîc non intendimus, ſed *Aphoriſmorum* meditando veritates, ad recentis medicinæ mentem, ingenium, & verba tentamus eas enucleare. Adhæc, ut *ingenui animi eſt profiteri per quos profecerit*, malè memoris & ingrati eſt, rerum profectûs clientelam vel hominum apud illum non profiteri, per quem primùm venit nobis rerum illarum notitia. Dûm ergò proficit in dies inventis creſcendo novis medicina, quæ parentem *Hippocratem* habet, huic de artis illius progreſſu gratulari volentes, grati animi teſſeram hoc opere offerimus, quo quidquid optimi conferunt ad medicinam inventa nova, ad illum reverti jubemus, à quo nempe manat omnis illorum utilitas, quarum enim bonarum in arte rerum ille non ſenſit nobiſcum amœnitates, ſine nobis utilitates & bona præſenſit, adeout dum manet nos voluptas aut gratia laborum, ſpectent ad illum laborum in arte gloria & felicitas.

De cætero *in meſſem alienam miſiſſe falcem*, nemo nos accuſaverit, præſens enim intentatus labor eſt, in eo ſingularis, quòd *mechaniſmi* fultus ſit legibus, huic ergò operi propriùs; aliunde inculpabilis, quòd inauditas hactenùs proferat expoſitionum rationes, quippe quæ ad artis uſum contendant omnes. Licet enim ex *Aphoriſmis* ſint qui ad *theoriam* ſpectant principaliter, ad *praxin* inclinandi eos ſtudium nobis aut cura fuit, unde factum, ut ferè nullum præterire paſſi fuerimus, ex quo (quantùm licuit) utilis aliquid ad exercitationem artis omiſerimus delibare. Succeſsûs honorem auferes nobis? Saltem non deſiderium, quo arti utiles exhibere nos conati ſumus; itaque utut quivis eripiat nobis laboris honorem, tollet nemo, quod in magnis ſæpè ſatis eſt, voluntatis gloriam.

HIPPOCRATIS APHORISMI

AD MENTEM IPSIUS, ARTIS usum, & corporis mechaniſmi rationem expoſiti.

SECTIO PRIMA.

APHORISMUS PRIMUS.

Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ κρίσις χαλεπή. δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Vita brevis, ars longa, occaſio celeris, experimentum periculoſum, judicium difficile. Oportet autem non modò ſeipſum exhibere quæ oportet facientem, ſed etiam ægrum, & præſentes, & externa.

AUDIRE putes in ſene monitorem, qui quos expertus diù eſt medicinæ laborum pertæſus, in hæc benignus in poſteros aut benignè providus verba erumpit; heu quàm *vita brevis* curtaque nimiùm! quæ impendenda fuit illi acquirendæ *arti*, quam *longam* fecit *occaſionum*, in quibus illa conſiſtit, *celeritas*; cujus tentamina *pericula* ſunt, hæſitationes conſilia, aut fulta malè, ſibique ſæpè

mentientis animi *judicia*: neque enim *ego* (*a*) *quantumvis senex, ad artis Medicæ summam perveni.*

Hîc ergò *brevis vitæ* nomine intelliges vivendi tempus in iis rebus impendendum, quæ mensuram illius numero suo superant & ambagibus, quibus cum amplè circumdata sit medendi ars, medici vitam tantò breviorem dices, quantò plures sunt medendi usus, difficultates, & angustiæ. At quæ difficultas major, aut multiplex magis, quàm quæ ex variantiâ venit: *medicina verò & nunc, & statim non idem facit, & ad eundem contraria facit, & hæc etiam contraria sibi ipsis*, (*b*) unde asserendo sic concludit *Hippocrates*, (*c*) *Medicinam citò discere non est possibile, propterea quod impossibile est statam & certam doctrinam in ipsâ fieri*, &c.... Intereà non cogitabis morbos, circà quos occupatur Medicina, cæcos esse, & inconditos sanguinis motuum tumultus, ut enim Creatoris opus est corpus humanum, legumque series instituta ab eo totius animalis œconomia, (*d*) illas inter humorum turbas, legum illarum visûs & conaminum notacula sunt, quibus ad ordinem sibi à Creatore jussum redire tendunt illæ leges; notabilia sunt symptomata, quibus itur ad certum morbi punctum, quo dato, agendi medico se monstrat occasio, quam ut præoccupare in arte rudis est aut novitii, non statim occupare imperitè otiantis est. Enimverò *Medicina brevem occasionem habet, & qui hoc novit, illa stata, ac certa habet, & scit quæ consueta sunt, & quæ non consueta*, (*e*) &c... Cùm verò *occasionem supergressus fuerit* (medicus) contrarium fit, in hocque *occasionis celeritas*: non ideò tamen quasi rari se monstrent naturæ nisus, at ideò quia natum semel temporis momentum, quo felix esse suevit medentis opera, illicò debeat arripi. Sed hîc *cautio, infinita magnitudo, experiendi difficultas*, (*f*) *difficile judicium*, ne pro naturæ conatibus habeas morbi motus; *cognata* (*g*) *enim species, regio, mos, ætas, tempus, constitutio morbi, excessus, defectus, quibus quantùm deficit aut non, medela; declinatio, derivatio, in caput, in obliqua, quâ maximè repit: aut revulsio, &c.... consideranda* (*h*) *hæc, spontanea defluentia.... quæ facienda aut impedienda citò assequi.... ferendi facilitatem contemplari oportet, itemq; difficultatem, priusquam periculum veniat: item quæ sedare non oportet.* In quibus singulis medicinæ principis vocibus, singulas medentis & proprias operas describi vides, tenes omnem artis medicæ artem, quæ *opportunitatum* aut *occasionum* scientia est, declinandorum periculorum peritia, avertendarumque hallucinationum sagacitas.

Propriæ illæ sunt medendi scientiæ difficultates, quæ quidem plures jam sunt, medicique sapientiæ eluctabiles, ascititiæ tamen aliæ adhuc sunt, neque numero, neque conditione inæquales, difficiliùsque in eo superabiles, quòd extrinsecùs venientes, ab arte pendeant minùs nec ab artifice: curandi impedimenta istiusmodi sunt ab *ægro, præsentibus & externis rebus* profecta, quæ si negligantur, author est *Hippocrates*, frustrà esse medico *exhibere se*

quæ

(a) *Hippocr. ep. Democr. v. 7.* (b) *Hippocr. de loc. in hom sect. 1. v. 6.*
(c) *Ibid.* (d) *Vid. nov. Medicinæ conspect.*
(e) *Ibid. à Lib. v. 1.* (f) *Hippocr. de Humer. lib. v.*
(g) *Ibid. 13. &c.* (h) *Ibid. 11. 2, 11. 48. 50.*

quæ oportet facientem. Miserabile prorsùs artis difficultatibus adjutorium! optabile tamen, quippe quo deficiente, caducariæ fiunt aut cassæ medici quævis laudabiliores curæ, suoque defraudata successu vilescunt præsentissima remedia. Hinc effatur *Hippocrates* (a) *ex tribus constare artem, morbo, ægroto & medico*; monendo imprimis, *ægrotum cum medico adversari morbo* (b) *oportere*. Itaq; *circà ægrotantem* (c) *administratio & de morbo interrogatio: quæ narrat qualia, quomodò accipiendi sermones: quæ ad ægrotantem, quæ ad præsentes, quæ ad externos*; tum & cura *domesticorum*. (d) Ad ægrum ergò spectat maximè *interrogatio*, examen nempè illius à medico instituendum, quò ab illo scisciando singula discat, quæ temperamentum illius manifestent, sanguinisque revelent constitutionem. Vulgare est percontari quæ ad sexum pertinent singulariter, sed prætermittuntur frequentiùs quæ de vitæ conditione, de genere cibatûs, de prægressis, solitis olim vel hæreditariis morbis cognoscenda medico veniunt, ut ex præteritis judicet de præsentibus, & futuris provideat: interrogabit ægrum singulariter, nunquid non aliàs hujus vel illiusmodi laboraverit evacuationibus sive sanguinis per *nares*, aut *hæmorrhoides*, sive serosi laticis, qui *catharrorum*, *herpetis* aut similium cutis fœditatum specie ægrum olim vexaverit; quæ si vera compererit, superstitem hinc in sanguine & nervis inquietem concipiet, quæ suum præsenti morbo ingenium, suamve paraverit materiem, indeque suas formabit medicus, dirigetque *indicationes*. Neque præteribit principum quorumdam animi *pathomatum*, mœroris, verbi causâ, tædii, amaroris vitæ facta vestigia, quæ ut totam hominis sæpè infestant vitam, ita in *fœminis hysthericarum*, in viris *spasmodicarum* affectionum radices ponunt, aut fundant origines.

De *Præsentibus*, id est, de iis, qui ægrorum custodiæ vacant inobservatum plus satis est, seligere eos qui hanc, ut conveniret, ægris præstent curam: medendi artis administratores esse debent aut medicorum vicarii, loco quorum sæpè vel aniculas vel rudes homines, quos hâc dignos judicant Provinciâ, ex corporum magis quàm ingenii convenientiâ, huic officio præficiunt. Intereà *Hippocratis* judicio, ii erunt qui artis medendi sublevent difficultates, medentis adjuvando operas; diætamve, & medicamina ex illius imperio horis debitis administrando? Et isthæc quidem pars illorum erit, minima tamen, si illius fuerint sedulitatis, & ingenii, ut ad ægrotantem ingredienti medico, quidquid per diem noctemque obvenerit ægro observaverint, dicendo reddere queant: enimverò medicus dum abest, oculi illius sunt ægrorum custodes, qui intuendo jugiter omnia quæ in ægroti corpore vel animo, verbis aut actibus, anxietatibus, habitu, gesticulationibus; imò febrium, calorum, dolorumve excandescentiis acciderunt, de his omnibus medicum admoneant, qui vel absens corpore præsens sic medebitur, vicariis nempe custodum observationibus, domique dum meditabitur morbos, vigilum illorum operâ curandis ægris advigilabit.

Sequuntur *externa* quæ ægroti bono verti vult *Hippocrates*; illorum autem nomine intelligenda sunt, quotquot ægrotum circumdant; loci enim quem occupat æger dominus est, cui proin omnia servire debent, suis omnibus

(a) *Epid. I. art.* 11. *v.* 93. (b) *Ibid. v.* 95.
(c) *Epid. VI. sect. II. v.* 78. (d) *Cels. lib. VI. p.* 358.

mnibus facultatibus & modis quibus illi possunt esse auxilio: amœnitate proderit locus, lintea munditie, amicabilique aer temperie; ut enim in ægro corpore nihil est quod non laboret aut molestetur, nihil quoque erit quod refocillationi illius non contribuat, ut quantùm licuerit per singulas partes sanitas remeet: locum in perflatu esse, ut *catarrhorum* periculis ægrum effet objicere, ita occlusum illum esse nimis repetito respiratu effœtum aerem ægroto deglutiendum offerre est; sed aeri cicurando commoda erat non contemptibilis, nostris tamen contempta non tantùm sed & obliterata consuetudo loci vitium & salicum frondibus insternendi, aut frigidâ aspergendi, ut uvidior sic factus aer deferveret, imprimis sub ardente Solis æstu, ubi ejusmodi refrigerio opus habetur.

Nec indigna medentis curâ stragulorum conditio, horum enim multitudine obrui ægrotantem malignis sub morbis & *variolis*, ut illius exitio vertitur, hâc parte levari illum medentis erit sapientiæ; quò spectat adhuc medentium industria, jubendi in stramentis esse ægrotos quos *hæmorrhagiæ* enecant, tum jacere eos in culcitâ, non lanâ sed equorum jubis factâ, sub iis omnibus morbis æstuosis, qui sic quoque temperari indigent. Cæterùm has observatiunculas non despicies, si memineris melioris notæ inter veteres Medici (*a*) consilium fuisse servandos esse ægros ab omni curâ *domesticorum*, jubendo eos fieri *securos* ab eo omni quod ab *externis* rebus veniendo *lacrymas* illis *excitaret*; unde *si quid* simile *incidit*, *notitiæ ægri* (quod præsentium officii est) jubetur subtrahendum.

APHORISMUS II.

Ἐν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, ἢ τοῖσιν ἐμέτοισι, τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἰὼ μὴ, οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρων), ξυμφέρεται, ἢ εὐφόρως φέρεται· ἰὼ δὲ μὴ, τἀναντίον. Οὕτω δὲ ἢ ἡ κενεαγγείη, ἰὼ μὴ οἷόν δεῖ γίνεσθαι, γινομένη), ξυμφέρεταί τε, ἢ εὐφόρως φέρεται· ἰὼ δὲ μὴ, τἀναντίον. ἐπιβλέπειν δὲ δεῖ ἢ χώρῃσι, ἢ ὁρμῇσι, ἢ ἡλικίῃσι ἢ νούσοις, ἐν ἧσι δεῖ, ἢ μή.

In perturbationibus alvi, & vomitibus sponte evenientibus, si quidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: sin minùs, contrà. Sic & vasorum evacuatio, si quidem, qualem fieri decet, fiat, confert, & facile ferunt: sin minùs, contrà. Respicere igitur oportet & regionem, & tempestatem, & ætatem, & morbos, in quibus convenit, aut non.

TRADITURUS *Hippocrates* quæ ad medendi usum posteris tenenda sunt & observanda, ab evacuationum doctrinâ auspicatur, eruditurus eos de illo remediorum genere, quod ut efficaciæ plus aut utilitatis in medendo habet, ita medentibus & plus objicit erroris & ægrotantibus afferre potest

plus

(a) *Cels. lib. VI. pag. 558. lib. III. pag. 127.*

plus periculi: cumque medendi finis & officium sint ægri levamen, hanc ponit artis ille sapiens principem in evacuationibus instituendis regulam, scilicet vacuationes in tantùm laudabiles esse censendas, in quantùm conferunt ægro, qui illas facilè fert & hinc allevatur. Hîc autem ut securum medentem faciat, innuit ab ipsâ naturâ hanc accepisse legem, quam didicit ab illis *vomitibus* aut *turbationibus alvi*, non quas medicatio protulerit, sed quæ spontaneæ fuerunt: unde dictante naturâ ad evacuationis utilitatem, triplicem conditionem exigit *Hippocrates*, 1°. à naturâ dirigatur. 2°. Ægro conferat. 3°. Illam sustineat cum *euphoriâ*. Ergòne ab unâ operante naturâ, feriante Medico, evacuationes expectabuntur? Illam cogitatûs iniquitatem sic avertit *Hippocrates*, *in purgationibus* (*a*) *talia è corpore sunt ducenda, qualia etiam sponte prodeuntia utilia sunt*. Purgationis ergò dogma hîc habebitur, ubi naturæ doctus exemplo *Hippocrates* edocet instituendam esse purgationem ejusmodi, cui annuat natura, quæ ægro prosit, & facilis sit, quæ omnia ut contingant necessum est, ut qualia oportet, excernantur.

Quòd enim sedulò observabis, in exponendo apud *Hippocratem* vacuationum genus, quo enormis humorum copia profundi solet (*vomitum* intellige & *diarrhœas*) de quantitate ne quidem adhibet *Hippocrates* voculam ut illa commendet, de qualitate unâ unicè sollicitus. *Qualia autem oportet*, id est, illius fiat evacuatio humoris, qui loci conditioni congruat & morbi ingenio, imò ad qualitatem hanc spectat solitus viarum ductus aut nativa *directio*. Quid enim à *vomitu*, aut *diarrhœâ* expectabis boni, si *bilis* loco, quæ morbi ingenio conveniret, sanguis uberrimè profundatur? Quid si loco humorum chylus eliminetur? ampliùs, fæcum excretioni à naturâ dicata intestina sunt, at verò si quæ deorsùm ad alvum detrudenda erant, sursùm & præposterè ad stomachum ferantur, talisne erit isthæc evacuatio qualem esse oportet?

De aliis spontaneis evacuationibus idem observavit *Hippocrates*, quales eæ sunt quæ vasis propriæ magis videntur, cujusmodi *hæmorrhagiæ*, *sudores*, *transpiratio*, *urinæ*, tot evacuationes, quæ si fiant quales illas esse oportet, conducibiles ægro vidit artis princeps: tales autem sunt quales oportet, si tempore suo, per loca convenientia, & ad morbi ingenium se prodant, hocque ad exemplum, & juxta has conditiones, illis evacuationibus evocandis allaborabit Medicus, iis omninò diffidens, si illis defectæ sint clausulis, utpotè quæ ægri damno fiant & *adversis avibus*. Reipsâ quantùm ominosæ sunt nascente morbo sudationes & diarrhœæ? quantùmque à se dejectæ & ab ordine suo naturæ argumentum est per nares, os, aut intestina prorumpens sanguis qui per uterum in fœminis, & per *hæmorrhoides* in viris debuisset exilire? quod adeò periculosum *Hippocrati* compertum fuit, ut illas vacuationes naturæ contrarias & inimicas pronuntiet aut difficiles, quas ideò comprimi jubet. *Contrario* (*b*) *modo prodeuntia, sistenda*.

Porrò conferre vacuationem intelliges, quæ *symptomatis*, causâ cujus à naturâ vel arte illa suscipitur, solutioni fit aut remedio; adeò ut vacuationem quamlibet exitialem putaveris, quâcum *symptomatis* aut morbi malitia perseverat, illinc elabi concipitur aut meliorum succorum partem, aut saltem

(a) *Aph.2.sect.IV.* (b) *Aph.2.sect.IV.*

saltem alium humorem ab eo qui morbum fecit & alit, quapropter nihilominùs in affectâ parte *apostasin* aut *abscessum* cumulatum iri expectabis: similiter ergò quamcunque humorum copiam, medicamine quolibet exhibito obtinueris, salvo morbo ægrum perdes, quandiù perget morbi aut symptomatis semper eadem pernicies; *purgantibus* enim, *sudoriferis*, *expectorantibus*, *diureticis* totus colliquescit ægrotans, quem obstinatè *febris* urget, quem pungit *pleuritis*, *peripneumonia* premit, implet *hydrops?* succis vacuus, malis autem morbi cumulatus vitâ cedet.

Concludit *Hippocrates*; *respicere igitur oportet*, *& regionem*, *& tempestatem*, *& ætatem*, *& morbos in quibus convenit aut non*, *in rebus* (a) *enim multùm inter se differentibus*, *minimè perpetuum esse præceptum temporis potest*. Regiones ergò sunt, tempestates, (*est enim proprium* (b) *aliquid loci & temporis*) ætates & morbi quibus suæ sunt propriæ magis evacuationes, ad hasque singulares convenientias ordinare evacuationes, illarum est solidare successus. *De regionibus*, suam quisque noverit ex observationis, aut rei veritate non vulgi errore; de *tempestatibus*, rescisat quilibet *purgationem* arceri & venæsectionem, ni urgeat casus, quando ardet aer aut friget admodùm: de *regionibus*; *non enim omnes* (c) *loci eadem auxilia ferunt*, *eò quod non omnis ambiens nos aer* similis sit: de *ætatibus*, tenella (quæ infantium est) *catharsi* non adeò læditur, sed venæsectionis, ubi febris, tormina, vel tussis, id est, horum alterutrum graviter afficit, tam promptum & præsens sentit beneficium, ut confestim juvetur: de *morbis* denique publicum est communem ferè omnibus esse *transpirationis* restituendæ necessitatem, intereà dum hæc succedat, vel cadat successu, vicariæ aliæ vacuationes sunt cuique addictæ morbo, quæ accersendæ, talis est sputatio pulmonum morbis, febribus *inflammatoriis* venæsectio, hydropicis affectibus *diversis*, viscerum obstructionibus, impedimentis, *cacochyliis*, cerebri soporosis & *spasmodicis* affectionibus purgatio; hæc hisque similia docuit usus, fidusque tenebit qui ad *Hippocratis* mentem, quæ experientiæ, consilii & sapientiæ est, artis optaverit felicitatem.

Mille locis has tradit iteratque *Hippocrates* curarum conditiones, adeò ad usum artis necessarias compererat, quibus alteram quæ sexûs est, adjungit, *considerare* (d) inquit, *oportet etiam naturas mulierum*: reipsâ in his naturæ mutari sueseunt pro vario illarum statu, sub quo nuptæ aut innuptæ, mensibus donatæ aut defectæ, nutrices aut puerperæ, unde veniunt respectus multiplices quibuscum componi debent evacuationum genera, modi, rationes. Unde sic concludit apud *Hippocratem Democritus*, (e) *oportet igitur Medicum non solùm visu affectiones judicare*, *sed etiam reipsâ: & rythmos ac consonantias ut plurimùm indagare . . . . & differentiâ*, *ac anni tempore & ætate observatâ affectionem curare.*

APHO-

(a) *Celsi. lib. III. p.* 119. (b) *Celsi. præfat. p.* 18.
(c) *Hippoc. orat. Thessal. fil.* 41. 12. (d) *Hippoc. de morb. mul. II. Sect. IV. v.* 1.
(e) *Epist. V.* 27.

APHORISMUS III.

Ἐν τοῖσι γυμνασικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον δέξιαι σφαλεραὶ, ἢν ὦσιν ἐχάτω ἔωσιν. οὐ γὰρ δυνατὸν μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. Ἐπεὶ δ' οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδὲ τι δύναται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπει ἢν ἐπὶ τὸ χεῖρον. τετέων ὧν εἵνεκα τὴν δέξιν λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψι λάβῃ τὸ σῶμα. μηδὲ τὰς ξυμπλώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν· σφαλερὸν γάρ· ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ἐκφορήσειν, ἐς τοῦτο ἄγειν· ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραί· καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί.

In exercitantibus boni habitus ad summum progressi periculosi, si in extremo fuerint. Non enim possunt in eodem manere, neque quiescere. Cùm verò non quiescant, neque ultra possint in melius proficere, reliquum igitur in deterius. Horum igitur causa bonum habitum solvere confert haud cunctanter, quo rursùs renutritionis principium sumat corpus. Neque confidentiæ ad extremum ducendæ: periculosum enim: sed qualis natura fuerit ejus qui perferet, eò usque ducendæ: sic & evacuationes ad extremum ducentes periculosæ. Et rursùs refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ.

DIssuros sermones esse fermè putares *Hippocratis Aphorismos*, ceu crudum aut indigestum adversariorum genus, tam parùm tertio huic cum antecedente secundo convenire videtur! Quæ enim disparata magis, quàm quæ corporis *exercitationum* sunt, ad corporis *evacuationes*? At imò hinc habes *Hippocratis* scribendi vis argumentum, imprimis *Aphorismorum* illius libri, qui operum mentis exemplo, non statim & semel expromit omnes quos celat sensus; dum enim suas omnes intuitu primo palam faciunt amœnitates elegantiarum opera, quæ eruditos vocum ludos sectantur verborumque lepores, rogari pluries aut interrogari amant opera mentis, ut sua quæ condunt, revelent sensa. Quod ergò in secundo *Aphorismo* de evacuationibus inchoavit *Hippocrates*, in hoc tertio ut decet meditato absolutum intelligetur, ex traditâ illic ratione quâ restitui postulat, cum tardat aut impeditur, quæ præ cæteris copiosior longè est & ad sanitatem necessaria magis evacuatio. Hæc *insensilis transpiratio* est, quæ cùm observante adhuc *Hippocrate* (a) palæstrâ promoveatur, periculum eò majus *athletis* aut exercitantium corporibus apportat si impeditur, quod eâ utuntur *athletæ* vivendi consuetudine, quæ uberiorem parat transpirandæ materiæ copiam, quæque illius evacuatione indiget magis. Sed hæc æquè vera sunt de habitu quovis *athletico*, qui *si in extremo fuerit*, *periculosus* valde fit, utpotè cum illuc progrediatur, non tan-

(a) *Lib. VI. Epid. Sect. V. text. 2.*

tantùm à cumulo illorum succorum facto qui copiosiùs evacuari debent, sed & à cumulo facto ubi congeri solet ejusmodi succorum copia major : cutem intellige cum substratis carnibus, ubi copiosior tantò habetur succorum quantitas, quantò abundantior succorum copia continetur in minimis aut capillaribus, quàm in majoribus vasis ; porrò in majoribus vasis, contentæ perhibentur 25. fortassis sanguinis libræ, dum in capillaribus (unde conflantur carnes) contentæ numerantur (*a*) 60. & ampliùs succorum nutritiorum libræ; hinc *boni habitus*, corpora namque perpasta benè, & bellè saginata florent oculis, sed intùs sordent, *aliter* (*b*) *enim se habere corpus atque consuevit, non in pejus tantùm, sed etiam in melius*, morbi proximè futuri signum prodromum est. *Ergò* (*c*) *si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet* ; ut enim *quibus corpus benè perspirat*, (*d*) *ii imbecilliores & salubriores existunt ; quibus malè perspirat, ii priusquam ægrotent robustiores fiunt*. Robustiores autem ideò fiunt quòd crescente in horas & dies *fluidorum* in capillaribus à *transpiratione* restantium quantitate, insurgendo quoque crescit *solidorum elater*, qui tandem victus fatiscit, *extremumque* pariendo *boni habitûs* gradum, præsens post se trahit *periculum, cùm in hoc optimo corporis habitu* (*e*) *affectionum periculum manifestum sit*. Cùm enim dum valet homo, ferientur nusquam vivendi causæ, proximæ assident ægrotandi rationes, ex eo quod *fieri non possit ut spiritus* (*f*) *consistat, sed eum sursùm ferri sit necesse, venæ* (*g*) *enim apertæ sunt, & suscipiunt, & dimittunt novum humorem ; inter se omnes communicando, mutuò confluunt* (*h*) ; *ab unâque multas propagines* (*i*) *emittendo, spiritum, fluxionem & motum, exhibent* ; hinc fit *ut carnes* (*k*) *ex ventre & extrinsecùs attrahunt*, morborum materies ; cumque *dicat sensus ipse corpus totum tam foràs quàm intrò* (*l*) *spirabile esse*, reliquum est ut *venulæ sanguinis multitudine*, quæ succorum à transpiratione impeditâ remeantium *stases* sunt, *calidiores effectæ, æstuosum quoddam producent, confestimque excernendo* intrà viscera eructent & quòcunque profundant.

Ex his concipere est auctò nimiùm corporis habitu à restagnantibus succis, partium inquies quædam enascitur, vel irrequies illarum *systalticæ* virtutis, quâ fit ut in stagnatos succos jugiter eluctentur, hinc *non possunt in eodem manere, aut quiescere*, succorum residium molestias depellere à se continuò satagentes ; cum verò *non quiescant, neque ultrà possint in melius proficere* refluos illos succos per *transpirationem* extrudendo, (*m*) *reliquum igitur in deteriùs*, id est, langueant & superentur, sed *ubi sistitur ac intercipitur spiritus*, ceu ubi labascit partium *systole, pars ea ad motionem impotens redditur, spasticam diathesin* contrahendo; unde torpores ad motum, anxietates, *& lassitudines* (*n*) *spontaneæ quæ morbos prænuntiant* : enimverò ex mille corporis par-

(a) *Vid. Keill. tentam.*
(b) *Cels. lib. II. pag. 48.*
(c) *Ibid.*
(d) *Hippocr. lib. de alim. p. 362.*
(e) *Hip. epist. ad Damag. v. 209.*
(f) *Id. de morb. sacr. p. 207.*
(g) *Id. de morb. IV. sect. XI. v. 15.*
(h) *Id. de loc. in hom. p. 401.*
(i) *Id. de off. nat. p. 247.*
(k) *Id. lib. VI. epid. sect. VI. text. 1.*
(l) *Ibid.*
(m) *Id. de morbo sacro. p. 287.*
(n) *Aph. II. 5.*

partibus regredientes inutiles suâ exuperantiâ, suâque elocatione molestantes succi, non numerabiles fundant aut parant ægritudines.

Igitur his impendentibus tam multis malis ut occurratur, *haud cunctanter* danda opera est, juvabitque non mediocriter *bonum habitum solvere*, faciendo ut qui hærent cumulanturque succi, vel à capillaribus vasis ad majora remeent, communique & publico sanguinis circuitûs fluento restituantur, vel ad ultima cutis *secretoria* ire pergant, & per *transpirationem* abire jubeantur; quo obtento laxatæ partes & expeditæ, ad suum redeunt (quod oscillandi & terendi est) naturale officium, sicque triti meliùs aut subacti succi nutritii, panduntur latiùs, longiùs pelluntur, distribuunturque faciliùs; *renutritionem* vocat *Hippocrates*, quæ jugis est & insitus partium labor, quo alescunt indesinenter, eam apponendo sibi succi nutritii portionem, quâ egent ut insuccando se molleścant, superamentum hinc emergens ad *transpirationem* ablegando. Illum autem *bonum habitum solvi* jubet *haud cunctanter*, id est, illorum remediorum operâ quæ succorum *stases* & vasorum impedimenta solvere citiùs valebunt, ea proin seligendo, tum quæ in sanguinem agunt immediatiùs, tum quæ vasa immediatiùs inaniunt: at si memineris *transpirationis* materiem esse à quâ impeditâ crescit immensùm corporis habitus, ab *Hippocrate* traditum recordaberis quoque *corporis* illam *evacuationem cursu* promoveri *palæstrâ & obambulationibus*, in his ergò invenies *solvendi*, præcavendi tamen meliùs *boni habitûs* propria instrumenta: intereà cùm ad dissipandum cumulum quemvis potentius nihil est, quàm hinc materiaturam, unde illi fieret initium, suffurari, resecare illinc quod factum cumulum minuet, in hoc venæ sectionis, in illo diætæ præstantiam illicò recognosces, annonam enim comprimente parcimoniâ victûs unde alescebat bonus habitus, copiam unde creverat succorum rescindente *phlebotomiâ*, solutum iri illum *haud cunctanter* necessum est.

Sed *dum vitant vitia stulti in contraria currunt*, quod committi vetat *Hippocrates*, medicum monendo, ne *Charybdin vitans incidat in Scyllam*. *Boni habitûs* contrarium vitium est partium collapsus aut *concidentia*, illìc enim *stricti* vitium est, hìc *laxi*; cavendum ergò medenti consulit, ne *bonum habitum solvere* immoderatiùs satagendo medicus, partium resolutionem inducat, laxitatis nempe aut *atoniæ* genus, quod à præcipiti nimis aut copiosiori factâ evacuatione obvenit, venæ sectionis exemplo, quæ in corporibus *plethoricis* primò facta *lypothymiam* accersit, quamvis eadem venæ sectio pluries eodem currente morbo repetita incommodo huic non obnoxia sit: vasorum enim collapsûs aut *concidentia* genus est quod inducit venæ sectio prima sub *plethorico* habitu (qui ad *athleticum* accedit) instituta, sub illo enim corporis statu inanita celeriùs majora vasa, & priusquam in hæc decapulandi tempus minimis factum fuerit, intrà majora à tardante capillarium refluxu, momentanea *ecclypsis* circulationi sanguinis fit, unde *lypothymiæ* sensus. A simili minimorum vasorum, ubi *boni habitûs* sedes est, *concidentiâ* metuendum medico admonet *Hippocrates*, ne immoderatiùs vel evacuantibus, vel parciori diætâ (quæ *Hippocratis* temporum culpa esse potuit) exinanita nimiùm minima vasa *tono* cadant, hocque discrimen incurrant, quod à *tenuiori* majus est, quàm à *paulo pleniori* (a) *victu*.

(a) *Hipp. aph. I. 5.*

Intereà naturam ubique speculandam medenti offerens *Hippocrates* naturæ speculator assiduus, ægrotantis cujusque naturam hîc explorari jubet, cùm enim singulorum corporum sui sunt & singulares *habitus*, adeò ut graciles alii sint & tenues, alii pingues & crassi, curabit medicus, ut suus cuique & naturalis redeat aut servetur habitus, pinguedinis incuriosus in eo qui naturâ suâ gracilis est, corpulentiæ restituendæ in alio curax, qui corpulentus natus est; gracilitatem denique in omni temnens qui gracilis vixit; verbo *qualis fuerit natura illius qui perferet*, ceu qui curabitur, *eò usque ducendæ confidentiæ*; quasi diceret, evacuationibus extenuabitur habitus illius qui pinguior factus fuerit, usque dum ad suam partes redierint molem, mensuram, habitudinem: suadente sic *Hippocrate*, in medicinâ quoque suum esse modum, ultrà citràque non esse medenti pergendum, modique illius obtinendi rationem simul edocet, monendo ut sive *adjiciendum sit aut reficiendum*, sive sit *subtrahendum vel evacuandum*, à rerum extremo utrinque abstinendum esse, sic tractando evacuationes, sic *refectiones* temperando, ut hinc illinc ad suum partes *tonum* regrediantur aut modulum. *Sic & evacuationes .... & refectiones ....* &c. *Medicina* (a) *enim eorum quæ superant substractio est, eorum verò quæ deficiunt adjectio.*

APHORISMUS IV.

Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαι, καὶ ἐν τοῖς μακροῖσιν αἰεὶ πάντεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, ἢν μὴ ἐπιδέχηται, σφαλεραὶ, καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφίσμεναι δίαι, χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πλησιώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφισμέναι, χαλεπαί.

Tenuis & exquisitus victus, & in longis morbis semper, & in acutis, ubi non convenit, periculosus. Et rursùs ad extremum tenuitatis progressus victus, difficilis. Nam & repletiones ad extremum progressæ difficiles sunt.

HIPPOCRATIS dogma ad medentes est; *contractam* (b) *victûs rationem diù non præscribant*; hujusque ad normam hoc aphorismo perstringit eos qui in curandis morbis victûs parcimoniâ abutebantur. Illis autem temporibus familiaris erat diætæ genus, quæ *exquisita* dicebatur, id est *accurata*, quæ in eduliis parùm nutrientibus consistebat, fermèq; *ptisanæ succo*: quâ de diætâ legem 1°. dicit *Hippocrates* universalem; illam nempè diætam non convenire morbis *chronicis*; 2°. alteram particularem, *acutorum* nempè nonnullis tantùm aut illorum nonnullis tantùm conditionibus congruere; *acuti* autem illi, ii sunt qui *peracuti* vocantur, illorum autem *acutorum* conditiones sunt *labores* & anxietates quibuscum enascuntur *acutorum nonnulli*; pronuntiat ergò diætam exquisitam convenire tantùm *acutis*, aut quandò *peracuti* illi sunt, aut quandò *extremos habent* (c) *labores*: sed altera quoque tunc temporis erat diætæ species, quæ *extremæ tenuitatis* erat, sub quâ *melicratum* fortè indulgeba-

(a) *Lib. de Halib. p. 273.* (b) *Præcept. art. XI. v. 4.*
(c) *Aph. sect. I. 7.*

gebatur; quod autem frequentius erat, in inediâ tota ponebatur, cujus discrimina ex eo deducit, quòd *repletiones ad extremum progressæ* periculosæ sint; quasi diceret *repletiones* difficiles sunt, tum quia *boni habitûs* exemplo illis obnoxiæ sunt periculis quæ modò in aphorismo tertio exposita sunt, tum quia patent discriminibus quæ posthàc in *aph.* 39. sect. VI. exponenda sunt, *convulsio fit à repletione aut evacuatione, ita & singultus.*

APHORISMUS V.

Ἐν τῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες· διὸ μᾶλλον βλάπτονται. πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα, ὃ ἂν γίνεται, μέγα γίνεται μᾶλλον (ἐν τῇσι λεπτῇσι) ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι. διὰ τοῦτο τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραί αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν μικρὸν ἁδροτέρων.

In tenui victu delinquunt ægri: ob id magis læduntur. Omne enim delictum, quod committitur, multò majus fit (in tenui) quàm in paulò pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosus est valdè tenuis & constitutus & exquisitus victus; quia delicta graviùs ferunt. Ob hoc igitur tenuis & exquisitus victus periculosus magis quàm paulò plenior.

EJUSDEM doctrinæ est quintus hic aphorismus, quo præcavet *Hippocrates*, ne medentes suos enecarent inediâ ægrotantes, quos tenuiori diætæ astringebant, unde magis quàm à morbo suo lædebantur, facto nempè sic præpostero partium collapsu, qui præ cæteris quæ ægro impendent malis, exitiale malum maximè est; periculosumque magis delictum hinc est, quàm à pleniori victu, cujus peccamina in tantùm facilius emendari possunt, in quantùm tempore breviori indigetur ut depleantur partes quàm ut *renutriantur*; tum quòd partium *tonum* aut *elaterem* deprimere valeas celeriùs quàm erigere illum aut restituere. Hæc autem diætæ tenuioris tam certa sunt pericula, ut illis quoque objiciantur non tantùm qui sani sunt, si constanter perseverent in tenuiori diætâ, sed & diætæ ejusmodi noxas experiantur evidentiùs, in eo quòd in sanis functiones citiùs à parciori victu labefactari videantur, quàm in ægris humorum coctiones, quæ illinc clam & sensim tardatæ, victûs tenuioris culpas tardiûs produnt & tolerantiùs. Unde affirmando concludit *Hippocrates*, *tenuis*, &c.

Sed, inquient, quid ad nos aut tempora nostra repetitæ toties illæ de *tenuiori victu* cautiones! cùm ab illis veterum tam longè recesserint nostri medendi mores, ut aliorsùm declinando, uberiorem cibatum ægris fortè concedant. At ut ut hæc vera sint, tantùm veritate turgent *Hippocratis* consilia, ut quæ ex verborum sono cassa videntur, ex sensorum pondere fiant æstimabilia. His omnibus ergò cautionibus ille utitur, posteros eruditurus, nihil es-

se unde tantùm medenti metuendum sit, quàm à partium collapsu, & vasorum minimorum *consistentiâ*, quorum operâ *renutritio* fit, succeditque sanitatis redintegratio; ideòque nihil esse cui tantâ curâ invigilandum sit, quàm ejusmodi vasorum tuendo *tono*, servandæque plenitudini, utpotè quæ exinanita nimis, illius succi ad majora vasa refluxu, sanguinis circuitum defraudent, absque quo refluxu perennari nequit sanguinis motus; hinc enim subsidunt carnium vascula, quæ sic compressa nimiùm & *elatere* minuta, oscillando segnescunt, habitûsque vasorum cum illis, quæ centri sunt corporis, rumpendo tardandoque commercia, aut certas inducunt mortis causas, aut non incertas ægritudinum origines. *Consistentiæ* genus illud est, quod reverâ his temporibus non committit victûs parcimonia, sed quod infert sæpiùs humorum jactura aut deprædatio, quam facit illorum remediorum abusus, à quibus succi qui carnium vasculorum inquilini sunt, temerè profunduntur: *lymphatici* hi succi sunt, quos eliquando *purgantia*, *sudoriferaque* remedia, quæ crebriora si fuerint aut inopportuna, vasorum illorum *consistentiam* accersunt, illorum pessumdando *elaterem* & *tonum* frangendo, hâcque malâ arte perdito aut cedente eo, quod magna inter & minima vasa constitere debet æquilibrio, perit circulationis sanguinis tenor, aut æquabilitas, suumque deest vitæ proprium & singulare instrumentum.

Nos adhuc erudiunt gravia isthæc *tenuis victûs delicta*, illis non inobservata medicinæ temporibus, ubi *diætetice* vulgatior erat & usitatior, quàm brevis & curta esse solebat illa (tantùm aliunde laudabilis) medicinæ pars, ideò certè, quòd ad sanandum parùm proficitur iis unicè remediis (cujusmodi diæta est) quæ in *fluida* magis agunt, in *solida* minùs: alicunde tamen adhuc manca est *diætetice*, quantumvis enim valeat ad siccandos morborum fontes, emendandaque humorum vitia, inepta est ad suis emovendos sedibus morbidos humores, ad mutandas illorum *determinationes*, solvendos contactus, *stases* dissipandas, aliò tandem avertendas morborum causas; quæ beneficia, si remediis desint, ut ut humoris ingenium non situm mutent, non numeranda *stagnationum*, obstructionum, similiumque à morbis superamentorum linquunt seminia.

APHORISMUS VI.

Ἐς ὃ τὰ ἔσχατα νοσήματα, αἱ ἔσχαι θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείλω κράτισται.

Ad extremos morbos extrema remedia exquisitè optima.

DE rerum *extremis*, ubi à medicaminibus abstinendum est, sermonem habuit hactenùs *Hippocrates*; hîc autem de *extremis* morborum admonet, ubi medico agendum est: enimverò ut ut cessare medicum velit, ubi agere piaculum foret, eundem cogit ad opus, ubi cessare ignavia fuerit: *Medicamenta*, (a) inquit, *fortia*, *in debilibus* morbis dare non *oportet*, *neque* pau-

(a) *Hipp. de loc. in hom. art. LV. v. 7.*

paucitate medicamenti, *debilitas ipsius facienda est*. *Sed fortibus* (morbis) *fortibus medicamentis utendum est*; *cùm* (*a*) *vehementi malo*, *nisi æquè vehemens auxilium non possit succurrere*: Hinc *omnia* (*b*) *ex præsenti* (extremo) *statu transmovere*, *ægro tanti opitulatur*; *si enim quod morbum facit non transmoveris*, *augescit*; *omnia autem fortiora medicamenta transmovent*. *Cedro digna sententia*! in quâ totam artis industriam habes & artificis scientiam: hæc enim manca tamdiù & inabsoluta erit, quandiù in *alterandis* unicè, corrigendisve humorum peccaminibus defes conquieverit, nescia vel immemor, dimidium solùm facti esse emendasse morbidum humorem, quem à propriis *secretoriis* alienatum, suum in locum & ordinem reducere omiserit; verbo nisi *fluidorum* hùc illùc morbidè evagantium & emissorum errores castigando, *solidorum*, vi quorum emittuntur, oscillationes modulari non tantùm, sed & evibrationes compescere noverit, & in ordinem revocare. Morborum enim *extrema* putes extrema evibrantium *solidorum* conamina, aut nimios oscillationum à se dejectarum impetus, celeres, subitaneos, effrænes; quos si ad nutum siveris ire, curtus in medendo fies & infelix, quantumvis *alterando*, *diluendo*, *absorbendo*, *concentrando*, *fluidorum* emissitias infringere studueris.

Igitur hæc omnia operando medicus, morborum quoque *impetus frangere*, (*c*) minuere, declinare discet, sub eo in primis statu ubi in *extremis* fatiscens natura præsenti indiget & promptâ medici manu. Hic casus *periculosissimi morbi* est, ubi medico *audere* (*d*) licet aut *periclitari* (*e*); *si enim successerit*, *sanum facies*; *sin minùs*, *quod etiam aliàs futurum erat*, *id ipsum perpetitur*. In *extremis* ergò morbis *periclitandi* occasio est, quam invenisse, huicque defuisse nusquam, artis honos & peritia est. *Improbi namque medici dùm leniter affectos curant*, *in iis quidem si delinquant*, *plebeios latet*, *ubi verò in magnum*, *vehementem & periculosum morbum inciderint*, *tunc ipsorum ars* (imperita) *& errores sunt omnibus conspicui*. (*f*) Itaque sua morborum *extremis extrema* sunt remedia, quæ *exquisitè extrema* sint vult *Hippocrates*, id est, *exquisitè* morbi *extremo* convenientia; quibus conditionibus optima illa pronuntiat. *Exquisitè* autem convenientia dicito, quæ morbi naturæ aptè congruent id est morbi causæ, adeò ut ex hujus conditione definiendum sit illud remedii *extremum*, ceu apta morbo remedii energia. Sagacitatis ergò medici erit internoscere, hujusne vel illius humoris *stasi* imputanda sit morbi gravitas, ut hujus aut illius vacuantis, *purgantis*, *stimulantis*, eliquantis, *fundentisve* remedii fiat delectus. Sed alterum adhuc est *extremi* remedii genus, quod ex præcedentibus *aphorismis* exploratum, de *extremæ tenuitatis* victu interpretaberis; quasi diceret *Hippocrates*, attamen si ea ratione *extremus* fuerit morbus, ut illi delendo *exquisitè* respondeat *exquisita* diæta, quæ inedia erit, hæc quoque adhibenda erit, quod hinc sequentibus aphorismis apertè declarat.

APHO-

(a) *Cels. p.* 84. (b) *Hipp. de loc. in hom. LV. 1. &c.*
(c) *Cels.* (d) *Id.*
(e) *Hipp. de loc. in hom. art. XXXVI. v. 14.*
(f) *Hipp. de vet. med.*

APHORISMUS VII.

Ὅκου μὲν κατοξὺ τὸ νόσημα, αὐτίκα τοὺς ἐκάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐκάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι, ὅκου δὲ μή, ἀλλ' ἐνδέχεται ἀδροτέρως διαιτᾶν, τοσοῦτον ἐπικαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μᾶλλον ἀκοτέρη τῶν ἐκάτων ᾖ.

Ubi igitur peracutus est morbus, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu uti necesse est. Ubi verò non, sed pleniùs cibare licet, tantùm à tenui recedendum, quantùm morbus remissior extremis fuerit.

EXtremum hîc dicit *Hippocrates* morbum qui *peracutus* est, *extremumque* hujus remedium, *extremè tenuissimum victum*, qui veteribus medicis inedia erat; *cum* enim (*a*) ut adhuc habet, *morbi vigent, & in inflammationibus consistunt, non fas est cibum offerre*; quem si *febricitanti dederis, ut sanis robur, sic ægris infirmitas*. (*b*) Huic per inediam medicinæ pretium fecerat veteribus, insueta illis aut incomperta per vacuationes medendi ratio, qui sanguinis circuitûs rudes adhuc, mittendi illius rationes callebant minus *purgantibusque* defecti ægris tolerabilibus, ad inediam aut *extremè tenuissimum victum* confugiebant, quod evacuationes *negativæ* genus erat, promptæ tamen & expeditæ, in quantùm humorum fontes, sic præscindendo, illius qui morbum facit *stasin* solvebant. Ars illis hæc erat, *nervorum elateres molliendi*, laxandi *spasmos*, oscillationumque furores & impetus minuendi; pabulo enim pauperatæ partes necessariò flaccescunt, unde tractabiles factæ partium fibræ, diametriq; vasorum redditi capaciores oscillant expeditiùs, hærentesq; aut stagnatos succos, subigendo, coctiones *solutiones* aut crises accelerant. Hanc cibandi normam enucleando *Hippocrates*, edocet non sic obstinatè inhærendum *tenuitati victûs*, ut in illâ ægro pergendum sit indiscriminatim in omni *acuto* morbo, aut toto *peracuti* decursu; si enim non *peracutus fuerit*, statim atque transactis *extremis laboribus*, qui *peracutum* morbum testantur, remittere incipiet (cum tunc *pleniùs cibare licet*) *tantùm à tenui recedendum, quantùm morbus remissior extremis fuerit.* Porrò *extremi labores* qui *peracutum* faciunt aut ostendunt morbum, gravia sunt *symptomata*, cujuslibet fuerint generis, quæ fortem naturæ cum morbo luctam significant, sub quâ fit cita mors aut victoria. Veloces, impetuosos, & *spasticos* intellige *solidorum* ictus, quos provocant *fluidorum* hîc illîc in viscera factæ *stases*, quæ *sanguinis* aut *lymphæ nervorum* circulationi obicem ponendo, *extremos* illos *labores*, ceu urgentia ifthæc movent conamina: equidem fervente hoc certamine, sub quo definienda lis vitæ pendet, in tantùm tolerabilis cibi subtractio est, in quantùm alienatæ oscillationes calorem à nativo alienum accendunt, sive alium à naturali tritum, tam ineptum *coctionibus*, quàm iis impar est qui contrà naturam est calor; defervente autem hâc pugnâ, quod vincentis naturæ lignaculum est, suus cibatui redit locus, quia suus naturæ restituitur calor aut tritus.

APHO-

(a) *Hipp. lib. de acut. p. 372.* (b) *Id. Aph. 67. sect. VII.*

APHORISMUS VIII.

Ὁκόταν δὲ ἀκμάσῃ τὸ νόσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ χρέεσθαι.

Cum morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuissimo victu uti necesse est.

VIGET morbus cum intenditur; igitur generosè dimicantis, perbellèque se tuentis naturæ titulus aut argumentum est, hocque sub statu non ideò natura periclitatur, quasi viribus curta sit, aut imparem *elaterem* sortitæ sint partes, sed quod ab indebitâ & graviori mole insiliantur, impedianturve. Cogitabis humoris alicujus molem vasorum *diametris* majorem, in quam insurgendo *systaltica* vis, illam eluctari contendit, eo maximè temporis puncto, ubi cumulata succis hærentibus vasa ingurgitari periclitantur. Tunc temporis (quod vigoris tempus est) novis, cibando ægrum, opplere vasa succis, pro morbo militare erit, causas illius multiplicando & vires; contrà *tenuissimo victu uti necesse est*, tunc enim alimenta demere minùs ægrotanti est quàm morbo, cujus insultûs in tantùm debilitatâ vi, in quantùm futura insilientis materiæ molis fuerit imminuta, naturæ victoriam parare est aut comparare.

Alteram *Hippocrates* (*a*) *vigentibus morbis* tenuandi victûs tradit rationem, *tunc*, inquit, *in inflammatione consistunt morbi*; tunc ergò edulia præbere, igni effet addere flammas aut fomites suppeditare, maximè cum *coctus* tunc aut *maturus morbus non sit*, (*b*) inidoneus proinde admittendis nutrientibus succis, qui ineptè subacti verterentur ægri damno, morbique lucro apponerentur.

APHORISMUS IX.

Σκεπτέον δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νόσου, καὶ πότερον ὁκότερον ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει καὶ ἀμβλωθήσεται.

Considerare oportet etiam ægrotantem, num ad morbi vigorem victu sufficiet, & an prius ille deficiet, & victu non sufficiet, vel morbus prius deficiet & obtundetur.

UNum illud semper & ubique servandum est, *ut ægri vires medicus inspiciat, & quandiù supererunt abstinentiâ pugnet; si imbecillitatem vereri cœperit, cibo subveniat* . . . (c) *adeò perpetuum nihil est, sed semper pro*

vi

(a) *De vict. acut. art. XVIII. v. 11.* (b) *Ibid. art. XX. v. 9.*
(c) *Cels. p. 120.*

vi corporis æstimandum, ut imbecillitas etiam cibum protinùs facere necessarium (a) *possit*. Verba sunt secundi ab *Hippocrate* medendi inter principes medici, quæ hujus *Aphorismi* vim, & sensum sapiunt, quem apertè aliàs sic exponit idem *Hippocrates*, (b) *insuper & robur conjectandum est... detractionem enim ciborum tollere sæpe conducit, ubi suffecturus est æger, donec morbi vigor matureſcat*. Ad curandum ergò pyxis medica est virium status, ad cujus normam totum medentis laborem componi tam necessarium est, ut illo inobservato caducum futurum sit aut cassum quodlibet auxilium. In causa est *systaltica virtutis* necessarium opus ad *coctiones*, in quibus curatio consistit, seu *solidorum* vis *elastica*, quâ elanguente *fluida* torpent, in circulando segnescunt, segnescendoque latescunt, acent tandem, multiformibusque quas committunt *stasibus* viscera turbant, quæ *coctionibus* moras faciendo & ponendo obices, medentis funestant labores & medendi artem. Unde morbi curam inchoando medicus, *considerando in ægrotante, sufficietne* partium *elater* ferendis *fluidorum* impetu insultuve, usque dum ad *morbi vigorem* pervenerit, id est ad illud usque tempus, quò fortiùs naturæ dimicandum est. At victus beneficium illud est aut alimentorum, rore quorum benigno delinitæ fibræ, insuccatæque sensim, id contrahunt roboris, quod acquirit aquâ madefactus funis, cujus sic ingravidatæ cuneolis mille fabrillæ omnes ponderi immenso elevando æquiparantur. Hanc ad mentem victûs ratio *elateris partium* modulatio erit, seu *toni* illarum tuendi modus, juxta quem tensæ retensæve fibræ vim suam, aut *elaterem* ad tritum, oscillationem & coctiones moderantur. Medici ergò sapientiæ erit, ut humens modò, modò siccans sit victus, plenus vel parcus, iners aut actuosus, verbo plus minus valens, quippe cujus operâ deficiet priùs morbus quàm morbo non sufficiat æger.

APHORISMUS X.

Οἱ ὁκόσοισι μὲν ἔν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς ἀφαιτᾶν. ὁκόσοισι δὲ ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ὀλίγου μικρὸν ἀφαιρετέον· ἔμπροσθεν δὲ πιωτέρως ἀφαιτᾶν, ὡς ἂν ἐξάρκεση ὁ νοσέων.

Quibus igitur statim vigor adest, statim tenuiter alendi. Quibus verò in posterum vigor, his ad illud & paulò ante illud tempus subtrahendum. Anteà verò uberiùs alendum ut sufficiat æger.

AD aphorismos præcedentes appendix est, aut ducta ex illis consequentia. Monuerat *Hippocrates* tenuissimè alendos esse ægrotantes, ubi *peracutus* aut *vigens* est morbus, hocque monitum urgendo addit, *quibus statim vigor adest, statim tenuiter alendi*. Hoc est, à tenui victu morbi illius curam auspicabitur, qui statim & ineundo viget: dum è contrà aliquot tantùm

(a) *Idem* 295. (b) *De vict. acut. art.* XIX. v. 3.

tùm post diebus futurus vigor est sub illud tempus & paulò antequam advenerit tenuandus erit victus, sic ut tamen uberior alimonia concedatur usque dùm vigoris tempus accesserit, ne debilior inediâ præcoci factus æger, aut damno suo *vigoris* certamen ineat, aut quod adhuc infelicius erit, ne debilitate præoccupatus non attingat vigoris tempus. In his autem omnibus providentiam medico innui vides, utpote cum in arte medendi periculosum maximè sit ea non prævertere mala, quæ si contigerint ægerrimè possunt sarciri: sed ejusmodi sunt quæ à medentis industriâ minùs pendent ut arceantur, quam à virium constantiâ. Neque fucum hîc facient perperam intellectæ *fluidorum energiæ*, à quibus celerrimè vires illicò reparari posse contenderent; in *fluidis* enim cum unicè sint virium materies non causæ, quæ in *solidorum elateribus* consistunt, tam infidæ erunt aut tardæ ad restituendas de repente vires, vigoris tempore facto, *fluidorum* potentiæ, quam restitui difficiles sunt fracti semel *solidorum elateres*. Porrò ad nervos pertinent *solida*, id est ad illud partium genus, quas *spermaticas* antiqui vocabant, quarum vix emendabilia vitia sunt, suis enim una cum insitis potentiis creatæ sunt, arte ergò ut in intellecta, sic industriâ hominum aut arte non reparabili, Igitur ejusmodi venturis discriminibus anteire, medentis sapientia erit, ne quod imprudens futura permiserit mala, præsentia cum facta fuerint, invitus tolerare cogatur.

APHORISMUS XI.

Ἐν δὲ τοῖσιν παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρὴ· τὸ προστιθέναι γὰρ βλάπτει. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους, παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρὴ.

In exacerbationibus cibum *subtrahere oportet. Exhibere enim noxium est. Et quæcunque per circuitus exacerbantur, in exacerbationibus subtrahere oportet.*

FEbrienti *cibum ne offeras*, inquit Hippocrates, (*a*) effatum quod verum maximè fuerit de *paroxismis* aut *exacerbationibus*, quæ febrium febres sunt, conamina nempe quibus febres solvere nititur natura: ad *crisin* ergò quasi via est *paroxysmus*, quapropter quemadmodum *quæ judicantur* (b) *movere non oportet, neque innovare, sed sinere, putare* jubet *Hippocrates* (c) *in omnibus morbis .... maximè in his qui magis febriles sunt tempus* (paroxismi) *magnam vim habere*. Unde pronuntiat (d) *ægrotis dandos esse cibos post apprehensionem* (paroxismum) *ita ut* (medicus) *conjecturam faciat, ne febris à recens accepto cibo irruat, sed cibis jam concoctis*. Hinc inolevit medendi usus, ægros cibare eo morbi tempore, sub quo integrum magis corpus erat, hæcque tanta fuit principium artis religio, ut *augmenti, atque ac-*

C *ces-*

(a) *De loc. in hom. art. XXXIX. v. 1.* (b) *Aph. 20. sect. I.*
(c) *De vict. acut. art. X. v. 5.* (d) *De affect. art. LII. v. 15.*

ceſſionis tempore etiam aqua, quæ nullius eſt qualitatis, noxia perſpiceretur. (a) *perpetuum* igitur eſt, (aſſerente (b) *Celſo*) *ad quod conſilium omne dirigi poteſt, cibum quam maximè ſemper ab acceſſione futurâ reducere: & , hoc ſalvo, dare quàm integerrimo corpore. In exacerbationibus* ergò *cibum ſubtrahere oportet, exhibere enim noxium*, tum quod exacerbatio *vigoris* genus ſit & *laboris* ſub quibus non alendum eſſe juſſit *Hippocrates*, tum quod tempus cruditatis ſit, ubi dum coctioni vacat natura alimentum offerre, tam cogere eſt ad alienum à coctione opus, ſcilicet ad alimenti ſubactum, quo tempore vincendo morbido humori, ceu ſolvendæ morbidæ *ſtaſi* allaborat: unde conſequentia evidens hæc eſt, & *quæcunque per circuitus exacerbantur, in exacerbationibus ſubtrahere oportet*, ne cumulati, qui vitiarentur nutritii ſucci, in multiformes morborum fomites eluxurientur; non enim aliunde dimanant implicitorum, compoſitorumque morborum cauſæ.

APHORISMUS XII.

Τὰς δ' παροξυσμὰς καὶ τὰς καταστάσιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν φλεβίδων πρὸς ἀλλήλας ἐπιδόσιες, ἢν τε καθ' ἡμέρην, ἢν τε παρ' ἡμέρην, ἢν τε καὶ μᾶλλον πλειόνων χρόνων γίγνωνται. ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον, ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχυτῆτι· ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μακρότητι. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα, ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Exacerbationes autem & conſtitutiones indicabunt morbi, & anni tempora, & periodorum ad invicem collata *incrementa, ſive quotidie, ſive alternis diebus, ſive longiore fiant tempore. Sed etiam iis quæ* mox *apparent* eadem indicantur, *velut in pleuriticis ſputum, ſi ſtatim appareat veniente* morbo, *abbreviat: ſi verò poſtea appareat, producit. Et urinæ, & alvi excrementa, & ſudores, cum apparent, vel judicatu faciles, vel difficiles, vel breves, vel longos morbos* fore *indicant.*

Hinc vera venit medici muneris aut officii idea, genuinaque medicinæ notio, quæ non ponitur in colligendis rariorum obſervationum portentis, in quibus medicus mirari diſcit, non mederi: licet enim eventorum ſcientia ſit medicina, eorum hiſtoria eſt quæ naturæ ſolita ſunt & familiaria, in quibus ergò ordinem certum, ſolitamque ſeriem inveniri confidit nec immeritò medicus, hincque mutuari ſueſcit curandi regulas, obſervandique rationes. Mederi ergò obſervare eſt gravia imprimis ſymptomata, hæcque inter *exacerbationes*, harum nempe naturas, periodos, ordinem, *ex qui-*

(a) *Cælius Aurelian. de morb. acut. lib. I. p.* 145. (b) *Lib. III. p.* 126.

quibus edocti morbos dignoscimus. (a) *Itaque circa* (b) *principia morborum considerandum an statim florent*. *Clarum autem hoc fit ex incremento verò ex circuitibus .... itemque ex exacerbationibus, si citiùs accedant, aut non & si diutiùs durent, aut non: & si magis affligant, aut non*. Quas omnes *exacerbationum* circumstantias & rationes edisset medicus ex *morbis*, id est eorum naturis, quæ tales sunt ut in multis morbis suæ sint exacerbationum species, juxtà quas tardiùs aut celeriùs, longiùs aut breviùs, mitiùs aut fortiùs recurrunt; sed ad has medicus admetiendo victûs instituendi rationem, intelliget quanto illum tenuari oportebit. *Exacerbationum* aperient adhuc naturas anni temporum observatio, autumno teste, sub quo ambiguus adeò interdum est febrilium *paroxismorum* recursus, ut illa febris quæ insultu primo continua esse videbatur, paucis post diebus in intermittentium classem transeat. Cujus generis futuræ sint *exacerbationes* intelligitur adhuc ex illarum *incrementis*; quæ inter se collata, febris ostendunt ingenium, modumque tenuandi victus; sic sub *intermittente quotidianâ* febre, aliquot horis paroxysmum anticipare vides? propè in januis est *continua*, sub *tertiana* paroxysmi anticipant? in procinctu est *tertiana duplex*; sub hâc iterum? in *continuam* fiet transitus; qui sub *quartanâ* quarto die recurrebat *paroxismus* in tertium cadit? hic in singulos? ex *quartanâ quartanam duplicem*, ex hâc triplicem; ex triplici continuam expectabis; quæ omnia assequeris *conferendo incrementa, quòd quotidie, quod alternis diebus, quod longiore fiant intervallo*.

Ex aliis adhuc, quæ quibusdam morbis supervenire solent *symptomatis* non inutiles ad usum eruere datur observationes; singulatim ex *sputo* in *Pleuriticis*, quod si *statim cum nascente morbo prodeat, illum abbreviat*; *cane enim & angue pejor est pleuritis* sicca, sub quâ aridâ tussi quassatur pectus, tum quòd tussis istiusmodi causa sit *spastica diathesis* fortior, quâ pressa strictiùs pulmonis *excretoria*, ructant nihil; sed hinc (quæ discriminis altera causa est) auctior tanto fit succorum *stasis*, quanto minuitur illorum *excretio*; unde periculum imminet duplex, vel enim à stagnatis nimiùm *lymphaticis arteriis* ad sanguinales refluens *lympha*, molè quam addet sanguini *hæmoptysin* accerset, vel intrà vasorum tubulos cumulata, spirandi inferet difficultatem; hinc *pulmo non repurgatur*, (c) *nihil enim emittit*; *sed plenus fervet in gutture*; quæ omnia tam mala sunt, quàm *bona*, (d) *benè spirare, à dolore liberum esse, sputum facilè tussiendo rejicere*.

Et urinæ &c. .... à singulari evacuatione observandâ, ad generales transit *Hippocrates* moniturus boni ominis illas esse, quandò sub morbis pergere observantur: hic tantùm iis annumerat *urinas, alvi excrementa, sudores*, sed his alibi (e) adjungit, *ructus, flatus, spiritus*, (quò certè spectat *transpiratio insensibilis*) *sanguinis eruptiones, hæmorrhoides*. Hoc autem loco monitum accipies, quod præ cæteris ut necessarium est ad medendum feliciter, ita præ cæteris sæpiùs præteriri solet. Et certè quasi corporis evacuationes unâ feminarum causâ factæ fuissent de corporis evacuationibus solæ

(a) *Hipp. I. epid. sect. III. v. 1. 10.* (b) *Id. II. epid. sect. I. v. 24. &c.*
(c) *Hipp. prænot. art. XIII. v. 9.* (d) *Ibid. art. XIV. v. 7.*
(e) *Epid. sect. III. v. 12.*

fœminæ interrogari solent ; & quasi adhuc ex corporis evacuationibus alicujus ad sanitatem momenti solæ forent, quæ *utero* propriæ sunt, muneri suo defuisse sibi videretur Medicus, qui ineunte morbo mulierem rogare omisisset, restitentnè menses : illam *omissionis* culpam emendari vult *Hippocrates*, jugis ille & assiduus naturæ speculator, admonendo à corporis evacuationibus omnibus pendere facilem vel difficilem, tardam aut citam morborum solutionem ; ideòque de illarum omnium statu interrogandos venire cujuslibet sexûs homines. Equidem de evacuationum quarumlibet exuperantiis sollicitos videas Medicos, & hoc quidem ut faciendum laudabile est, sed quod non omittendum est, de illarum defectu interrogandos esse suadet ægrotantes. Reipsâ usu comperiet Medicus vix ullum esse gravem morbum, cui non præiverit alicujus ejusmodi evacuationum imminutio, quæquæ desinere pergens sub nascente morbo, indolem illius futuram aperit. Itaque ad ægrum ingrediens Medicus, *Hippocratis* consilio (*a*) eruditus, sciscitabitur quo loco v.g. sint *alvi*, *urinarumque* res, num se habeant uti sani moris erat, ut enim ex *lassitudinibus spontaneis prænuntiari morbos* intelligitur ab *impeditâ insensibili transpiratione* oriundos, sic ex facto ante natum morbum illarum evacuationum decremento, elicies quæ *excretio* delinquat, quodnam peccet viscus, quis humor in vitio sit. Hocque ideò tanti est medendi præceptum, quòd medentem edoceat, non mulieres solas de sanguinis evacuationibus interrogandas esse, *hæmorrhoides* enim sunt quæ in viris communes sunt, à quarumque absentiâ non pauciora quàm à mensium ecclypsi manare mala comperies.

Addit *Hippocrates*, quantæ ad medendum utilitatis erit evacuationum observatio, his verbis ; *ex his autem & quæ per hæc fiunt considerandum* : (*b*) immensas enim supervenire à morbo evacuationes, nihili erit aut damno, si morbi gravè symptomata, cujus levaminis causâ factæ à naturâ aut arte videntur illæ evacuationes, ægrum urgere pergat ; unde, inquit, (*c*) *omnia sputa mala sunt quæ dolorem non sedant* .... tùm *quicunque dolores* (d) *non sedantur neque ad sputorum purgationes, neque ad stercorum alvi subductionem, neque ad venæsectiones* &c. .... *eos* (morbos) *ad suppurationem verti sciendum est* : unde consequitur frustrà esse ad sanationem quaslibet evacuationum exuperantias, iisdem pergentibus, nedum relaxatis morbi doloribus aut molestiis ; ab harum enim pervicaciâ ducendum argumentum est, durare semper *spasticam solidorum diathesin* ; proindeque neç solvi *fluidorum stasin*, quæ cumulata tandem in *apostasin* lethalem desinet.

APHO-

(a) *Epid. sect. III. v.* 1. (b) *Ibid. v.* 13.
(c) *Prænot. art. XIII. v.* 14. (d) *Ibid. art. XIV. v.* 1.

APHORISMUS XIII.

Γέροντες ἀφορώτατα νηστείλια φέρουσι. δεύτερον, οἱ καθεστηκότες· ἥκιστα, μειράκια. πάντων δὲ μάλιστα, παιδία· τουτέων δ' αὖτεων, ὅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

Senes facillimè jejunium ferunt, secundò ætate consistentes. Minimè adolescentes. Omnium minimè pueri; ex his autem, qui inter ipsos sunt alacriores.

VICTUS tenuandi rationes hoc aphorismo prosequitur *Hippocrates*; hactenùs quidem tradidit illas quæ ad morborum naturas & tempora spectant, intereà jubendo habendam esse rationem *ætatum*, constitutionum, *temporum*, illæque sunt quas hìc aggreditur. Tenuis ergò ille victus, quem *jejunium* vocat, *senibus* convenit magis, cui *ferendo* pares esse eos ab usu didicerat: sed veritatis hujus rationem aperit senescentis corporis conditio, arescunt enim partium illius fibræ, sicque compressa vasa suos arctando diametros ampliùs insuccari recusant. Plenitudinis ergò status est senectus, sub quo ad nutritionis ἀκμὴν perductæ partes satiantur & in debito sibi *tono* consistentes segniùs oscillant, hâcque sorte suâ contentæ conquiescunt; pabulo igitur indigent minùs, faciliùsque carebunt, eâ enim virtute aguntur minùs quæ digestionibus aut coctionibus in adolescentibus vacat.

Eâdem de causâ tenuem victum facilè sustinent, qui consistentis sunt aut *mediæ* (*a*) ætatis, adultæ enim cum sint in illis partes satiantur, quatenus in his foveri potiùs indigent quàm enutriri; ut ergò in oscillando mitiùs laborant, minori indigent pabulo. De *adolescentibus* secùs est, crescunt enim adhuc, in diesque ad debitum sibi *tonum* assequendum nituntur; itaque illorum partes iis defraudare quibus adhuc egent fomitibus, furti erit crimen: crimen autem graviùs in pueros, si illorum morbos inediâ volueris emendare, maximè si fuerint pueri *alacriores*; sub hâc enim ætate, ut grandescunt adhuc, in explicandis, dilatandis, elongandisve partium staminibus indesinenter natura laborat, alimoniam ergò huic ætati rescindere, necessariam annonam præscindere est; insuper, præpotentem sub his annis *systalticam* virtutem sinere, est feriari, quæ si in *fluida* quæ subigat cesset exerceri, in *solida* furiatur, quæ deterit & depascitur: præcipue in *pueris*, *qui alacriores* fuerint, in quibus quò vividiores erunt oscillandi vires, furiatæ semel, in quas convertent se partes, eò sevient magis.

APHO-

(a) *Celsi.*

APHORISMUS XIV.

Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμὸν, πλείστης δεῖται τροφῆς· εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν· διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ἐπιθυμιάτων δέονται· ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο δὲ καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες· ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

Quæ creſcunt, plurimùm habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, ſin minùs, corpus conſumitur. Senibus autem paucus calor: propterea paucis fomitibus indigent, à multis enim extinguitur. Idcircò etiam febres ſenibus non ſimiliter acutæ. Frigidum enim eſt corpus.

PUeri *omnium minimè jejunium ferunt*, ut enim rebus, dum *creſcunt*, plurimùm adeſt illius virtutis quæ pandit & evolvit partes, quæ explicando ſe, creſcunt, ita pueris qui adoleſcunt plurimùm eſt *calidi innati*, id eſt, perpetuariæ illius aut oſcillatoriæ virtutis, quæ omnium corporis functionum, proindèque nutritionis opifex & author eſt: *Neceſſe* (a) *eſt enim augeſcens & ad vim procedens corpus calidum eſſe.* Pabulo autem indiget tam actuoſa virtus, quam *ignis impetui aquâ* temperando aſſimilat *Hippocrates*, (b) id eſt multo ſucco nutritio, quo defectum corpus perit aut conſumitur. Hic autem recognoſcas *Hippocratis* in medendo philoſophiam, quod enim obſervando inchoavit, abſolvit ratiocinando, optimè ratus, *non poſt inventam rationem, quærendam fuiſſe medicinam, ſed poſt inventam medicinam quærendam eſſe* (c) *rationem*; quòd ergò de *puerorum jejunio* uſu didicerat præcedenti tradidit *aphoriſmo*, quod de eodem à ratione tenet, hoc exponit poſteriori.

Senibus autem paucus eſt calor, paucum nempè *elateris*; meliùs pauca aut tarda in illis *ſolidorum* oſcillatio: *ubi enim corpus inceperit marceſcere*, (d) *delabitur in otium & frigidiſſimum evadit. Paucis ergò fomitibus indiget*, iners enim aut tarda coquendi virtus, ſub illorum coquendorum, coctiliumque difficilè ſibi ſuccorum copiâ fatiſcens extingueretur: eò potiùs, quòd marceſcentibus corporis ſenilis partibus, conniveant arctiùs cutis ſpiramina, unde ab introrſum repreſſis *tranſpirabilibus* ſuccis, cumulata ſanguinis moles, opprimi frequentiùs periclitatur.

Idcircò etiam febris ſenibus non ſimiliter auctæ, frigidum enim eſt corpus, acuti enim ut ſint morbi, opus eſt ut celeriter ſua percurrant tempora, quod cum à feſſinatis oſcillationibus expectandum ſit, à frigido ſenili corpore non expectabitur, *marceſcunt* (e) enim illius fibræ, unde *otium contrahunt*, torpent ergò, tantùmque abeſt ut ſuas accelerare oſcillationes promptæ ſint, ut ad motum ſegnes ſint & tardæ. Aperta ratio eſt, in tantùm oſcil-

(a) *Hipp. de nat. hum. art. XXIV. v. 8.* (b) *l. de diæt. art. XXVIII. v. 9.*
(c) *Celſ.* (d) *Hipp. de nat. hum. art. XXIV. v. 9.*
(e) *Ibid.*

oscillant partes, in quantùm expeditæ sunt & liberæ *spirituum* seu *lymphæ nervorum undulationes*, at tales non admittit facta in senibus fibrarum siccitas, quæ illarum cæca jam & stricta itinera arctando, *lymphæ* illius tardat itus. Hincque senum corpus frigidum dicitur, immeritum enim frigidi nomen illi succo non est, qui segnescit ad motum, frigetque.

APHORISMUS XV.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι, ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι· τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. σημεῖον, αἱ ἡλικίαι καὶ οἱ ἀθληταί.

Ventres hyeme & verè natura sunt calidissimi, & somni longissimi. In his igitur temporibus etiam alimenta plura exhibenda. Innatum enim calorem majorem habent. Nutrimento igitur copiosiore indigent. Indicium sunt ætates, & athletæ.

VENTRES intellige *coctionum* officinas: ut autem nullibi ferè est ubi non exerceatur aliqua *coctio* (cum ubique partium habeas *coctionum* rationes & instrumenta, omnem nempè tritûs suppellectilem, *fibras*, *lympham*, & *elaterem*) *ventres* aut *ventriculi* ubique sunt in corpore, plus minùs terentes coquentesque commissos sibi à naturâ succos, pro vario quem capiunt *elateris* gradu. Hunc autem admodùm intendunt *ver & hiems*, *enimverò unà cum temporibus ventriculi in hominibus mutantur*. (*a*) Sic hyems, vel gelu rigens vel humens bruma, nervorum meatus cæcos subeundo, suis frigorum aculeis, aut suis humiditatum uvoribus, cuneolos totos imbuit, unde tensæ magis fibrillarum chordæ, vividiùs oscillant: alterâ ratione nervos acuit ver, sub quo juvenescens aer, totusque & uberioribus, & vegetioribus, *elaterum*, undequàque spirantium *miasmatis* gravidatus, mirum! quàm multis sanguinem & *lympham* ditet *elateribus*; indèque *calidissimos fieri ventres*; seu ad oscillandum paratiores fieri *solidorum* fibras, fidemnè superabit aut rationem? & *somni longissimi*. Ideòne quòd sub illis temporibus esse soleant, aut jubendi sint longiores somni? certè longiores somnos à longioribus noctibus provocari à naturâ est, somnum enim invitant noctium umbræ, quies, & silentia: tunc temporis ergò producendos esse somnos consilium quoque erit. Fermè enim diceres sub nocte fieri amicabilem solis *macrocosmi* recessum, qui microcosmi soli locum cedat, quasi ad tempus abdicando vitæ, sanitatisque regimen, hoc omne cordi per noctem concederet: his ergò annuere erit naturæ consiliis, qui vere & hyeme somnos producendos esse author erit, ut illud tempus producatur, sub quo principem exerceri natura voluit & absolvi corporis functionem insensibilem, nempè transpirationem, quæ nullo quàm noctis tempore fit copiosior. *In his igitur tempori-*

(a) *Hipp. de aer. loc. art. II. v. 2.*

ribus etiam alimenta plura exhibenda ; innatum enim calorem majorem habent. Potentiarum viribus adæquari debere sua opera, necessum est, ne feriando ullatenus suas perdant, aut malè collocent operas ; quâ de causâ *calidiores* dum fiunt *ventres* aut validiores tritûs, aut coctionum potentiæ, ceu *solidorum* oscillationes, copiosiora ex alimentis suggerenda erunt pabula, ne à terendis *fluidis* cessando *solida* se deterant ; *nutrimento igitur copiosiore indigere* ea concludit *Hippocrates*.

Judicium sunt juvenum ætates & *athletarum* corpora ; hæc enim utpotè exercitata, juvenes utpotè *calidi innati* multùm habentes, cibari copiosiùs & uberiùs nutriri opus habent, natæ sunt enim in juvenibus, in *athletisque* stimulatæ majores oscillationum potentiæ.

APHORISMUS XVI.

Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι· μάλιστα δ' παιδίοισι καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσιν ὅτῳ εἰθισμένοισι ἀφαιτέειν.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & aliis tali victu uti consuetis.

Hactenus de quantitate, hic de qualitate victûs agit *Hippocrates*, ad alias victûs conditiones exindè progressurus : quòd autem de victûs legibus tam sedulum se præbeat, in causâ est veterum negligentia, neque enim, ut ait, (*a*) *veteres quicquam memorabile de victûs ratione conscripserunt, & quanquam magna hæc res sit, eam omiserunt*. Hincque manare infelicitatem artis sic admonet (*b*) *victûs rationes quantùm fieri potest cognoscendæ, nam non nosse, multarum calamitatum res est.*

Victus humidus febricitantibus omnibus confert. *Febres* enim abnormes sunt & festinantiores *solidorum* oscillationes, quas committit & alit *systaltica* virtutis nimietas, quâ everberata fortiùs crebriusq; *fluidorum* moles circulare frequentiùs cogitur ; quodque rotæ circum axem rotatæ vehementiùs accidit, quæ sub hoc motûs impetu igneſcit, id ipsum sanguini impetuosiùs circulanti evenit, illâ ergò de causâ flammatur & ardet. Hoc sanè *victûs humidi* necessitatem plus satis evinceret ; altera tamen major adhuc ratio est, ob quam necessariò convenit, omnis enim ille *fluidorum* impetus, ab effræni *solidorum* oscillatione venit, aut ab illorum *elatere* nimio, quem mollit, frangit aut moderatur *victûs* humiditas, quæ insimul *fluida* diluendo humore suo mergit, illorumque gravitate suâ tardat cursum.

Febricitantibus omnibus. Id est, generis omnis febrilibus affectionibus; hùc enim referes febrilem illam pulsûs *diathesin*, medentibus observari familiarem, quam leoninam fermè nuncupares, (febre enim leonem indesinenter laborare perhibetur) sub quâ vividiùs, duriùs, & celeriùs pulsum micare vides familiariter, in *melancholicis* quos habet *usta bilis*, in convalescen-

(a) *Lib. de vict. acut. art. II. v. 1.* (b) *VI. Epid. sect. VIII. v. 79.*

lescentibus & *hystericis*, quibus omnibus in quantùm *victum humidum* convenire observavit *Hippocrates*; in tantùm palàm fit quanti discriminis esse debeant vinorum, aromatum (ut *cinnamomum & crocus*) lactaria, assæ carnes, siccantiaque edulia, quæ his confidenter adeò & vulgò nimis imperantur.

Maximè verò pueris; cum his enim enascentes, pandentesque se in dies *elaterum* potentiæ, hos habent oscillationum exuperantiis, febribus proindè obnoxios, ceu innatis aut *consistentibus caloribus*, quibus, ut loquitur *Hippocrates*, (a) *nos apponere* decet; *molliores & humidiores diætas*, (b) ejusmodi *juvenibus corporibus* opponendo, jubendove, *sorbitiones* nempè & *cammarum*, quæ ut addit, non secùs ac *frigefactorium medicamentum*, *ardores & febrem exolvunt*, (c) ubi annotabis proprii hominum victûs vestigium, qui in cerealibus ponebatur, utpotè corporis humani compacturæ, quæ ex *lymphis* coaluit, apprimè congruum; undè naturæ sequax *Hippocrates*, in definiendo victûs genere, illis conveniente corporibus, in quibus integri durant adhuc naturæ mores, jubet illud quod naturale magis; id enim ipsum confirmat *cammari* seu *cancrorum* quem adhibet usus, piscis enim est; edulium ergò ex *lymphis* coalitum, affine proin puerum naturæ; *tali victu uti consuetis*: hîc habes laudabilis aut optimi alimenti *criterium*; sit enim oportet illius affinitatis & amicabilis convenientiæ, ut ad alendas partes accedendo, nihil illi disparilitatis afferat, affricet nihil molestiæ, ut tacitè se partibus applicando, silens & inconsciè *assimiletur*, sicque nato hinc dissidio nullo, imperturbatè pergat functionum vitæ, & sanitatis æquilibrium: cretum ergò ex *lymphaticis* succis puerorum corpus, illis alimentis nutriri commendat, quæ tota lymphâ gravidantur.

APHORISMUS XVII.

Καὶ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς, ἐς πλείω ἢ ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος, δοτέον δέ τι καὶ τῷ ἔθει, ἐς τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ.

Et quibus semel aut bis, & plura vel pauciora, & per partes offerri conducat, videndum. Concedendum autem aliquid & consuetudini, & tempestati, & regioni, & ætati.

DE *sorbitionibus* quas *febricitantibus*, *pueris*, & *aliis* posteriore *aphorismo* concessit *Hippocrates*, hoc 17°. (qui præcedentis consectarium est) admonet, considerandum quibus *semel aut bis* in die indulgendæ sint; præterquamquòd enim *ptisanâ* opus esse quibusdam ægris pronuntiat, (d) volunt alii, (e) statuuntque *aptissimum esse tertiò quoque die cibum dare*, nisi

(a) *De salub. diæt. art. II. v. 10.* (b) *Ibid. v. 5.*
(c) *De loc. in hom. art XXXIX. v. 10.* (d) *De vict. acut. art. V. v. 17.*
(e) *Cels. p. 126.*

nisi *infirmum fuerit corpus*: quo in casu, *quotidie dandum esse* annuunt. Hinc saltem constet, quam pauco cibatu egeat homo ægrotans, qui *hordei succo*, *cremore*, aut (quod summum erat) *grano*, quondam alebatur. Liberaliùsne indulgeri licebit ex carnibus jusculà? aliundène veniunt morborum nostratium diuturnitates, difficultates, contumaciæ? farta enim densiùs succis nutritiis vasa, viscera stagnant: ad hæc eluxuriantes humores *diarrhœas* abeunt aut *hæmorrhagias*, quibus arcendis *purgationes* & *phlebotomias* multiplicari necessitas est. Intereà *Hippocratis* consilio obtemperantes, *consuetudini* hodiernæ, *temporibus* nostris, & *regionibus concedent aliquid* medentes, donando (quandoquidem invaluerit usus) carnium jusculà, modò advertant, ad *Hippocratis* mentem illa esse debere *victui humido analoga*, non calefacientia aut succosa nimis, attemperataque non tantùm composituræ suæ ratione, sed & habito respectu ad *ætatum*, *morborum sexusque constitutiones*, (*a*) juxta quas curabit Medicus, ne pro jusculis confecturæ ægrotantibus exhibeantur, aut condituræ, adeò jurulenta forent aut sapora jusculà: cavebitque ne affatim aut crebriùs ingerantur, sed *per partes*, intràque justa intervalla.

Et reverâ inconsultius videtur nihil, quàm impeditas jam & præoccupatas difficili labore potentias, operis novis & difficilioribus adjicere, hoc tamen ipsum est, pinsendas oggerere materies viscerum organis, *solidorumque* oscillationibus, quo tempore ipso in subigendis morbidis humoribus occupantur: sed id committi criminis est, copiosiùs sub morbis generosiora ex opimis carnibus offerre jusculà, quæ cum tritu sint in tantùm difficilia, in quantùm lenta sunt, pinguia & fibrata, *momentum fluidis* addere est *solidorum* potentiis indomabile: posthac tam infeliciter & sæpè eludi medentium curas, improsperamque fieri oculatissimam artis industriam miraberis?

APHORISMUS XVIII.

Θέρεος, ἐς φθινοπώρην, σιτία δυσφορώτατα φέρουσι· χειμὼν ῥῆιστα· ἦρος δεύτερον.

Æstate & autumno cibos difficillimè ferunt: hyeme facillimè, deinde vere.

VEre & *hyeme calidissimi sunt ventres*, qui proindè *æstate & autumno* calentes minùs erunt, id est, minùs habebunt *elateris*, igitur in oscillando segnescent. Hâc de causâ *cibos* tunc temporis *ferent difficillimè*, cibis enim subigendis seu coquendis pares erunt minùs. Difficultatis autem hujus causa est cutis raritas quæ *vere & æstate* major est, indicio est in sudores quæ sub æstate est propensio jugis, tùm quæ hinc sponte fluit virium exolutio: at rarescentis cutis causa, in aere æstivo est, qui ab hyemali brumâ purus, ut plus sereni habet & lucis, ità molis minùs

(a) *Hipp. de nat. hum. art. XVIII. v. 32. de diæt. lib. I. art. II. v. 10.*

nus aut ponderis habet, premit ergò leviùs superficiem cutis, cujus molliores factæ fibræ, pulsis illùc *transpirabilibus* succis obsistunt minùs, imò cedunt hiantque, suaque pandunt oscilla. Sed hinc detumentes fibræ de *elatere* suo perdant necesse est, laxantur ergò, partiumque debilitant *tonum*. Porrò sic elanguentibus *solidorum* vibrationibus, frigebunt coctionum officinæ, quæ proinde digerendos *cibos* difficillimè ferent.

APHORISMUS XIX.

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι, μηδὲν διδόναι, μηδ' ἀναγκάζειν, ἀλλ' ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων, πρὸ τῶν κρισίων.

His qui per circuitus exacerbantur, nihil dare oportet, neque cogere, sed auferre de appositionibus ante judicationes.

EXacerbatio *vigoris* morbi genus est, sub quo cibatum aut alimoniam minui jussit *Hippocrates*; hanc autem doctrinam hîc iterat, de *judicationibus* eruditurus, quarum unâ causâ instituendam temperandamque innuit omnem victûs rationem. Itaque hanc intuere hîc *Hippocratis* mentem, nihil esse medenti concessum, quod propriam morbi solutionem, ceu *judicationem* turbet, moretur aut mutet, cùm unicè ad *judicationem* referat se totus naturæ labor. Hîc autem ponitur omnis labor in tractandis, flectendis, ordinandisque partium fibris, ità ut illos sibi faciant *elateres*, illasque vasis forment *diametros*, intra quas mancipati qui stagnantur succi, arctiùs premantur, terantur fortiùs, & efficaciùs solvantur; eò ergò tendat oportet medici industria, in illis omnibus arcendis, & prævertendis, quæ *fluidorum* molem augendo; prementibus *elaterum* potentiis & vasorum parietibus *resistentiam* interponeret; sed à nutritii succi appulsu id discriminis futuri impendet accedente *judicationis* tempore; igitur *ante judicationes*, & sub *exacerbationibus* (quæ ad *judicationes* nisus aut *tendentiæ* sunt) ciborum oblationes fieri non vult *Hippocrates*, (*b*) & de *appositionibus auferri* jubet, ut alacriùs leviùsque circulando sanguis, *solidorum*, quæ *judicationis* tempore crescet, pressioni paratior fiat & obsequiosus magis.

(a) *Sect. I. aph.* 8. 11. 12. (b) *De humor. art. III. v.* 82.

APHORISMUS XX.

Τὰ κρινόμενα ἢ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείοισι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν.

Quæ judicantur & judicata sunt perfectè, neque movere oportet, neque innovare, sive purgantibus, sive aliis irritamentis, sed sinere.

QUEMADMODUM gerere se debet Medicus, ne *judicationem* prævertat modò monebat, quid agendum illi sit ipso eo tempore quo *judicationi perfectè* allaborat natura, tùm postquam finito illo labore *judicationem perfectè* absolvit jam exponit: quamdiù igitur ad naturæ ritus & mentem omnia *perfectè* sub morbo se habent, adeò ut nec hæsitando natura titubet, nec deerrando vacillet, illam medico præstituit ad omnia *ducem* (a) *quæ ipsa sibi non ex consilio, citràque disciplinam motiones ad actiones obeundas invenit.* (b) Ut autem *morbi omnes* (c) *solvuntur aut per os, aut per alvum, aut vesicam, aut sudorem, qui omnibus communis est*; ad harum alterutram evacuationum motiones erunt, hasque *motiones* quamdiù ad naturæ vias, consilia, & fines ibunt, interturbari vetat, tunc enim vel *inauxiliata natura, quippe à nullo edocta*, (d) *citràque disciplinam, ea quæ conveniunt efficit.*

Neque movere oportet; hoc est, sub hoc rerum ordine naturali, nihil oportet attentare, quasi tunc erigi aut excitari natura indigeret, ne quidem *cardiacorum* operâ; hæc enim damnabilis ut ut officiosa non paucorum audentia est, qui *corvos athenos*, seu ipsimet virium magistræ naturæ non timent offerre vires, quæ oppressa sæpè est, aliquandò devians, rarò fatiscens. Igitur naturæ vires sacras habebit Medicus, aut *ignis sacri* æmulas, quas augendo attingere piaculum sæpè est aut periculum, ubi virium ei satis erit, qui eas miscere abstinuerit. Nihil enim tam obvium aut publicum est, quàm præposterâ Medici sedulitate, morbi genus aut *speciem* mutari, quod admonendo vetat *Hippocrates* (e) innuendo leviſſimum non rarò esse, unde morbus *novatur*. *Si quis* (f) *citò diætam permutet, periculum est etiam à permutatione aliquid in corpore novatum iri.* Hìc ergò *innovare* vetat *Hippocrates*, *neque purgantibus, neque aliis irritamentis*, quibus verbis stimulantia cujuslibet tituli perstringi putabis non solum, sed & omnia quæ aliquam inferunt naturæ vim, aut illius *motionibus*, quas mutare novare est. Enimverò ut suæ sunt naturæ viæ & viarum directiones, juxtà quas servatur in sanis functionum ordo, suæ sunt etiam sub morbis naturæ *determinationes*, ductu quarum illum ad ordinem functiones restituere nititur aut revocare, ut autem mutatis illis *directionibus*, mutatur corporis œconomiæ facies, mutatis his *determinationibus novatur* morbus, nova enim & præter ordinem assurgunt *symptomata*, novus proinde morbus, morosus in tan-

(a) *De decent.habit.p.35.* (b) *Lib.VI.epid.Sect.V.text.2.*
(c) *De vict.rat.p.392.* (d) *Lib.VI.epid.sect.V.text.2.*
(e) *Lib.II.epid.sect.I.v.17.* (f) *De nat.hum.art.XIX.v.8.*

tantùm & difficilis, in quantùm cæcæ temeritatis fœtus est, non effectus naturæ.

Sed finere: senis dictum! petulantis medicinæ pericula præcaveri cupiens, profert hoc artis sapientiæ decretum: ut enim medicinæ caput est scientia agendorum, non agendorumve peritia, artis apicem tenet, qui *finere* novit, ab iis omnibus arcendo manum, quæ ordine suo natura continet, admovendo cæteris quæ ab illo deerrant ordine. Cæterùm illudat nemini ordinis illius nomen, quem qui sub morbis ad aliquam sensibilem evacuationem tendere semper putaverit, graviſſimi in medendo erroris incurret periculum, tardante enim quam per alvum, urinas, &c. expectat evacuatione, ad hanc præposterè stimulat aut cogit naturam; quod spreto senis edicto, *purgantibus movere est quæ judicantur*, seu quæ ad *judicationem* eunt, id est, ad illud solutionis genus, quod *omnibus commune est*, ad quod nempè omnibus sub morbis tendere potest natura; *sudorem* intelliges? meliùs *diapnoen*, aut insensibilem *transpirationem*, in quam desinere morborum partem non minimam observant artis sapientes. Nosse igitur naturæ tolerare moras, medendi sapientiæ argumentum est, juxtà quam quantumlibet sileant alvinæ vacuationes, à pharmaco abstinebit Medicus, quamdiù salvis visceribus natura colluctabitur, tunc enim dùm ea aberunt signa, quæ evacuationes illas spondere solent, morbidos succos tacitè natura subigit, digerit, dividit, quos postquàm ad unum è publicis aut communibus *secretoriorum* (qualis alvus est) simul & semel non potuit præcipitare, singulatim intrà *lymphaticas arterias* everberando comminuit, quosque sub unâ mole sensibiliter non excernit, per millia *lymphaticarum* illarum quæ in cutem desinunt, oscilla exhalando dissipat.

Sed finere. Rursùs hîc admonearis, ubi non unica medico innuitur *finendi* necessitas, hæc incumbit adhuc non infrequenter expirantibus morbis, quo tempore tamen omittere *catharsin*, pro piaculo habet plebeja medendi consuetudo, prætendens neglectæ aut parciori purgationi imputanda esse, quæ morbis succesſerint omnia mala, adeò ut *catharsin* habeant pro unicè tuto morborum absolutorio. Interim *quæ perfectè judicata sunt* sinere jubet Medicorum princeps, unde concludere in proclivi est, *judicatos* dari morbos, quibus tantùm non opus est absolutoriâ *catharsi*, ut hanc ejusmodi morbis desinentibus adhibere aut abscedentibus, reinvitare sit, aut exspirantes resuscitare. Id ostendit aut edocet medendi usus, quem ratio confirmat: reipsâ ubinam supervacanea magis purgatio, quam ubi deest purgandus humor? qui certè factâ *judicatione perfectâ* nullus est: sed hic percuratorum morborum casus est; periculi ergò impendebitne multùm, si finali purgatione carebunt? quod ne temerè prolatum putet ille quem præoccupaverit usûs tyrannis, vel consuetudinis imperium, exemplo illi erunt morbi, quibus subest plus ignis quàm materiæ, quales *morbilli* sunt, quibus tantò minùs ægritudinum succedere observatio decet, quantò minor facta fuerit purgationum jactura. Similia sunt purgationum discrimina, quæ spasmodicis affectibus desinentibus superadduntur, iis maximè sub quibus succorum *stases* à *fluidorum* copiâ minùs fiunt, quàm à *solidorum spasmo*, ut norunt qui sunt artifices. Verùm purgationis desinentibus morbis necessariæ rationes fusiùs & opportuniùs tradentur in exponendo posthac Sect. II. *aphorismo XII.*

APHO-

APHORISMUS XXI.

Α' δεῖ ἄγειν, ὅκῃ ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, καὶ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

Quæ ducere oportet, quò maximè vergant, eò ducenda, per loca convenientia.

MEDENTEM modò instituebat *Hippocrates judicantis* naturæ speculatorem, quem tamen ne ignavè cunctando, aut ultrà modum *finendo*, occasionis punctum elabi *finat*, sic admonet: *Quæ ducere oportet*, &c. id est, quæ ducenda monstrat natura, vel cujusmodi humores meditando naturam excerni paratos intellexerit, tunc duo illi agenda erunt, 1°. inclinationes humorum observabit; 2°. *loca* seliget aut *secretoria*, quæ illorum humorum *excretionibus* apta nata sunt. Hinc concipi necesse est non medentis sed naturæ consilii esse evacuationis opus, quod successurum erit feliciter, si à naturâ cœptum, per vias excernendis illis humoribus institutas absolvatur. Porrò morbidi humores, ut in uno sanguine radicantur omnes, ita singuli, vel in rubrâ, vel in albâ illius portione fundantur: unde prima in speculando naturam cura medentis erit internoscendi quæ in vitio fuerit alterutra sanguinis pars, an rubra quæ ferociat, an alba quæ *colliquetur*, ut illi quæ peccaverit maximè, exitus paret idoneos. Defit *menstruus* aut *hæmorrhoidalis* sanguis, circà quem evacuandum natura laborat? ad partem sanguinis rubram excernendam totæ se convertent medentis operæ; ampliùs ad *hæmorrhoidum* aut uteri vasa omnia illius dirigentur auxilia. In vitio est *lympha* eliquescens? medentis industriæ erit & peritiæ, mente simul & opere assequi, cujusmodi hinc enascatur *catharrus*, tum ut illi propria inveniat *excretoria* aut *convenientia loca* per quæ pellatur serosus latex, quæ *pulmonum* modò, modò *cutis*, nunc *alvi*, nunc *renum* emissaria erunt: tùm ut debita adhibeat remedia, *bechica*, *diaphoretica*, *diuretica*, *purgantia*, &c. Hæcque omnia ad *Hippocratis* mentem; *hoc*, inquit, (a) *studio habere oportet, ut exitum proximum facias..... morbi* (b) *enim eâ parte quâ proximi sunt, educendi sunt: & quâ parte singulis exitus quàm proximus est, extraendi.*

APHO-

(a) *De loc. in hom. art. XXXIII. v. 13.* (b) *Ibid. art. LV. v. 11.*

APHORISMUS XXII.

Πέπονα φαρμακοῦσιν, ἐς κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Concocta purgare & movere oportet, non cruda, neque in principiis, nisi turgeant. Plurima verò non turgent.

HEu faciles ludi hominum mentes! quibus venit error, unde nitens veniebat veritas. Ex *aphorismis* nullus, qui tantùm securitatis sanitatis spondebat, quantùm hic quem suscipimus, interim omnium fermè purgationis malorum factus author est, hinc ductâ nempe *orgasmi* interpretatione siniſtrâ, unde mille factæ sunt medentibus fraudes, nata mille mendacia, sic ut quot cædium causæ ab invento pulvere pyrio, tot causæ mortis à positâ malè *orgasmi* ideâ dimanarint; sparsum in vulgus est *orgasmum* esse inquietem humorum, factoque *orgasmo*, illicò ad *catharsin* properandum esse, utque frequens est in morbis humorum inquies, frequens facta est *purgationis* usurpatio, spretis etiam coctionis legibus, quarum ut eludant vim (quo nomine, vel quo titulo ignoratur) non coctiles commenti sunt humores, quoties furit quem vocant *orgasmus*, hujusque prætextu, *Hippocrate* duce, quot hic aphorismus arcere potuisset, tot perpetrant mala.

Hactenùs *Hippocrates*, jubendo qualis & quantus esse debeat ægrotantium victus edocuit; quomodo formanda venit medico humorum temperies aut corporatura, ut ad *judicationem* aptarentur, quæque addidit præcepta eò unicè collimant, ea vetando omnia quæ *judicationem* turbarent, imprimis *purgantia & alia irritamenta*, quibus naturæ laboribus noceretur: hæc autem si succedant minùs, cùm tunc purgandi medico veniunt humores, hoc *aphorismo purgationis* notat punctum, quod *coctionis* est; quidquid enim deblaterent purgationis præproperæ *zelatores*, hic maximè aphorismus est, unde ad purgationem coctionis necessitas ineluctabilis asseritur.

Igitur *concocta purgare & movere*; primum & generale *purgationis* decretum est. Sequitur alterum, *non cruda*; unde vix ullo sub prætextu *purgatione* humorem crudum lacessi conceditur. *Neque in principiis*; tertia purgationis lex generalis: quâ ineuntibus morbis purgatio interdicitur. *Nisi turgeant*; tertia hujus regulæ exceptio est, neque in primam neque in secundam cadens, concedens solum purgari *in principiis* humores, qui *concocti fuerint non crudi*, *si turgeant*; hoc est quando *concocti* maturè in morborum *principiis*, *turgere* cognoscuntur. *Sed plurima non turgent*; nihil ergò, authore *Hippocrate*, tam erit infrequens, quàm *purgatio* morborum initiis instituenda.

Hippocratis, *Hippocratem* interpretem habes; quem interim antequàm audias, ratio dictabit tibi, quanta sit ad *catharsin coctionis* necessitas. Non idem est qui morbos omnes committit humor, sed suus cuique humor est aut humoris modus, qui cuique morbo singulare dat ingenium, proprium-

priumve caracterem; proprium proin cuique morbido humori *secretorium* esse debet, à quo cum evagatus est morbum commissurus, ad illud regressurus est *judicaturus* morbum. Igitur ad solutionem morbi opus est ad proprium *secretorium* adduci morbidum humorem; ampliùs, necessum adhuc est, ut regressus humor *secretorii* tubulos permeet; cui deerit officio nisi appellat ad illorum tubulorum diametros, sectus, modulatus, iisque, ut decet, admensus, sed in iis omnibus succorum modificatio, *concoctiove* consistit, quæ proportio est ad *secretoriorum* capacitates, quâ ad secernentes tubulos accommodati secernendi humores, excernuntur, evacuantur, purgantur.

Hæc subodorando *Hippocrates cruditates* (a) *horrens*, & *antiquorum* ductus exemplo, *medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebatur*; (b) *coctiones* enim, ut ait, (c) *judicii celeritatem & morbi securitatem ostendunt, dùm cruda & inconcocta judicationis cessationem significant*, aut *diuturnitatem*, &c. *quamdiù* (d) *enim ista inconcocta & minimè temperata fuerint, nullâ arte febres finientur*. Quid autem coctionis nomine intellexerit, ex his illius verbis concipies. *Concoquitur* (e) *ubi mutua fuerit permixtio, contemperatio & cum illis coctio*. Hanc ad mentem *fluida* fieri jubet *corpora* (f) *quæ purgari* oportet, *& ad helleboros* (g) *præhumectanda esse*; haud dubiè ut humorum mitificatio obtineatur, quæ tantæ ad *catharsin* necessitatis est, ut illâ omissâ purgari prohibeat. *Subpurgandi* (h) *sunt ventres in morbis, ubi purganda matura fuerint*, id est mitificata, mitiora namque fieri vult *symptomata*, antequàm suscipiatur, adeò mitificationem det in signum natæ purgandi occasionis: *signum* (i) *habes si non anxii fuerint, & cum calores mitissimi fuerint*. Instituitur autem tota hæc medendi ars ad normam *medicatricis naturæ*, cujus in tantùm fidæ sunt *judicationes*, in quantùm concoctionis præcessere signa. *Quæ signa* (k) *præmaturam judicationem, dum cruda sunt omnia, occupant, morborum recidivas convehunt, & solutionem omninò malam, & propè nullam portendunt*. Verùm si coctionis legi strictè adeò addicta natura est, ut absentibus coctionum signis improsperè judicet, quonam nomine isthæc indulgebitur arti prærogativa purgandi feliciter posthabitis coctionis legibus? hinc *Hippocrates* huic aphorismo (ne cuiquam fortè faceret fucum) præludere volens, totam coctionis rationem proximè præcedenti exposuit & necessitatem; *quæ ducere* (l) *oportet, quò maximè vergant, eò ducenda, per loca convenientia*; in quibus *mitificationis humorum omnes habes conceptus*, & ne errori fieret occasio traditum hoc *aphorismo orgasmi* dogma, unde venire potuissent purgationis præmaturæ scandala, confestim addit; *in acutis* (m) *morbis rarò, & in principiis purgante utendum, atque hoc diligenti priùs adhibitâ cautione faciendum.*

Nihi-

(a) *Cels.p.118.* (b) *Ibid.Sect.I.aph.22.*
(c) *Lib.epid.I.sent.2.p.960.* (d) *Lib.de prisc.medicin.p.21.24.*
(e) *Ibid.* (f) *Aph.sect.7.70.*
(g) *Ibid.sect.4.13.* (h) *Lib.VII.epid.v.1.*
(i) *Ibid.art.32.v.2.3.* (k) *Epid.lib.II.sect.I.*
(l) *Aph.1.sect.I.* (m) *Aph.23.sect.I.*

Nihilominùs tamen nec authoritate suâ cadet hic *aphorismus*, neque suâ veritate *orgasmi* dogma; humores enim in principiis morborum *turgentes* purgare convenit, sed qui *concocti* fuerint *non crudi*, qui nempè coctionis signa præ se ferant, quandoquidem ipsâmet *turgentiæ* coctionis sit argumentum. Enimverò fit morbus, cùm impetu à propriis *secretoriis* abrepti humores ad aliena, peregrina, non sua efferuntur; morbique curationem aggreditur natura, enitendo in humores illos per viscera palantes aut dejectos, ad propria eorum *secretoria* reducere eos conando aut revocare: sed plus minùs durat ille naturæ labor, modò enim pluribus diebus, modò hebdomadis aliquot, nonnunquam mensibus multis pergit, quibus transactis, ad sua *secretoria* remeasse humores, multa se dant argumenta; horum enim copiâ *turgentes secretorium* tubuli, sua quæ febre vigente interrupta fuêre, repetunt *secretionum* officia, inde ergò hument partes, fibræ molliscunt, serò stillant undequàque partium parietes, viscerum atria perpluunt; sicque se profert felix & desideratum medentibus *coctionis* momentum, nativarum nempè *directionum* seu *vergentiarum* reditus, factique succorum ad propria loca regressus; quo dato, quos antehàc timidè tractabat humores, aperto marte aggreditur medicus, illos veluti suis ab *oscillis* pendentes, turgentes ergò ad excretionem, *catharsi* deturbare tutus. Sed corporum, locorum, cœli, solique & morborum constitutiones sunt, sub quibus adjuta stimulataque natura succorum energiis, suum illum breviat laborem, videlicet ubi vividiùs diligentiùsque oscillando partium fibræ, celeriùs terunt, citiùs subigunt, digeruntque diligentiùs morbidos humores, adeò ut quibus conficiendis septimanas fortè plures insumpsisset, iisdem degerendis, coquendisve pauci satis illi fuerint dies, unde quæ febris expers *orgasmi*, *catharsin* tantùm admittit post quatuordecim circiter dies, utpotè quæ toto hoc opus habet temporis intervallo; ut coctionem attingat; altera quam facient turgentes succi, purgationem sub primis ab ortu diebus concedet, tam brevi enim tempore, coctionem illorum operabitur. Rem aperit soli cujusdam singularis ubertas, quæ quos condit succos coquendo promptiùs, præcoces expromit fructus; alteram offert horologium similitudinem, in quo si à tenso *elatere* vibrantem virgulam crebriùs oscillare factum sit, festinantiùs *gnomon* progreditur, quique duodecim horarum spatio opus habuisset, ut suum absolveret orbem, hunc ipsum intrà horas pauciores peragrabit. Ut igitur morborum genera sunt, ubi ad coctionem properat natura, quia sub illis *excretoriis* suis redditi inquilini succi, illicque cumulati turgent ad *excretionem*, aut excerni gestiunt, *orgasmi* quoque genus est, quo dato in principiis morborum ad *catharsin* properare consultum est.

Sed plurima non turgent. Num ideò quòd segnescentibus *solidorum* oscillationibus moveri sæpè tardaret natura? contrarium suadent turbæ illæ & *extremi labores*, qui morborum tam multorum initiis habentur: tantùm ergò non pigrescunt humorum motus, ut effrænes sæpiùs sint, in eoque maximè quòd à naturæ directionibus, viis aut *vergentiis* declinando, diverticula sequantur, *stagnationes*, *stases*, *apostases*, tandem iis ni visceribus commissuri, ad quæ abrepti fuerint humores: non enim in eo ponenda sub morbis sanguinis motuum peccamina, quod illi pigrescant, at quòd impetu præcipites facti indebitas ingrediantur vias, unde fit ut viscerum emissaria,

inquilinis, quî aliò rapti sunt, defraudata succis, repleri aut turgere tantùm non possint, quin potiùs *spasticâ diathesi* arctè compressa arent, hincque *phlogosi* factâ contrahuntur. Tunc fiunt ejusmodi *acuti* morbi qui *maximos labores excitant*, quique monente *Hippocrate*, (a) *interficiunt*; tum *qui plurimâ observatione & accuratissimâ curatione indigent*; non ergò purgatione, cujus tempora & opportunitates ad accuratæ medendi methodi leges expectanda; hîc enim *cautio*, (b) *infinita magnitudo, experiendi*, seu purgantia tentandi, *difficultas*; *impetus enim* adest *& ferocitas humorum dùm deest humorum reciprocatio*, ideſt, sanguinis circulationis æquabilitas, unde felicitas purgationis pendet. *Quicumque* (c) *enim statim per initia morborum inflammationes medicamento purgante solvere tentant, ii de continente parte nihil detrahunt, cum nihil cedat quæ adhuc cruda est affectio*; itaque rata, constansque manet nec omittenda unquam tradita hæc à medicorum principe aurea artis regula; *ventres* (d) *subpurgare oportet in morbis, cum purganda matura fuerint .... & ubi consedisse videris. Signum habes, si neque anxii aut capite gravati fuerint, & cùm calores mitissimi fuerint*, &c.... *nam qui validis* (e) *febribus impliciti jacent, his non ante febris remissionem pharmacum dare oportet, sin minùs cunctandum, saltem ne citrà decimum quartum diem*, &c. Sed quod de *orgasmo* apud *Hippocratem* observabile est, inobservatum tamen hactenùs & inenarratum *turgentiæ* genus est pluribus sub morbis, quod (authore ipsomet *Hippocrate*) arcet omne purgandi consilium; *Febres*, ait, (f) *propterea fiunt cùm corpore superinflammato carnes intumuerint, & pituita ac bilis concluſa quieverint* (aut sua *per secretoria* excerni cessaverint) *unde fit ut non refrigeretur quicquam, neque exeat, neque moveatur* (intercluſis secretionibus omnibus) *quùm itaque lassitudo occuparit & febris & repletio* (ceu inflammatarum *turgentia*) *lavare multâ aquâ oportet .... medicamentum tamen, donec corpus fluidum est* (quamdiù viget *febris*) *ne propinato, non enim vacuantur, nisi paràm, utpotè corpore turgente*: (g) turget enim tunc corpus undequàque oppletum à succorum refluorum *stasibus* & stagnationibus, qui à *secretoriorum* suorum *spasticâ diathesi* expressi & aliò derivati, *turgentiam* in corpore producunt, quæ omnem arcet purgationem, utpotè cùm aut defecta alvina *secretoria* ejusmodi *turgentiâ*, quâ propriis, excernereque sibi solitis succis tumere solent, aut peregrinis insuccata, vel nulla excernent, vel inutilia, vel mala.

APHO-

(a) *Lib. de affect. p. 531.*
(b) *De humorib. artic. 1. v. 1. 5.*
(c) *Lib. de rat. vict. in morb. acut. p. 383. & de veratri purgat. p. 1171.*
(d) *Epid. lib. 1. art. 30. v. 12.*
(e) *Lib. de purg. rem. ar. 4. v. 1. ar. 5. v. 4.*
(f) *De loc. in hom. art. 38.*
(g) *Ibid. v. 10.*

APHORISMUS XXIII.

Τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ' ὡς δεῖ χωρέειν οἷα δεῖ, καὶ φέρειν εὐφόρως. Καὶ ὅκου δεῖ μέχρι λιποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἰσχνέσῃ ὁ νοσέων.

Quæ prodeunt non copiâ sunt æstimanda, sed si prodeant, qualia oportet, & facilè ferat. Et ubi ad animi deliquium ducere oportet, hoc etiam faciendum, si æger sufficiet.

TANTI apud *Hippocratem* est purgationis negotium! in quo ne peccetur, prævidet omnia providetque, suos eruditurus, quò usque eundum illis est ut evacuando proficiant: admonendo imprimis non ex humorum qui evacuantur copiâ æstimandam esse vacuationem, sed ex illorum qualitate & ægrotantis *euphoriâ*. Fecit vulgi opinio, quæ & multorum animos invasit, ut humorum saburræ dentur morborum causæ, unde facta conjectura est, in exhauriendâ humorum abundantiâ ponendam esse medicinam: contrarium, quod observando didicit, docet hîc *Hippocrates*, testando utilem esse evacuationem, quâ non quanta *prodeunt*, sed quæ & *qualia oportet*, ideſt, ad ingenium & naturam morbi accommodata. Ut enim præposteræ sunt & ideò infelices evacuationes, quæ ut ut sponte, ideòque veluti à naturâ prodeuntes, inutiles & nocivæ sunt, quia alium ab eo, qui revocandus erat, profundunt humorem; similiter quantumvis multa fuerit artefacta evacuatio, damno erit, si alios, à morbido pellit humores. *Pro mensibus* suppressis, manat uberrimè *fluor albus*; *hæmorrhoidum* loco *diarrhœa* fluit enormis; loco *transpirationis insensibilis* sudationum imbres; sanitatis damno jacturæ sunt. Par esse potest evacuationum error quas ars protulerit, sub *Hepatitide infida purgatio* est quæ atratos aut pallescentes succos educet, tunc facta felix, ubi flavescunt purgamina: sub *Dysenteriis* ut ut mucosas à *catharsi* emissitias affatim eructent intestina, ad *necrosin* ibit morbus, nisi propediem succedant biliosæ dejectiones: verbo sub febribus quantacunque crassamina, mucos, glutina deturbent *mochlicæ* purgationes, exitio erunt, si *euphoria* defuerit, tam dolosa sunt purgationum bona!

Vbi verò opus est, debilitare etiam aut animi deliquium inducere oportet, donec hoc feceris, cujus gratiâ hoc fit, &c .... sic enim hunc *Aphorismum* alibi (*a*) reddit ipsemet *Hippocrates*. Hîc autem innuit medendi sagacitatis singulare documentum, *debilitandi* scilicet ægrotantem, ideſt, exuperantem partium *elaterem* minuendi, molliendi, aut relaxandi; facit enim sæpissimè sub morbis *solidorum tonus* firmior, (quod *spastica diathesis* est) ut angustiores factæ *diametri* vasorum, succorum, & sanguinis circulationi obices ponant, unde humorum *stases*, quæ *phlogoses* alunt, lassitudines, anxietates, doloresque tandem & obstructiones parant aut inchoant; qui quamdiù pergit arcanus ille *spasmus*, rigendo stupent partes, compressaque

(a) *De humor. art.* 3. *v.* 87.

nimis *secretoria* reserari recusant; hæque resistentiæ sunt, quas *debilitari* vult *Hippocrates*, ut *undèquaque* apertum (*a*) & respirans, & (oscillando) motum *corpus*, *id quod conducibile est faciat*, videlicet ut tractabiles factæ & molles partium fibræ remediorum operis auscultent, *secretionibusque* restituendis dehiscant. Id à partibus strictis nimiùm ut obtineret *Hippocrates*, *aquâ lavare* partes moris erat, quo cum convenit hodie *diluentium* usus; interim hanc debilitandi aut relaxandi vim in evacuationibus hoc aphorismo ponit, quas ad *animi deliquium* usque suadet ducendas, *si æger sufficiat*, exemplo *venæsectionis*, quæ illis temporibus ad *animi deliquium* fieri solita, in ægrotantibus qui *sufficientes* erant, ea inducebat sæpè partium laxamenta, quæ interdùm hodie observamus in iis, qui statim à sectâ venâ alvo promptè laxantur, vel qui illicò à *spasmis*, *singultu*, & *vomitionibus* mirabiliter expediuntur; quid enim portenti vicinum magis, quam *iliacas* & stercoreas vomitiones in *hystericis* tusâ *saphænâ* percuratas videri? hîcque intervidere datur *Hippocratis* rationem sic pronuntiantis (*b*) *detrahere sanguinem juxta corporis habitum, & tempus, & ætatem & colorem, plus & confidenter, & si acutus fuerit dolor, ducere ad animi deliquium.*

APHORISMUS XXIV.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι, τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινέσαντας ποιέειν.

In acutis affectionibus rarò, & in principiis, purgante utendum, atque hoc diligenti priùs adhibitâ cautione faciendum.

Quicunque (c) *à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris.* Hæc est curandi lex generalis, cujus exceptio erit hic Aphorismus, quo idem ipse *Hippocrates* raram admonet esse purgandi rationem in *acutis*, in quibus cum *jam commotum sit corpus* (d) *mirum non erit si pereat ægrotans qui medicamento injecto commovebitur magis*. Reverâ tumultûs & turbarum tempus est illa febris, sub quantùm mixta sunt & confusa omnia, tantùm à *secretione* remota sunt, ideoque & à purgatione; cum enim naturæ interpretatio sit medicinæ opera, neque ulteriùs quàm natura progredi, neque aliud aut plura suscipere debet illa aut potest; igitur quandoquidem *crises* aut *judicationes* non aggredi solet natura *in principiis acutorum*, tentanda rarò erit purgatio, eòque rariùs, tùm quòd *quæ* (*e*) *in meliùs decernunt & judicant non statim* (in principiis) *apparere debent*: quo tempore *signa* adsunt nonnunquam *quæ præmaturam* (f) *judicationem occupant, dùm cruda sunt omnia;* & *in*

(a) *De loc. in hom. art.* 39. *v.* 4.
(b) *De vict. acut. lib. II. v.* 8.
(c) *Hipp. de purg. art.* 4. *v.* 1.
(d) *Lib. IV. de morb. p.* 513.
(e) *Lib. II. epid. sect.* 1. *p.* 978.
(f) *Ibid. sect.* 1.

& in morbis ubi coctum esse potest aliquid præter rationem : (*a*) ubi nempè diffidendum quoque est coctionis signis nisi alia adhuc conferant ; quemadmodùm *quibus per initia urinæ nebulosæ sunt , aut etiam crassæ , hos si alia quoque conferant , purgari oportet* . (*b*) Hæc certè omnia purgationem in acutis incertant multùm , eò tamen adhuc magis , quòd *in principiis acutorum* adhibendam illam esse velit *Hippocrates* , quo tempore cùm rara admodùm sit *turgentia* vel *orgasmus* humorum (unica illa vixque invenienda unquam præmaturæ purgationis occasio) rarissimam esse oportet purgationem . Posthàc mirare minùs additum fuisse sapienter , ab artis sapiente, hanc clausulam ; *atque hoc diligenti priùs adhibitâ cautione faciendum : hic enim cautio* , (c) *infinita magnitudo , experiendi difficultas.*

APHORISMUS XXV.

Ἢν, οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρονται· τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

Si , qualia purgari oportet , purgentur , confert & facilè ferunt : si verò contraria , difficulter .

OMNIUM quæ de purgatione hactenùs tradita sunt , *epilogus* , summarium aut corollarium hic Aphorismus est , verbo quasi complectens doctas ab *Hippocrate* cautiones , monita , regulas . Si *qualia* , inquit, *purgari oportet , purgentur* , *confert* . Concludere ergò est in eo poni omnia purgationis bona , si , quæ purgantur , sint *qualia* convenit ; *qualia* autem respectu morbi , *qualia* respectu ægrotantis , *qualia* denique sub omni respectu , sic ut quod omni à purgatione redit aut supereſt , *euphoria* sit , facilis tolerantia , ægri levamen . Morbus sit enim quem purgationibus torqueas, qui per insensibilem *transpirationem* curari amet ; alter cui conveniat purgatio per *anacatharsin* , non *qualia* convenit *purgari* purgabuntur, ut ut succedere videatur adhibita *catharsis* . Sub *febre malignâ* , ubi lacessi videbitur *nervosum systema* , quantumvis uberrimè à purgatione fluat alvus , infidus eventus erit , ni purgantibus sociata fuerint *stibiata*, ideò certè quòd *qualia oportet non purgantur* ; hîc enim in vitio subest *nervorum lympha* , quæ purgantibus solitis auscultat minùs . Plures stomachi morbos malè purgant *cathartica* , si viduata *rhabarbarinis* sint , hæc enim sola , qualia hîc convenit , purgare apta nata sunt . Sed quod evincit rem , ipsa *rhabarbarina* in purgandis *dysenteriis* curta sunt , qualia enim hîc purganda sunt sola purgat *Ipecacuanha* . Incongrua mille alia suppeditabunt purgationes respectu temporum morbi , si , v.g. quæ sub finem conveniunt, in principiis propinentur , qualia enim futura erant ut desunt tunc temporis , quæ excernunt-

(a) *Coac.* 205. (b) *Lib. de rat. vict. in acut. p.* 386.
(c) *De humor. art.* 1. *v.* 1. 3.

nuntur non erunt qualia oportet. Si addas purgantium incommoda quæ sequuntur ex spretis sexu, ætate, vitæ statu, victûs ratione, palàm erit ratio propterquam frequenter adeò purgantur qualia non oportet. Sic *rhabarbarum* juvat infantes, mulieres *cassia* lædit, *manna* senes, *senna hypochondriacos*; quæ singula si observari contemnantur, fiet non rarò à purgantibus deteri corpora, non sanari, necessariis nempè spoliata succis; *qualia enim oportebat* non purgantur; quod tanti momenti *Hippocratis* decretum est, ut ex illis ignorantiâ aut neglectu veniant tot infelices morborum *successiones*, miserabiles adeò morborum reliquiæ; purgatis enim præposterè humoribus, *qualia oportet non purgantur*, impuratusque relictus sanguis aut malè defecatus, seu, ut loquuntur, infecta vel inabsoluta illius *depuratio*, multa post se trahit prava succorum superamenta, quæ fædando vitæ latices, fundant & alunt ægritudinum, mortisque causas.

SECTIO SECUNDA.

APHORISMUS PRIMUS.

Ἂν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέῃ, θανάσιμον, ἢν δ' ὕπνος ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

Quo in morbo somnus laborem facit, lethale: si verò somnus juvet, non est lethale.

SOMNUS tutamen vitæ, & sanitatis argumentum in sanis, in ægrotantibus exitûs mali præsagium fit, si solaminis loco & pacis quam sanis conciliat, laborem & turbas affert ægrotantibus. In illis enim ut *coctionum* sic circulationum omnium absolutio aut complementum somnus est, unde *viscerum requies* (a) quæ suis per diem perfuncta muniis tacitè quiescunt; intereà dum sanguis ad cerebrum affluens uberiùs, penitiores *arteriolarum* aperit, meat & pandit diametros, clàmque subit. Quod enim per publicas vias majoraque viscerum vasa circumambulando circulet sanguis, diurnum circulationis pensum est; nocturnum verò, à circulante sanguine per cæcos arteriarum tubulos, *secretiores* meari vasculorum mæandros: mæandros, inquam, memineris enim medullares cerebri fibras milliariis circumligari arteriolarum gyris & capreolis, intrà quos qui per totam diem circulando sanguis cætera viscera apertè lustravit, adventante nocte ultimò circulando admittitur uberiùs, ibique substratas *medullares fibras* turgendo premens, arctat illarum diametros, lympham comprimit, tardat *elaterem*, moratur *undulationes*, quæ ubi ad subjectas partes parciùs descendunt aut debiliùs, obrepit somnus, æquabilitatis circuitûs signaculum, unanimisque per universum corpus æquilibrii argumentum. Neque incognita latet causa ultimi hujus ad cerebrum pandentis se circulationis sanguinis gradûs, si namque nova sub noctem emergit vis aut potentia, quæ cæcis illarum *arteriolarum* capacitatibus pandendis par fuerit, quæque per totum abfuerit diem, expansionis illius isthæc certè erit causa, atque istiusmodi est sanguini accrescens ab alimentis diurnis nova succorum moles & copia, quâ cretus sub noctem sanguis, massæ & momenti tantùm acquirit, quantùm illi

(a) *Hipp. epid. lib. VI. sect. 5. text. 9, 28.*

illi necessarium est ad cogendos dilatandosvè quæ per diem connivebant *arteriolarum* cerebri diametros; valvularum illarum ritu, quæ in *hydraulicis* ad certam tantùm aquarum mensuram elevari se aut attolli sinunt: facto autem morbo, si *spasmo* tactæ arteriolarum fibræ *rigidiusculæ* fiant, aut dilatari difficiliores, appellenti sanguini aperire se recusant, sanguis verò repulsam passus, fortius arietat in fibras quæ iracundè oscillantes; *somnum* pariunt, quem hîc *laborem*, alibi *convulsarium* (*a*) appellat *Hippocrates*, quemque morbis *convulsoriis*, seu *spasmodicis* singularem ibidem (*b*) attribuit; ejusmodique somni sunt ex quibus, teste eodem, turbulentæ *exsurrectiones* factæ *convulsionem minantur*. (*c*) Inde mortis periculum à somno qui ejusmodi laborem facit; subest enim in ipso veluti *nervosi generis* meditullio, *spastica* aut convulsoria, ut habet *Hippocrates*, *diathesis*, quæ facilia & perpetua turbando, emutandoque *fluidorum* cum *solidis* commercia, liberosque intercipiendo oscillationum descensus, *lymphæ nervorum*, quam spiritus dicunt, circuitum sistere minatur, quod vitæ est comprimere causas.

APHORISMUS II.

Ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύῃ, ἀγαθόν.

Ubi somnus delirium sedat, bonum.

SOMNUS simbolum pacis, hanc enim alit aut restituit, naturæ modus aut ratio est, quâ sua sanguini servatur per universum corpus circulatio, æquabilitas, quâque ex æquo distributo suo cuique parti *fluidorum* demenso, suus fit singulis *elater*, formatur *tonus*, potentia asseritur; idque ex *fluidorum* cum *solidis* quasi condicto aut mutuo consensu, quâ enim proportione *solida* panduntur, eâdem se inserunt *fluida*, adeò ut cum insimul educantur, amicabiliter connivere discant: hinc animalis œconomiæ concordes operæ, hinc *functionum* pax & operationum concentus, quem in sanis tuetur somnus: unde recessus morbus, aut symptoma morbi est, quò pertinet *delirium*, quod à *spirituum ataxiâ* fieri opinio fuit, sed quod ex vellicatis inconditè nervis oriri docet corporis œconomiæ rerum cognitio melior. Ab *Erethismo* autem venit molestans ille vellicatus, *erethismumque* facit vehementior sanguinis & copiosior appulsus, indè enim *stasis* succorum quam contrahunt stagnatæ partes, sed somnus, pace quam spondet sua, huic *stasi* solvendæ par est; rationem aperit vacuationis illius copia immanis quæ per somnum fit, hujusque evacuationis emissariorum loca, situs, exitus, quæ omnia si impedita fuerint, irritum & inane fit illud naturæ instrumentum, somnus videlicet, quo in absolvendis suis melioribus operis feliciter uti consuevit & efficaciter.

Evacuatio illa transpiratio est, hîc ideò conveniens & optabilis, quòd cum

---

(a) ὕπνος σπασμώδης. *Hipp. prædict. lib. I. art. 15. v. 5.* (b) *V. 9.*
(c) *Hipp. lib. I. prædict. sent. 112. coac. 83.*

cum evacuandæ cuti & partium *peripheriæ* proindèque deplendis vaſorum extremitatibus propria ſit, diſcutiendis delirii cauſis congruet maximè, quæ in cerebri capillaribus vaſis nidulantur: hinc ſomni laus, à quo ſi *ſedatum* delirium ſit, argumentum ducitur non inevidens, obliterari ſanguinis in cerebro ſtagnati *ſtaſes*; ſuccorumque illius liberam & expeditam reſtitui circulationem.

APHORISMUS III.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα, τὸ μᾶλλον γινόμενα, κακόν.

Somnus, vigilia, utraque modum excedentia malum.

Labores, cibi, potus, ſomnus, omnia mediocria. (a) Enimverò in *eutoniâ* partium conſiſtit ſanitatis ratio, quæ æquilibrii genus eſt, quo ſic modulati ſunt *elateres*, ut non ultrà modum nec citrà tenſæ partes firmitudinis habeant ſatis, ut flexibiles fiant, mollitudinis autem minùs, ne flacceſcant. Hinc *ſopor ubique malus* (b) *eſt*, utpotè qui *ſpaſticum* partium *tonum* arguit, obſervante ſic *Hippocrate*; *ſoporoſi*, ut ait, (c) *aliquid convulſorii* (σπασμῶδης) habent, ideſt, ſtricti aliquid, quo denſatus ſtrictiùs partium textus, circulanti ſanguini meabilis fit minùs, unde tardati ſuccorum motus, ceſpitant & hærent, oſcillationumque impediendo undulationes, partium *ſtuporem* (d) inferunt, aut inertiam, à quâ humorum lentores, arcanique mille ægritudinum fomites aut nidamenta, hinc enim torpentium ſuccorum acores, ſalſedines, acrimoniæ, ſi durant diù ſopores; *phlegmones* verò, obſtructiones, abſcedentia aut *apoſtaſes*, ſi altiùs cuneati ſucci, ægroti labores breviant & vitam.

Sopores autem pertinent vel ad morbos, ſub quibus *comata*, *lethargi*, ſimileſque gravati cerebri affectiones obſervantur; vel ad ſanitatem, quam non rarò comitantur in multis juges in ſomnum propenſiones, deſidiæ & membrorum pigrities: ſi prius, ſanguinis ad cerebrum fortiùs evibrati, difficilèque remeantis ſignum eſt, unde ſanguinis circuitûs impedimentum: ſi poſterius, ſuccorum à *tranſpiratione* reſiduorum ſuperamenta coacervari illîc cogitabis; *ſolidorum* fortè culpâ, quæ aut mollioris erunt *elateris*, aut ignaviùs exercitati, quod urbanorum vitium frequens nimium eſt, vel *fluidorum* exuperantiâ, ſeu ſuccorum nutritiorum ingluvie: nam quod miſerabile maximè eſt, nervorum ignaviam à naturâ non accipimus, ſed facimus.

Contrarium vitium immoderata vigilia eſt, familiare iis imprimis, qui libris impalleſcunt, quique temporis illâ parte abutentes, quam coctionum abſolutioni, ſuccorumque hinc ſuperſtitum *tranſpirationi* natura propriam fecit, cruditatum cumulationibus ſe committunt; ampliùs, nervorum, quos

(a) *Hipp. epid. lib. VI. ſect. 6. v. 6.* (b) *Coac. prænot. art. 2. v. 35.*
(c) *Ibid. v. 47.* (d) *Ibid. v. 48.*

diutiùs tendunt & vehementiùs, *elaterem* violando, neurici fiunt & *hypocondriaci asthenes* adeò, ut quidquid ingratum aut est, aut videtur illis, mentem illorum aut cerebrum lædat, tam emoveri faciles aut promptæ sunt in illis nervorum evibrationes, oscillationes, *undulationes*! hinc melancholicorum grex, & *hysterica rum* turba frequens.

Vigiliæ nimiæ genus aliud est, tùm in iis, à quorum oculis fugit somnus sub *acutis* morbis, tùm in aliis, quos sub *chronicis* ægritudinibus vix unquam reficiunt somni solatia: in illis rapidior sanguinis motus, cerebrum meat celeriùs; in his factus sanguis acrior, nervos perpetuò vellicat, assiduèque pandendo arteriarum *diametros*, spasmodicè hiantes tenet, arcetque lenes illas sanguinis moras, quæ somnum invitant aut faciunt.

APHORISMUS IV.

Οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅ, τι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam bonum est, quod naturæ modum excedat.

VITA, jugis labor; *solidorum* nempe inceſſabilis exercitatio; aut alternans preſſus, quo implent, deplentque ſe partes: in hoc quippe ſitum eſt omne nutritionis negotium, quo ſtat vita, perguntque munia ſanitatis; *victûs ratio*, ait *Hippocrates*, (a) *fit repletione, vacuatione, ciborum, potuum*. Hîc autem mediocritate tam opus eſt, quàm neceſſarium, (de adultis enim hîc agitur) ut tantùm ſucci admittant partes, quantùm dimittunt, ita ut lucro jactura æquiparetur. Neque ergò ſatiatas eſſe convenit partes, neque inanitas nimiùm, ſub illo enim ſtatu *potentiam* ſuperante *momento*, victa *potentia* hæret, ſub altero minuto *momento potentia* vincit: animalis enim œconomiæ publica lex eſt, ingenitam partibus potentiam eſſe, continuò nitentem aut in ſe, aut in obvios ſibi fomites; fomites autem qui levamini ſint non oneri, qui exerceant potentiam non extinguant. Itaque non *ſatietas* partium, ſeu facta à ſuccis fartura convenit, hæc enim ultrà modum potentiæ partium *ſyſtalticæ* eſt, quæ hinc impedita, in oſcillando langueret, à terendoque ceſſaret & excernendo, unde *ſecretionum* defectus, & ingluvies partium, cruditatum & obſtructionum mater; ſed neque *fames*, ſeu inanitas partium, quarum quippe non coercitus neque temperatus *elater* (utpotè pabulo defraudatus ipſamet partium ſtamina deprædatur. Non ergò, ut *Celſus* (b) habet, *ex multâ fame nimia ſatietas, neque ex nimiâ ſatietate fames idonea eſt*; *fames* (c) *enim magnam potentiam habet in hominis naturam, & ſanandi, & debilitandi, & occidendi .... non minùs gravia mala evacuationis ſunt*; imò mala graviſſima illa ſunt, utpotè quæ nativas cor-

---

(a) *Epid. lib. VI. ſect. 8. v. 16.* (b) *P. 24. lib. I.*
(c) *Hipp. de vet. med. art. 15. v. 10.*

corporis potentias labefactant, ex æquo nempè *fluidorum & solidorum* ruinas minando, ut enim perditâ *solidorum* virtute, *fluidorum* languent energiæ, pessumdatis *fluidorum* energiis, animalis œconomiam ruere necessum est.

APHORISMUS V.

Κόποι αὐτόματοι φράζουσι νόσους.

Spontaneæ lassitudines morbos denuntiant.

Medicina & divinatio (a) *magnam inter se habent cognationem. Divinationis* (b) *autem munus est, ut ex manifestis obscura cognoscat* (medicus) *ex obscuris manifesta, ex præsentibus futura. Signa* ergò (addit idem Hippocrates) *describam, ex quibus quis sanos fore, aut morituros conjecturâ cognoscat*, &c. De numero ejusmodi signorum est illud quod hoc Aphorismo *describit, lassitudo* nempe *spontanea*, unde morbum prævidere docet: *spontaneam* autem illam esse oportet; à causâ enim manifestâ, qualis fuerit labor, quæ traxerit originem; cùm functiones interpellet magis quàm lædat, quietem indicat magis quàm morbum. Secùs est si *sponte* veniat *lassitudo*; tunc enim duo testabitur, impeditas nempè esse humoribus superfluis partes, à quibus cumulatis gravatæ pressæque partium fibræ, in oscillando segnescunt, musculorumque tardant motum. Insuper, cum ad fibras pertineat tarditas motûs, fibras esse quæ stagnantur meritò arguitur; denique ut nullibi tanta se prodit fibrarum multitudo, quàm in cute & viscerum involucris, quæ tota membranea sunt, illas esse consequitur, in quibus est lassitudinis sedes; *transpirationisque*, seu *tertiæ*, ut loquuntur, *coctionis succos* esse qui stagnantur.

Hinc ultrò fermè prodit se *indicatio* naturalis, ad sudores nempè aut *diaphoresin* referendi medici consilia, maximè cùm in cute hærere palàm sit lassitudinis causam; in cute, inquam, ubi hiando desinunt nativa, innumeraque *transpirationis secretoria*. Sed hæc audienda quidem forent & admittenda consilia, si sui juris essent *fluida*, sic ut motûs sui nati essent uni authores, sed obnoxia *solidis* facta sunt, quibus invitis, motus ullos aut secretiones exequi interdicitur; hocque de *transpirationis fluido* apprimè verum est, utpotè excernendo per ea cutis aut vasculorum oscilla, quæ valvularum instar claudunt sui generis *sphincteres*. Et reverâ doloris sensus est lassitudo, sub quo *fluida* quidem supprimuntur, sed cujus causa non est *fluidorum* suppressio, unde *solidorum* affectus est lassitudo, *à fibrarum spasticâ diathesi* ortum ducens; in eo portendens morbum, quod sic crispatis *solidorum* fibris segnescant oscillationes, *secretiones* otientur, & à refluis, qui *transpirandi* erant succis cumulata sanguinis moles, mille concipiat circuitûs tardandi causas, hisque vel illis visceribus *stases* minatur, *quæ febrem antecedunt ut habet Hippocrates alter.* (c)

(a) *Epist. ad Philopemen.* (b) *Hipp. lib. 1. de vict. rat. p. 308.*
(c) *Cels. p. 48.*

APHORISMUS VI.

Ὁκόσοι πονέοντές τι τῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῦ πόνου οὐκ αἰσθάνονται, τυφοισιν ἡ γνώμη νοσέει.

Quicunque aliquâ corporis parte dolentes, dolorem ferè non sentiunt, his mens ægrotat.

IN humano corpore, *confluxio* (a) *una*, *conspiratio una*, *consentientia omnia .... una quæque corporis pars altera alteri statim morbum facit .... venter* (b) *capiti, & caput carnibus ac ventri*. In his omnibus ut partes inter omnes, sic singularem inter has, quas carnes dicit *Hippocrates*, & cerebrum recognoscere licet & mirabilem consensum, in quo posita est omnis animalis œconomiæ ratio; quâ pergente, *si vel minima corporis pars malo aliquo afficiatur, eam affectionem, qualiscumque tandem fuerit, totum corpus sentiet*: (c) *hinc si quis aliquâ corporis parte laborans dolorem vix sentiat, illi mentem ægrotare* pronuntiat Hippocrates: *nosse* (d) *enim convenit non aliundè nobis quàm hinc* (è cerebro) *contingere molestias, dolores*, &c. Hâc certè de causâ, quod cum sensûs instrumenta nervi sint, minui sensum ideò consequitur, quòd ad cerebrum non pertingat actio nervorum, quâ moti evibratique cerebrum afficiunt. Cogitabis contractam alibi *spasticam diathesin*, quæ sepientes nervi fibrillarum *membranulas* stringat, quæque textum illarum arctando *lymphan* nervorum comprimat, tunc temporis *generis nervosi* undulationes intercipi necessum est; interim tolerabile malum, quo ægrotanti rediret illud commodi, eximi nempè à doloris sensu; sed in eo *latet anguis*, quòd ostendat isthæc absentia sensûs, tardari nervorum lymphæ motum, proindèque vitiatam esse circulationem partis illius albæ sanguinis, quæ per nervorum villos circulare suevit: signum ergò inde venit, in consensum trahi nervosum genus, quod quanti momenti in morborum curationibus esse soleat, perspicuum iis est, qui norunt infeliciorem tantò esse morbum, qui insilit nervis, quantò nobilior est qui nervos alluit succus, quantôque cæteris partibus præstantiores nervi sunt.

APHO-

(a) *Lib. de alim. p.* 361. (b) *Lib. de loc. in hom. p.* 399.
(c) *Ibid.* (d) *Lib. de morb. sacro. p.* 293.

APHORISMUS VII.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ· τὰ δ' ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ verò brevi, celeriter.

NUTRITIO, *solidorum* opus est, utpotè quorum operâ divisi, secti, paratique altiles succi, digeruntur, aptantur, apponanturque; *solidorum* ergò virtutis mensura nutricis virtutis mensura est, par in tantùm digerendis alimentis, in quantùm terendis illis comminuendisque sufficit *solidorum* energia. Hæc à longis ægritudinibus nutare solet, prudentiæ ergò medici erit *corpora, quæ longo tempore extenuata fuerint, reficere lentè*, ne ciborum nimiâ mole obruatur debilitata jam *solidorum* virtus. Hæc autem solidorum virtutis infirmitas, partium *toni* vitiatio est, vasorum nempè *diametrorum* minoratio, quam post se trahunt diuturniores morbi, qui fibrarum absumendo humores, partes siccant: porrò vasorum capacitates admittendorum succorum moduli sunt, ad quorum rationes respondeat oportet invehendorum quantitas, quæ si vasorum capacitates superet, cruditatum inconditis cumulationibus initia ponet, impar nempè vel illis attingendis, vel si attingant, illis subigendis impar. Igitur quandò *longo tempore extenuata fuere corpora*, in mediocritate ponenda venit artis sapientia, parcam offerendo ciborum quantitatem, ad quam aptare se queat, & componere vasorum capacitas. Morâ autem & tempore ad dilatandum se vasa indigent eò magis, quod ad nutritionis opus requiratur non solùm evidentium vasorum dilatabilitas, sed & expansio quoque facienda infinitatis illius plusquam capillarium vasculorum, ex quibus compingitur partium substantia, quæ cum à longis morbis compressa arctè conniveant, morâ longiori opus habent, sub quâ sensim se pandant & successivè, factura sibi aut redditura idoneas quæ obliteratæ ferè fuerunt sub morbo, capacitates. Non sic, *si brevi*, aut intrà breve temporis intervallum, *extenuatum corpus fuerit*, hinc enim vasorum majorum parietibus, à sola sanguinis hujusque succorum inanitate *confidentibus*, sed nedùm exsuccis parietum illorum fibris, idest, depressis nondùm, nec flaccescentibus illorum capillaribus vasis, *celeriter* refici postulat, seu novâ succorum farturâ citò repleri, quæ vasorum parietes interiùs fulciendo, & eos à majori *confidentiâ* tueatur, & capillaria ex quibus conflantur vasa ab ariditate præservet.

APHO-

APHORISMUS VIII.

Ἢν ἐκ νόσου τροφὴν λαμβάνων τις μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει, ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρέεται· ᾧ δ', τροφὴν μὴ λαμβάνοντος, τοῦτο γίγνηται, καὶ εἰδέναι, ὅτι κενώσιος δεῖται,

Si à morbo cibum quis capiens non roboretur, indicat corpus uberiori alimento uti. Si verò cibum non capienti hoc eveniat, evacuatione opus habere nosse oportet.

NUTRITIO operatio est, quâ resarcitur tantum quantum periit succi, & quâ accessione factâ alendæ parti, illi datur eò tensionis pervenire aut redire, unde vel exciderat, vel quò tendit naturaliter; modus ergò est nutritio aut nativum servandi, aut amissum reparandi *tonum*. Sed alterutrum fuerit, necessum est ut appellens altilis succus nata sibi loca subeat, partium nempè loculamenta, unde si repulsam pati illi contigerit, cassa fit nutritio, fomitibusque defraudatæ vires fatiscunt. Partium autem loculamenta intellige, vel vacantia succis capillaria vascula, vel eadem deperditis inanita succis, adeò ut quod in ædificiis sunt extantes lapides, qui inchoati operis, sed in futurum, cùm libuerit, perficiendi testes sunt, istiusmodi erunt loculamenta isthæc seu vacantia vascula, per universas corporis partes respersa, quæ inchoati nutritionis operis signacula sunt, apertaque ad nutritionem futuram invitamenta.

De cætero liquet ex nutritionis ratione, physicum opus nutritionem esse, spatium enim reverâ ad illam requiri patet ex vero & physico partium appositu, in quo consistit, imò partium quibus sui sunt modi, posituræ, figuræ ejusdem ordinis, generis & naturæ cum nutriendis partibus; canalitiæ ergò erunt & tubulatæ, meliùs tubulorum trunculi, vel additamenta, seu segmina tubulorum ultimis initialium corporis vasculorum oscillis & extremitatibus adjicienda, inoculandavè.

Ex hoc rerum *mechanismo* causa se prodit; ob quam à copiosiori alimento cedit interdùm tam improsperè nutritio, & inde robur corpori decedat; hæc enim venit nutricatûs infelicitas, quando præoccupata succis partium loculamenta, iisque satura adhuc appellentes ad se succos fastidiendo respuunt, plenè enim adhuc insuccata, succis novis loca recusant. Equidem id contingere *Plethoricis*, quibus sæpè nauseat stomachus miri habet nihil; id autem cadere in convalescentes, *Hippocratis* in medendo sagacitatis observatio vel monitum est. Hic igitur habes artis insigne documentum in curandis convalescentibus; nimirùm, *si quis à morbo cibum capiens non roboretur*, concludere juvat *corpus* insuccatum adhuc, *uberiori alimento uti*; plena enim adhuc partium illius vascula, in tantùm repleri non postulant, ut offerentibus se succis recusent ingressus, ità ut uberior fiat illis, quia inutilis & exuperans est ille cibus, unde *recidivæ* metus, sic monente eodem *Hippocrate*: (a) *qui ex longâ valetudine sese recolligentes, cibum benè su-*

(a) *Coac.* 1. 179.

sumunt, nihilque proficiunt, ii malignè recidivam incidunt. Hoc in casu medendi lex erit jussa victûs parcitas, *qui cibi* (a) *paulatim adjectione utetur, is corpori leniter sanitatem restituet*, quâ non obstante parcitate victûs, si non *roboretur* ægrotans, licèt rescisso cibo, non solùm *uberiori non utatur*, sed necessarium unicè sibi indulgeat, observatione fretus *Hippocrates*, nosse docet *evacuatione opus habere corpus*; quâ autem & cujusmodi evacuatione *opus habeat*, innuit *evacuationis* generale nomen, ex quo sic genericè usurpato concludit *Hippocratis* schola, accipiendam esse illam evacuationem, de qualibet, quæ ægrotantis & morbi conditioni accommoda magis videbitur. *Catharsis* ergò illa fuerit, si in causâ sit humorum purgationi debitorum exuperantia, interim, ut hîc innuitur, arcanam subesse superstitem à morbo vasorum satietatem, conjectura fit ad venæsectionem spectare quoque posse hoc *Hippocratis* monitum.

Verùm hinc observabitur; ideò fortassis longam & difficilem frequenter esse à morbis convalescentium percurationem, irritis quibuslibet purgationibus, ideò, inquam, quòd minùs ab humorum purgandorum acervo alescant morbi aut morborum appendices, quàm à superstite vasorum *stasi* aut satietate, seu à restitantibus in vasis capillaribus, residibus aut stagnantibus succis, quos efficaciùs eliminando *phlebotomia*, morbos citiùs expediret & feliciùs. Hinc observante melioris notæ medico (*b*) contumaciores esse *dysenterias*, quas venæsectio absolutoriè curat: meditandum certè medendi punctum! nec aspernabile iis, quibus cordi est ægrorum salus aut hominum vita; hi enim à purgationum infausto eventu in convalescentibus resipiscentes tandem, subodorabuntur in vasorum stagnationibus frequentiùs quàm in congestionibus humorum condi longorum & difficilium morborum fomites.

APHORISMUS IX.

Τὰ σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν.

Corpora ubi quis purgare voluerit, facilè fluentia reddere oportet.

MORBUS, civile bellum, sub quo *microcosmi* miscentur domesticæ res, seu turbarum status & excursionum, sub quo hâc illâc concursantes humores, impetûs vim, non *directionum* viam nec ductum sequuntur. Hæc cùm ita sint, curare erit, illas pacare turbas & compescere fluctus, ad suos tramites singulos revocando humores, meliùs horum quoslibet *de tramite in viam* reducendo & ad propriam illorum ducendo metam, idest, natam *secretionis* officinam; unde totus erit hic labor in mutando motus, qui *impetus* erant, in directiones, faciendo ut qui vi aliò & tumultuariè offerebantur sanguinis motus, ad sui circuitûs seriem redeant, directòque ad sua pergant *secretoria*. Sed ut isthæc succedat motuum conversio, opus est ut obsecundent partes, quas ideò obsequibiles fieri oportet, nam contrà stimu-

---

(a) *Hipp. lib. de vict. rat. p. 338.* (b) *Sydenham.*

mulum recalcitrando retroagerentur, omneque turbaretur *secretionis* negotium. Par *excretionum* ratio, ad quas *purgatio* pertinet, quæ igitur in tantùm prosperabit, in quantùm flecti faciles factæ partes, quos excernendos vehunt succos ad sua *secretoria* rectà deducent. Itaque *corpora ubi quis purgare voluerit, facilè fluentia reddere oportet*, hoc est meabilia, in quibus reserati meatus omnes, patulaque omnia secretoriorum oscilla, paratos semper excernendis humoribus offerant exitus. Enimverò corpus humanum habebis, non secùs ac præli genus, undequaque pervium, totumque tam *forâs*, quàm *introspirabile* (a) in quo proindè coacti humores, ut perpetuò premuntur, ita versùs illos exitus tendunt indesinenter; hinc *tendentiæ* naturales & *vergentiæ* humorum, quibus ut se tueantur, necessum est ut hient jugiter meatus omnes, ut pressi humores aufugiant, quod *fluens esse corpus* dicit Hippocrates. At meatus ad *solida* pertinent, tractabilia ergò esse corporis *solida*, *fluens esse corpus* nuncupabis, maximè cum suam tamdiù *solida* servent *eutoniam*, quamdiù flexibiles illorum fibræ, nativam servant tractûs sui directionem, situs proprios, *enclimata*: *fluentia* quoque oportere esse *fluida* corporis necessum non minùs est, si ex compertâ sanguinis naturâ attendas, quàm immensè ductilem esse oportet succum, qui tubulos tam innumerabiles quàm longos, tam angustos quàm multiplices meandos habet. Sed istiusmodi sanguis est qui ut innumera, sic insensibilia transcurrit vasa, intrà quæ non infinitè divisus dispergitur, sed indivisus semper, & ductitius protrahitur. Eò usque autem fluentia corpora ad purgationem esse oportet, purgationis enim naturale punctum est, ubi quasi ad ultimum *secretorii* limbum adducti succi, ad exitum turgent, vel gestiunt.

APHORISMUS X.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν τρέφῃς, μᾶλλον βλάπτεις.

Impura corpora, quò magis nutriveris, eò magis lædes.

PRobè nosse (b) *oportet, quibus sorbitiones in morbis non conducunt: nam statim ubi hoc fecerint exacerbantur ipsis febres ac dolores, & manifestum fit, quod absumptum morbo quidem alimentum ac incrementum præbet, corpori verò tabes & infirmitas existit.* Tanti est cibandi scientia in morbis! impurato enim corpori venenum est alimentum. Impuratum autem corpus intelliges, non solùm in quo primæ viæ scateant sordibus, aut quæ acentibus succis infestentur, sed in quo durant adhuc nedùm extinctæ impuritatum causæ. Febriles oscillationes hæ sunt, arcanæ nimirùm *solidorum spasticæ diathesis* reliquiæ, unde siniistrè subacti humores, vel in fœda eliquamina desinunt, vel in coriaceos coalescunt succos. Impuritates enim in primis viis unicè agnoscere pro minimo erit, utpotè quarum pars major in-

(a) *Hipp. epid. lib. VI. sect. 6. text. 1.* (b) *Hipp. de vet. medic. art. 12. v. 9.*

trà vasa, ipsoque in sanguine continetur; quo sensu impurum dices quidquid sanguinis obscurat nitorem, tritum corrumpit, & depurationem arcet, soliti enim hi corporis impuritatum sunt fontes, quos siccari oportet aut extingui, antequàm ægrotum cibare suscipias, nisi morbo magis quàm sanitati fomites velis suppeditare. Hâc de causâ tantum observandus medico venit in convalescentibus cibandis stomachi status, illorum semper suspecta habendo bona, quandiù tardaverit appetentiæ regressus, quantumvis vel bellè habere se videatur alimentorum prima concoctio; à stomacho enim primum quidem expectabis, nec infidum valetudinis signaculum, quod tamen dat minùs coquendi quàm appetendi virtutis argumentum. Exemplo fuerit febrium à *cortice Peruviano*, ut videtur, percuratio, lubrica semper, *paroxismorumque* regressu patens, quamdiù micare cessat appetitus: tunc enim dolo sunt vel ipsa *paroxismorum* cessata, quamvis succedat quoque ciborum laudabilis concoctio; hinc enim concessa paulò confidentiùs alimenta, quæ in fultum adhuc malè *solidorum tonum* cadunt, impotentioris aut malè sibi constantis *elateris* potentiæ committuntur, unde mille, ut trituum ità & digestionum offendicula, inconditèque subactorum succorum superamenta. *Statim* (a) ergò *graves segnesque corpore fiunt, mente pigri, hiatuque ac oscitatione, dormitatione & siti pleni .... flatus & tormina & alvus effringitur, & multis magni morbi principium hoc fuit.* Quemadmodùm enim confessa medicinæ regula est, non emendabilia esse secundis concoctionibus primariæ concoctionis peccamina, æquè verum est, non ideò suam asseri secundis concoctionibus integritatem & laudem, quia primariæ concoctioni sua constiterit integritas aut perfectio: in causa est in convalescentium plurimis potentiarum & proportionum *elateris* disparilitas stomachum inter & subiecta viscera, quapropter stomacho non accinunt cæteræ corporis partes, dum enim suâ stomachus *eutoniâ* viget, *cacotoniâ* illæ laborant: hocque sub statu quo plus stomacho ingeres alimenti, tantò plus *lædes*, quantò nempè dispar viscerum *elater*, appellentes sibi succos inconditè, perperàm aut vitiosè conficiet.

APHORISMUS XI.

Ῥᾷον πλησθῆναι ποτῷ, ἢ σιτίῳ.

Facilius est repleri potu, quàm cibo.

REPLETIONIS genus nutritio est, quam spectat hic *Aphorismus*, qui illius functionis rationem aperit; nutriri enim partes, eas est impleri: *impleri* autem possunt *facilius potu quàm cibo*, ex iis enim conflantur, quæ potulentis solùm aut liquidis meabilia sunt, non numerabilibus nempè vasculis ex quibus partes coalescunt. Cogites quàm tenues aut graciles tubuli illi sint, quàm longi, quàm angusti, quot & quàm frequentes or-

bes,

(a) *Hipp. de vet. medic. art.* 19. v. 7.

bes, anfractus, labyrinthi, in quos flectuntur, glomerantur, denſantur, pallàm fiet potulentis unicè dari tam inconſpicuos meatus, cæcoſque adeò receſſus poſſe ſubire. Ampliùs ad nutritionem requiritur non ſolùm ut penitiora partium loca permeent edulia, ſed & ut illa inoffensè percurrant, ſic ut doloris & moleſtiæ, imò & ſenſûs affricent nihil, quæ omnia aliis quàm liquidis non facilè concedes. Reverâ mulcimine quodam donari præ *ſolidis* liquida viderentur, præterquamquòd enim fluxis, lubricis & volubilibus particulis conſtant, quæ utpotè lenes, leveſque, tubulorum quos meant, fibras afficiunt minùs, ſinu ſuo non tam rerum ſapores aut ſubſtantias condunt, quàm ſoluta, ideòque fracta debilitatavè ſaporum aut ſalium ſemina, apta nata fortè vellicandis amicè partium fibris, ſicque proin alendis *ſolidorum oſcillationibus* neceſſariis, illis autem mordendis ſtimulandiſvè fortiùs impotentiora: longè alia eſt rerum, qualis cibus eſt natura aut conditio, quæ cùm ſalinarum aut affinis naturæ molecularum compacturæ ſint, plus habent ponderis aut maſſæ; hâcque de causâ meabiles minùs ſunt, quandoquidem ut ut ſtomachi tritu ſolvantur, eò tenuationis perveniunt nunquàm, quâ cum liquida nata ſunt, & quâ cum in ſtomachum deſcendunt: Porrò ſoluta jam materies eò appellens, ubi ulteriùs ſolvenda eſt, tenuationis plus ibi adipiſci debet, quàm altera materies quæ ſolida advenit, integra & indiſſoluta, eum in locum quò diſſolvenda venit: unde ſequitur tantò magis tenuatum à ſtomacho deſcendere quod liquidum eſt, quantò tenuatum magis in ſtomachum deſcendit: iſtiuſmodi autem eſt potulentum omne, longè magis ergò tenuatum à ſtomacho ad partes nutriendas ibit, quas ſubeundo penitiùs, replebit magis.

APHORISMUS XII.

Τὰ ἐγκαταλειμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μὴ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἰώθασι.

Quæ in morbis poſt criſim relinquuntur, recidivas facere ſolent.

HEu! intuti quoque meliores morborum eventus; vel enim ab ipsâ *criſi* mali aliquid metuendum ſupereſt. Interim *criſis* nomine hîc accipies *ſolutionis* aut *judicationis* morbi omne genus; febrium *paroxyſmos* ſudor; *aſthma* ſputatio; *hæmorrhoides*, *hæmorrhoia*; *ſtrangurias* urinæ *puriformes* ſolvere videntur, ſed in illis morbis omnes hæ *excretiones judicatoriæ* quidem ſunt, ſed non *judicantes*; ex his enim morbis nulli ſunt, qui ſuis non pateant *recidivis*. Alii ſunt ſub quibus videas *apoſtaſes* infidè *criticas*, quæ ſecundarii aut additicii morbi ſunt, & tam imperfectè *judicantes*, ut ad eoſdem regreſſuros morbos quaſi teſſere haberentur; ejuſmodi ſunt *anginæ*, *arthritis*, *hydrops*, in quibus abſcedentia, *phlegmone*, nodi, aquarum collectio, evacuatiovè, ut ut ſaluti ſint, aut levamini, à recidivis non præſervant. Fallaces *criſium* aliæ ſunt & nothæ ſimilitudines, quæ incautas medentium mentes inopportunâ ſuâ *excretionum* ſpecie luderent; tales exhibent ii *morbi qui præ-*

rum-

rumpunt, qui præexcernuntur, (a) *aut intùs relinquuntur*; hùcque spectant *variolæ confluentes*, *morbilli maligni*, *petechiales vel purpuratæ febres*, quorum omnium inconstantiæ aut pericula indè veniunt, quòd *prærumpant*, aut *præexcernantur*, ideſt, præmaturæ fiant in eis eorum *excretiones*, quæ à causâ morbi non liberant, hæc imò intùs *relicta* causa, in viscera sævit aut nervos, unde morborum illorum malignitas & insidiæ. Ab ejusmodi *crisibus* spuriis damnosa relinqui humorum superamenta palàm est, à quibus committi posthàc quæ consequentur multiplices morborum appendices intelligitur; hæcque *ætiologia humoristarum* palato sapiet plus satis, quos unicè capit in medendo humorum cura: interim aliusmodi sunt morborum reliquiæ, unde recidivæ fiunt aut infelices curæ. Ut enim in faciendis morbis, sui sunt *fluidorum* modi, vel qualitates, quas in medendo emendare convenit, *solidorum* quoque modificationes sunt, quas oportet reconcinnari, quæ sunt partium *tono* læsiones factæ, quas deleri decet, seu impressa partibus morborum vestigia; quæ mutando nativas fibrarum directuras, morbidas alere pergunt *solidorum* oscillationes, à morboque inductas *fluidorum determinationes* fovent: porrò à relictis istis *solidorum* morbosis modificationibus, superstitibus nempè morborum vestigiis, aut *toni* partium læsionibus, recidivas expectare convenit, in quantùm manente sic sanguinis circuitûs causæ principis offensâ, à sui motûs orbe delirare jugiter aut desciscere periclitatur sanguis.

Quod enim in *macrocosmo* est à popularibus morbis superstes contagio, hoc ipsum est in *microcosmo* à graviori morbo relictum partibus, impressumque vestigium. Contagio est, *aer* (b) *ejusmodi inquinamentis plenus, quibus humana natura offenditur, tunc enim homines ægrotant.... simili enim corpori* (c) *similes spiritus, similiter permixti, similes gignunt febres.* Natum ergò in aere putabis *miasmatis*, aut spiritûs *elastici* novum genus sanguini afflatum, means nervos, horum *lymphæ* adnascens, partiumque substantiæ affrictum; quarum *tonum* invertendo ad suum *rythmum* format illorum vibrationes, oscillationesque modulatur; ampliùs, actuoso illo spiritu totum turgens corpus, eundem *transpirando* abundè afflat circumjecto aeri non tantùm, sed & vicinioribus sui generis corporibus, quæ in congenerem vibrationem emovebit, concordemque in illarum fibris aut similem oscillationem exsuscitando, similem in iis faciet morbum. Itaque ut in his omnibus mirabilem observabis fibrarum teneritudinem quam alit auræ halitus, aut spiritûs odor vel contagium, similiter à gravi morbo arcanum prægressi morbi causæ odorem superesse cogitabis, illamque fibrarum teneritudinem, quæ quamdiù durabit ad recidivas inclinatio jugis aut indesinens propensio erit.

(a) *Hipp. de humor. art. 7. v. 16.* (b) *Hipp. de flat. art. 8. v. 6.*
(c) *Ibid. v. 2.*

APHORISMUS XIII.

Οἷσι κρίσις γίνεται, τούτοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἢ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ. ἡ δὲ ἐπιοῦσα ἀφορωτέρη ὡς ἐπιτοπολύ.

Quibus crisis fit, his nox ante exacerbationem gravis est: subsequens verò levior plerumque.

MORBUS naturæ labor, non cæcus, non fortuitus, non inconsultus; illius enim eluctantis se nisus est ad morbidæ causæ excretionem aut solutionem properantis aut collimantis: *considerare* (a) *ergò morbos oportet, ex quibus quasnam formas habeant, ad quos locos conversi sunt, quo tempore cœperunt, affuerunt, cessarunt*; ut ex iis cognoscere discat medicus quam natura *excretionem* moliatur, quæ proindè expectanda illi *crisis* vel evacuatio est. *Excretionum* autem sua signa prodroma sunt; *ex faciei rubore*, (b) *capitis dolore vehementi, venarum pulsu, hæmorrhagia plerumque expectanda: ex stomachi fastidiis, oris ventriculi morsu, crebrâ sputatione, vomitionem adfuturam judicabis: si ructus adsunt, flatus, ventris sonitus cùm inflatione, iis alvus exturbatur.* Igitur hi & similes sunt naturæ labores, quibus ad *crisin* itur & à quibus medico qui artifex fuerit, metuendum minùs, quàm sperandum erit. Nascentibus ergò gravioribus *symptomatis* non terrebitur, si ad morbi ingenium, tempora, morem, *desinentiam* se gerant; si juxta naturæ vias, leges, directiones, locorumque vergentias, *criticis* diebus, unàque cum *criticis* signis procedant, fausta enim erunt prosperantis judicationis præsagia. Hinc autem intelligitur quam ob causam *graviorem accessionem tristior nox antecedat*; (c) fortior enim pugna est, quò propiùs accedat victoria: *quæ verò sequitur nox levior est*, fructus enim victoriæ pax, unde succedunt *profundi somni, non turbulenti*, qui judicii (d) firmitatem denuntiant.

Hinc æstimare norit medicus & febrem & febris accessiones, ut enim *febres fiunt cùm pus fit*, illas *coctionum* architectas esse consequitur, neque enim aliundè mutuaberis sub *synocho* febre *coctionis* tardatæ causas, in quâ promovendâ tam infelix natura est, quòd febris ista hæc *homotona* facta, in pugnando ignavior sit, quia patiens nimiùm, nec satis pugnax suo indormiscit labori. Sub hoc conceptu, quæ ad *crisin* eunt cujuslibet vultûs sint *symptomata*, sui generis febres erunt aut febrium accessiones, quod enim in arteriis crebriores pulsus sunt, hoc ipsum in membraneis partibus sunt acceleratæ oscillationes, repetiti tot ictus, quibus suum natura ferit & curat hostem, imò tot naturæ ad victoriam se parantis instrumenta. Ambitiosa verba! vera tamen, si enim ad *convulsionem* (e) *paralysin, apoplexiam* & graviores morbos debellandos accingat se natura, febrem induit; hujusque exemplo ducti artis prudentes febrem interdùm accendere audent aut promovere, quæ illorum in curandis senum (f) morbis sapientia aliquandò est & peritia.

APHO-

(a) *Hipp. epid. 6. sect. 8. text. 44.* (b) *Coac. 142.*
(c) *Cels. p. 124.* (d) *Coac. 151.*
(e) *Vide aph. 26. S. II. 57. S. IV. 5. S. V. 40. 44. 51. S. VI. 52. S. VII.* (f) *Vide Sydenham.*

APHORISMUS XIV.

Ἐν τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν αἱ μεταβολαὶ τῶν ἀφεδρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

In alvi profluviis mutationes excrementorum juvant, nisi in prava mutentur.

MORBI à naturâ receſſus ſunt, graviores ergò quò remotiores ſunt illi receſſus. In morbis autem qui ad *excretiones* pertinent remotiores tanto ſunt, quantò multiplices magis ſunt reſpectus, ſub quibus à *ſecretionibus* abalienatæ ſunt *excretiones*: ſed harum abalienationes ſunt in *quantitate*, *in qualitate*, in excernendi modo; in quantitate quidem quia pauciores ſunt vel immodicæ; in qualitate, quia peregrini ſunt coloris, corporaturæque aut habitudinis alienæ; tandem in excernendi modo, fiunt enim cum doloris, anxietatis aut moleſtiæ ſenſu: in medendo igitur faciet medicus, ut illæ *excretiones*, ab illis omnibus receſſibus emendatæ, ad *ſecretionum*, à quibus deſciverant, naturas redeant. Sed hæ ſunt in meliùs factæ mutationes, quas in *alvi profluviis* laudat *Hippocrates*; ubi excretiones in quantitate mutari vult, ut ſiccetur perennis ille *colliquationis* fons, quo univerſa corporis annona præſcinderetur; earundem qualitatem verti optat, ſic ut incruentæ fiant quæ erant cruentatæ, flaveſcentes quæ albæ erant, ſuccoſæ quæ dilutæ, puriformes quæ *ſeroſæ*; quod autem obſervabile magis, puriformem ſpeciem omnem exuant, quod obtinebitur non priùs quàm ceſſaverit doloris aut moleſtiæ ſenſus, qui ut rodentis ſucci, ità deterentis ſe inteſtinorum ſubſtantiæ ſignum eſt. Verùm ſi derepentè cohibeatur alvina iſthæc *excretio*, ſi in atrum illius mutetur color, ſi in *ſphacelum* dolor, in deterius mutationes factæ ſunt, quas hîc damnat *Hippocrates*.

APHORISMUS XV.

Ὅκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, σκέπτεσθαι χρὴ τὰς ἐκκρίσιας· ἢν μὲν χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει· ἢν δ' ὅμοιαι τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίγνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Ubi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur, excretiones inſpicere oportet: ſi enim biliioſæ fuerint, corpus unà ægrotat: ſi verò ſimiles ſanis fiant, tutum eſt corpus nutrire.

TONSILLÆ & *partes ſub linguâ intumeſcentes .... eæ omnes partes ex pituitâ afficiuntur.* (a) *Tubercula quæ oriuntur omnia, ex pituitâ aut ſanguine oriuntur.* (b) Hi ſunt *faucium* affectus hæcque *tubercula* de quibus hîc ſermonem habet *Hippocrates*, quæ cum à *ſanguine* aut *pituitâ* naturâ ſuâ pro-

(a) *Hipp. lib. II. de morb. p. 454.* (b) *Id. lib. de affect. p. 540.*

producantur, sub his observari jubet, cujus naturæ fuerint *excretiones*, seu humores qui vel eructantur sub faucium affectibus, vel continentur in illis *tuberculis*, ut inde recognoscat medicus benigni nè sint affectus illi, *sanguineæ* nempè aut *pituitosæ* prosapiæ, quæ illorum indoles naturalis est; tunc enim *tubercula* erunt solius partium indigenæ *lymphæ* fœtus, quæ suis in *glandulis* stagnata acet putretque; secùs erit si *excretiones bilioſæ* fuerint, à bile nempè flavâ atrâve, salsâ aut *muriaticâ* nata, tunc enim maligna *tubercula* erunt, luis saltem *melancholicæ* progenies, ex eo metuendæ, quòd à privato partium vitio oriantur minùs, quàm ab *ægrotante* universo *corpore*, ab ipsâ nimirùm sanguinis massâ, quæ à benignâ suâ naturâ abalienatur, utpotè perditâ illius nativâ *crasi* & in *salinam* mutatâ; unde labefactata *pituita* sanguinis, aut lympha, partium corrumpit nutricatum, soboleſcentiaque tubercula inficit. Sub hâc sanguinis vitiatione, *nutrire corpus lædere est*, succorum enim corruptelæ fomites adduntur, tutus ergò unicè victus qui & quantitate suâ & qualitate medicamenti vices gerat, hàc quidem sanguinis peccamina arcendo, illâ hæc eadem coërcendo.

Hujus Aphorismi fructus fuerit, didiciſſe, quanta esse debeat medentis cura, in expendendo sanguinis, ipsius potissimùm *lymphæ* statu, sub illis morbis qui insident cuti, quales ii sunt omnes qui illam sub quâvis pustularum, papularum, aut aspredinum specie deturpant, urunt, depascuntur, quò pertinet *scabiei* & *herpetis* omne genus, tùm rubentes pustulæ, quas *hepaticas* vocant, aut *hepati* calido imputant, quas omnes ægritudines rebelles in curando aut contumaces ideò experiuntur, quòd neglectâ sanguinis statûs cognitione, medicaminibus eos aggrediuntur morbos, quos tutiùs diæta sanat aut meliùs: hùc enim coincidit omittenda nunquam observatio de morbis qui à *lymphâ* fiunt: quos spretâ optimâ diætâ percurare non expectabis, ut enim altilis succus *lympha* est, ab alimentis ut correctio illius, ità & ejusmodi morborum curatio obtinebitur. *Morbi (a) quicunque ulcerum genere continentur, & reliquo corpore supereminent, unâ cum medicamentis etiam fame curandi sunt.*

APHORISMUS XVI.

Ὅκου λιμὸς, ἐ δεῖ πονέειν.

Ubi fames, non oportet laborare.

HErodicus (b) *febricitantes . . . . . luctâ conficiebat, idque malè, febris enim fami inimica est*, quò alludit hoc aphorismo *Hippocrates*, admonendo *laborem* (c) *omnem vitandum esse, si quibus de causis futura inedia est*; quod innuere est medicationum aut medicaminum labori parcendum esse, quandò inediæ aut victûs parcitati addicendus æger est, *laborem enim labore* (d) *curare* periculosum, seu medicaminibus ægrum exinanire eodem tem-

(a) *Hipp. lib. de loc. in hom. p. 416.* (b) *Epid. lib. VI. sect. 3. text. 13.*
(c) *Cels. p. 24.* (d) *Hipp. ep. lib. VI. sect. 3. text. 13.*

tempore quo alimentis fermè defraudatus est : hoc sensu ad *Hippocratis* ætatem singulariter pertineret hoc artis documentum ; reipsa tamen ad omnes temporum ætates spectat mens illius aut ratio, quâ medico interdicitur omnis medicationum vis, iis in morbis ubi succorum vel *fluidorum* factâ fame aut inopiâ, malè sanæ mentis foret organa corporis vel *solida* stulto labore aut periculoso conficere. Enimverò hunc aphorismum de fame sanorum interpretari, & authoris & operis gravitati repugnaret, cùm laudi minùs quam ludibrio foret plebejum illud & è trivio natum assertum, quo pronuntiaretur laboris interdictum quandò fame laboratur ? Hîc ergò utile quoddam ad medendum suspicari decet effatum, de morbidâ partium fame illud hîc exponendo. Ab inanitione vel *ab exhausto* fieri morbos confessum est, hæc ergò ubi fuerit corporis fames, nec medico, nec ægroto laborandum est, quiete enim tunc magis quàm opere proficitur ; *solidis* debitum concedendo temporis spatium, quo nativum *elaterem* aut *tonum* recuperent, idem indulgendo *fluidis*, ut ad nativam suam se recipiant fluiditatis vim & tenuationis potentiam, ut utrinque restitutis *solidorum & fluidorum* potentiis, medicinæ locus fiat, aut medentis operibus. Porrò positum hîc agnoscas ab artis principe, *medicinæ negativæ* fundamentum, unde discant *actuosæ* aut *positivæ* medicinæ *zelatores*, in medicinâ ut *agendi*, ità *quiescendi* suum esse tempus, quo posthabito, *quâ fideliâ*, morbos qui à repletione sunt, eâdem qui ab inanitione tractabunt. Nec dispari medicaminum torturâ *spasticas & humorales* ægritudines, idem omnibus aptando calopodium, *melancholici*, *hypochondriaci*, *hysterici*, *spasmodicive* affectus fuerint, sive *sanguinei*, *pituitosi*, *serosi* aut crudi ; licèt quantùm illis materiæ desit, subsitque *ataxiæ*, tantùm humorum aut succorum his adesse queat.

APHORISMUS XVII.

Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐπέλθῃ, τοῦτο νοῦσον ποιέει. δηλοῖ δ' ἡ ἴητις.

Ubi cibus præter naturam copiosior ingressus fuerit, id morbum facit, ostendit autem sanatio.

HEu, *ut etiam bona redundantia morbi existunt !* (*a*) Parilitatem ergò ceu proportionem statuit *Hippocrates* corpus inter & alimenta, ut *corpus à cibis æqualibus æqualiter nutriatur, à corpore verò cibi superantur,* (*b*) &c. Superamenta ergò à cibatu non erunt, ut sanitas conservetur, quæ cùm necessariò cumulentur, *si cibus præter naturam copiosior ingestus fuerit,* necessariò quoque morbus succedet. Generales enim morborum causæ sunt humorum *stases*, quas abundè facit sanguinis circuitûs pigrities aut tarditas, quam accersit facillimè succorum illius copia major, nam hinc factum sanguini pondus aut impedimentum, circulationi illius injicit moram, *secretioni-*

(a) *Abderit. epist. ad Hipp. v* 40. (b) *Hipp. de loc. in hom. art.* 52. *v.* 5

cibusque tarditatem & turbas, unde seminia morborum. Hîc ergò commendatum ab *Hippocrate* habes servandi partium *fluidarum* cum solidis æquilibrii curam, ab illoque acceptam tenebis duplicis in corpore potentiæ vim, quâ hinc alimentum *solidæ* partes *superare* nituntur, illinc quâ ab alimento *superari* recusant: *postquam*, (a) inquit, *plus aut minùs* (alimenti) *in ipsum ingestum est superatur*, (corpus,) *superant autem cibi, & cùm sanè superatur corpus ab his quæ ipsi offeruntur . . . . superant hæc simul & corpus, & contraria corpori faciunt*. Hîc enim mentis oculos illi caligare oportet, qui his in *Hippocratis* verbis, *systaltica* partium virtutis, alternantisque oscillationum potentiæ *mechanismum* aut artes animadvertere recusarit; potentiæ verò illius, quæ si superata fuerit, morbis fundamina ponit & causas; hasque ostendit artis usus aut *sanatio*, quæ in detractione succorum posita, iis in morbis quos fecit ciborum luxuries, corporis succos minuendo, prosperat.

APHORISMUS XVIII.

Τῶν τρεφόντων ἁθρόως καὶ ταχέως ταχεῖαι καὶ αἱ ἀφοδεύσιες γίγνονται.

Eorum quæ confertim & celeriter nutriunt, celeres etiam fiunt egestiones.

Hujus partium æquilibrii, nutricatûsque æquabilitatis rationem hîc exponit *Hippocrates* & necessitatem, docendo quinam esse debeat, quàm mutuus omnes inter corporis partes concentus, tantaque proportio, ut ultimæ partium potentiæ cum primis concordent, corporis habitus cum centro, *transpirans* cutis cum coquente stomacho, ut par sit in corpore *accepti & expensi* quantitas, æqualis nempe cum assumptis alimentis, distributio succorum, & eorumdem excretio. Igitur quâ diligentiâ, copiâve fiunt *euchymorum* ciborum coctiones, diligentiâ eâdem & quantitate fiant oportet illorum egestiones. Hinc observabilis sanitatis regula non à stomachi aut appetitûs potentiâ definiendam esse cibatûs mensuram, sed à *transpirationis* copiâ: sequitur altera sanitatis lex, à *fluidis* venire minùs quàm à *solidis* nutricatûs præstantiam aut complementum; tertiam addes, indulgendum non tam iis quæ *nutriunt confertim & celeriter*, quàm iis quæ *confertim & celeriter* transpirando egeruntur. *Cibi sunt enim qui brevem vitam habent*, (b) *aut faciunt, illi nempè qui partim celeriter superantur, partim* (c) *tardè*; celeriter in stomacho centroque corporis, tardè in habitu vel *transpirationis* organo. Hinc cruditatum ampla seges, quæ urbanos, aulicos, & divites infestant, otiosorum ut plurimùm hominum gregem, qui dùm in exquisitis pluribus & actuosis dapibus assidui sunt, otio torpere amant unicè, languereque desidiâ: sed hinc creto *fluidorum* pondere vel momento, unà decrescit *solidorum* vis, facta sic impar excernendæ per *transpirationem* tantæ molis materiæ. Inde sanitatis

(a) *Hipp. de loc. in hom. art. 52. v. 7.* (b) *Hip. epid. 6. sect. 5. v. 37.*
(c) *Ibid. v. 53.*

tis singulare præceptum, scilicèt ad coctionum integritatem minùs esset, *euchyma*, actuosa, opulentaque spiritibus edulia usurpasse, quæ fluidorum cumulum faciant, spretis iis quæ *solidorum* erigunt vires, *transpirationisque* organum elevant aut firmant; corporis exercitationes intelliges, quarum neglectu, feriantes nimium partium fibræ, in oscillando morantur, in excernendoque tardant: quod enim nulla delebit oblivio, non propria vi, non suopte impetu *fluida* à corporis centro ad habitum eunt, sed illorum motus impulsus est, tritus, allisus, quem à solidis habent, quorum pressu aguntur, feruntur, efferuntur.

APHORISMUS XIX.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων ἡ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προλαγορεύσιες, οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγείης.

Acutorum morborum non omninò tutæ sunt prædictiones, neque mortis, neque sanitatis.

HIppocratis querimonia hæc vel admonitio erat, quo tempore temerata nondùm audaculorum in curando manibus medicina, constantibus naturæ legibus illibatis adhuc serviebat, senserat enim sapiens ille naturæ mystes dubios & ancipites artis eventus, *maximè cùm instabilia sint quæ in humidis consistunt*, (a) tamque humidum nihil quàm corpus humanum, cujus partes aquaticæ sunt magis, quàm terræ fluitantes; dùm hæ enim substratis aquis fultæ illarum mobilitati obnoxiæ sunt, illæ *fluidis* insuccantur aut *lymphis*, quarum affectionibus, modis & motiunculis mancipantur. Vera hæc erunt observanti, quàm densè compactæ sunt ex vasculis partes, quæ omnia *fluido* suo turgidulæ sunt, adeò ut quantò amplior, crassiorque est quam oculis monstrant illæ carnium moles, tantò sit uberior quæ intrò latet *fluidi* copia. Addas, ut nulla est *fluidi* illius guttula, quæ tubulorum coercita non sit, ità esse nullam *fluidi* partem quæ tubuli *systolen* aut pressum non experiatur, undè concipere promptum est totam corporis molem aliud esse nihil præter compaginem *tubuloso-aquaticam*, perpetuò undantem, ubicunque fluitantem, agitatam, jugiter aut agitabilem. *Quapropter* (b) etiam facilè *& à naturâ & à fortunâ transmutantur* corporis res; à *naturâ* quidem utpotè instabiles natæ *rotaque à naturâ* (c) *morbi*, *à fortunâ* verò, quia externis mille & adventitiis patent humanæ sortis casibus. Hos inter morbi certè sunt, & morbos inter qui *acuti* vocantur, licèt enim sub omnibus morbis, fiant naturæ rerum *transmutationes* plurimæ, plures adhuc sunt (quia crebriores & celeriores) sub *acutis* morbis, quas propter temporum angustias prævidere medenti concessum minùs. Enimverò stante sanitate, ubi constant certæ motuum leges, intelligere datur cujusmodi ab hinc fieri poterunt recessus vel

(a) *Hip. de decent. orn. art.* 10. v. 7. (b) *Ib.* v. 8.
(c) *Hip. epist. ad Damag. p.* 1166.

mutationes; at cujusmodi mutationes erunt quæ factis semel à naturâ recessibus succedent, cognoscere incertum est: atqui *morbi acuti* ejusmodi sunt à naturâ recessus, quos ordinis loco, turbæ, tumultus, & confusio sequuntur, hinc ergò quò evadent desinentvè ad vitam vel ad mortem, quæ succedent mutationes, ut concipere arduum, ità definire non tutum aut temerarium est. Itaque *in acutis morbis fallaces magis notæ sunt & salutis & mortis*. (a)

APHORISMUS XX.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσιν ξηραίνουσι· ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισιν ὑγραίνονται.

Quibus, dum sunt juvenes, alvi sunt humidæ, iis senescentibus siccantur. Quibus verò, dùm sunt juvenes, alvi sunt siccæ, his senescentibus humectantur.

PUGNANTIA loqui hîc videtur *Hippocrates*, nihilominùs vera, observata quippè & enarrata à principe observandi magistro, tùm & corporis rerum naturæ concordantia; licèt enim à senecta humere ventres & siccari hîc statuatur, reipsâ tamen congruum nè aliquid putabis magis, quàm à firmiori facto partium *tono*, cessare fibrarum laxitatem? Casus autem hic est alvi, quæ in juventute humida, senectâ adventante, siccatur; nihil enim habet miri, quòd ætatis progressu siccescens corporis senilis habitudo, siccitatem alvi secum inducat; obvia aliundè ratio est, unanimis nempe *nervosi* generis consensus, hoc enim eâ sui parte affectum, ubi numerosius est, directè & ultrò communicat cum alterâ quæ æquè numerosa est, talis autem est intestinorum & stomachi textus, qui de nervis participat non tantùm, sed totus à naturâ nervus est; posthac stomacho & intestinis stringi promptum erit, quo tempore stringi cutem eveniet: amicabilis est & ultronea collusio seu mechanica necessitas, quâ partes colligatæ minùs, quàm continuæ sibique cohærentes, mutuas sortiantur, ament & sentiant affectiones. Ad ejusdem interpretationis mentem, sub juventute sicca alvus, sub senectute humescit; sub hoc enim prægressæ ætatis siccæ statu, factum fuisse in vasis uberem succorum proventum, qui in juveni corpore meabili maximè & *transpirabili*, sensim & innoxiè per cutem expirabat, sed accedente senectâ secùs est, præterquàmquod enim imminutâ in corpore senili *transpiratione*, *transpirantibus* illis succis clauduntur exitus, strictiores facti sub senectute vasorum diametri, succorum minùs admittunt, qui proindè ad alia corporis *secretoria* refluentes, viscera molliunt & humectant.

Verùm alvi (κοιλίης) nomine, *ventres* meliùs interpretaberis, quas aph. 15°. sect. 1. *calidas* dixerat, hîc autem *siccas* & *humidas*: præsentis ergò aphorismi hic sensus est; corporis *ventres* qui in juvene hument, in sene siccescunt, qui

---

(a) *Cels. p. 57.*

qui verò in juvene siccantur *ventres*, in sene humectantur, idque juxtà *microcosmi* ad *macrocosmum*, seu ætatum hominis ad anni tempestates *analogiam*, ubi enim observante *Hippocrate*, (a) *ver siccum* fuit, *hyems pluviosa* sequitur, senibusque *catarrhi* contingunt. Porrò hinc admoneamur melius esse nihil ad præcavenda senectutis incommoda, quàm factam corporis dùm juvenescit meabilitatem, quâ facilè *transpiret*, humente enim sic in juventute corpore, spes fit non mediocris fore ut sub senectute siccum fiat, aut à *catarrhis* liberum; tussiunt enim, spuunt, lachrimantur, micturiunt senes, in causâ est impedita in iis juvenibus *transpiratio*, undè hîc illic cumulatæ *stases*, in ilthæc emergunt incommoda; è contrà nitidi vivunt, à catarrhisque sicci, *transpiratione*, ut decet, sub illorum juventute, defæcatum, depuratumque fuisse sanguinem indicium est & argumentum.

APHORISMUS XXI.

Λιμὸν θώρηξις λύει.

Famem vini potio solvit.

Fames morbi genus, doloris enim aut *molestiæ* (b) *sensus* est, tolerandus tamen, utpotè tam jucundo, quàm facilè parabili remedio, edendi scilicèt facilitate, placabilis. Stomachi titillatus quidem amicabilis est, sed qui si eduliorum inopiâ sævire datur, eâ rabie furit, ut *siccando* (c) corpus in *spasmos* aut *convulsiones* agat. Hinc conjectura non levis, *spasticum* aliquid esse famem, vegetiorem nempè & fortiorem fibrarum vibrationem, quâ ad terendum accingit se stomachus: attamen ad illius vibrationis facilitatem conferat oportet fibrarum *eutonia*, vel illarum cum firmitudine flexibilitas, quam alit eduliorum mollitudo. Salici igitur stomachum comparabis, cui sudore jugi opus est, ut vigeat vegetetque, in humido enim & molli posita est illius oscillandi virtus, nervorum (de quorum prosapiâ est) ritu, qui à *lymphæ* (quâ insuccantur) ubertate, suam habent oscillandi virtutem.

Hujusmodi fomites famis sunt & alituræ, ad quorum naturas si expendas *vini potionem*, obvia ratio se dabit propterquàm *famem solvat*, infringat, minuat, utpotè cum duris & rigescentibus, salinis nimirùm particulis vinum constet, quæ gravitate suâ premendo fibrarum stomachi villos, *undulationes* eorum comprimunt, oscillationes tardant, tritum morantur: hinc vinolentiæ primum pignus aut monimentum, appetentiæ dejectus est, tanti progressûs in ebriosis, ut ad cibos omnes nauseando, singulos fastidiant, uni indulgentes vino; à quo in tantùm non reficiuntur, ut fiant *imbecilliores* (d) *corporis palpitationi & capitis pulsationi* (e) obnoxii. Hinc vinorum quæ *mollia* sunt & *aquosa* laus aut præstantia, *quia ad aquam accedunt*, (f) horumque

(a) *Aph.* 12. *sect.* 3.
(b) *Hipp. de flat.*
(c) *Aph. sect.* 7.
(d) *Hip. de vet. med. p.* 24.
(e) *Lib. de rat. vict. in acut. p.* 39.
(f) *Id. lib. I. de vict. rat. p.* 329.

exemplo aquæ pretium, quæ cum insulsis, mollibus, lubricis & volubilibus particulis constet, ea propter *vorax* est, appetitum sic acuens, ut cæteris hominibus edaciores esse soleant abstemii.

APHORISMUS XXII.

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰήται. καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ἐναντίωσις.

A repletione quicunque fiunt morbi, evacuatio sanat. Et quicunque ab evacuatione repletio; Et aliorum contrarietas sanat.

CONTRARIORUM, in quibus medicina consistit, non summam sed exempla tradit hîc *Hippocrates*; *ars* enim, ut docet, (a) *ex tribus constat, morbo, ægroto, & medico, ægrotum autem cum medico, adversari morbo oportet* .... quod adversissimum *est morbo*, exhibendo. (b) Interim *contrariissima* isthæc, non *contrariissima* esse vult *Hippocrates*, cujusmodi contraria sunt quæ qualitatibus manifestis contraria sunt, ut *frigidum calido, humidum sicco*, &c. Verùm in *summâ medicum scire jubet* (c) *opponere se contrarium instantibus & morbis, & naturis, & temporibus, & ætatibus; & distendentia solvere, & soluta distendere, sic enim vel maximè morbum sedaverit, & mihi sanè hoc ipsum sanatio esse videtur*. Igitur contraria non solùm sunt *evacuare* ubi *repletio* adest, *replerèque* ubi est *inanitio*, sed talia adhuc sunt quæcunque morborum naturis, & modis adversantur, aut illorum fomitibus & causis, sive in *fluidorum dyscrasiis*, sive in inversis *directionibus*, aut *determinationibus* mutatis positæ sint; hæc enim omnia ex modò enarratis innuuntur, imprimis tamen *stricti laxique* medendi sollicitudinem commendat *Hippocrates*, *distendentia solvere* jubendo, *solutaque distendere*, his enim verbis *solidorum* cura nominatim suadetur, solvenda nempè *solidorum diathesis spastica*, quæ tam multis ægritudinibus sufficit causas.

Repletioni ipsimet & *evacuationi* pro causâ est *spasmus*, oscillationum nempè inversura vel error, quo aliorsùm *fluida* feruntur; sic qui ad cutem undulante *solidorum peristole*, per transpirationem vaporare debuisset sanguinis halitus, facto fibrarum cutis *spasmo*, comprimitur? cumulata succis hinc refluentibus vasa replentur; per sanguinales arterias ad viscera eundum erat rubicundæ sanguinis parti, quæ sinistro oscillationum ductu ad *lymphaticas* arterias aut *secretoria* arteriaca reflectit? *hemorrhoia* fit, evacuationum pessima; alterutri *repletioni* aut *evacuationi contrarium* quæris? *spasmi solidorum* sedatio est, utpotè quo cessante, uterque ceffat morbus. Imò *calorem* & *frigus*, solemnes illas morborum (quas putas) causas mitigari velles? *quisquis talem* (spasmi) *mutationem in hominibus novit, & humidum & siccum facere potest hominem, calidum item ac frigidum*. (d)

APHO-

(a) *Epid.* 1. *sect.* 2. *v.* 93. (b) *Ibid. de sacr. morb. v.* 32. *art.* 17.
(c) *Ibid. de nat. hum. art.* 18. *v.* 1. (d) *Hipp. de morb. sacr. v.* 37. *art.* 17.

APHORISMUS XXIII.

Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur.

SUA morbis meta aut regula est; medentium consiliis & operibus futura lex. Abnormem ergò, exlegem & cæcam curandi artem asserere convicium vel mendacium sit, concreatæ enim est corporibus medicinæ exemplar, scriptas digito Dei (quod cæteris artibus inconcessum est) vel à Creatore agendi leges exscribendas habeas, securas ergò eventûs, si ad illarum se componendo mores, mentem illarum, rationem aut ingenium, ordinem & modum agendo reddere unicè studeret. Exempla sunt *acuti morbi*, quorum quantæcunque videantur turbæ & inconditi motus, condunt in se leges quarum ductu intrà quatuordecim dies solvuntur; indigena medicina est quam sequendo ducem medicus, fidem experietur, *leges in illâ* habens, juxta quas docebitur qui convalescere, aut qui *mori debet* ægrotans; limitesque intrà quos incedendo prudens, audebit eorum nihil quæ præstitutum quatuordecim dierum solutionis terminum prævertat aut turbet, tardet aut mutet.

APHORISMUS XXIV.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος. ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη· αὕτη γὰρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος· θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπταικαιδεκάτη. αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης· ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Septimorum quartus est index. Alterius septimanæ octavus est initium. Notandus verò undecimus: is enim quartus est alterius septimanæ. Notandus rursùm decimus septimus: hic enim est quartus quidem à decimo quarto, septimus verò ab undecimo.

AB *Hippocrate* medicinalis assertore veri, affirmari tam sanctè constantem *crisium* doctrinam, *crisimorum* dierum respectus & rationes per singula tam accuratè definiri, hæcque confessa à priscis, notæque melioris medicinæ antistitibus quasi per *traditivas* manus, nobis asportari, observationum constantissimæ argumentum est. Interim siderum illorum aut *phænomenωn* instar, quæ nata illicò silent, vel quæ solo ex fulgore præterito fecêre nomina, solus hodie supereſt *crisis* titulus, hæcque facta tam *rara avis*, ut pro *sphingis*, aut sæculorum fabulâ ferè haberetur, priscis enarrata quidem, sed nostris inviſa temporibus. Quânam mutabilitatis rerum necessitate illud con-

contigerit, ut ut ambiguum sit, saltem non instabilitate naturæ factum est, quæ tam certa quàm vera Creatoris institutio est; ab aliâ igitur, rationis nempè medendi, mutatione repetes factam hanc nobis *crisium & crisimorum* dierum *ecclipsin*; ecquid enim miri! si ex mutato *Hippocratis* medendi modo, non se monstrent iidem humorum motus; sub morbido statu, ubi disjici jam cœpta natura, in errorem præceps & facilis est, tuncque enim mutari prompta, non suis tractata consiliis, sed alienis labefactata manibus, opera profert. Itaque ut ad nostrum cælum redeant obliterata *crisium phænomena*, ad pristinos mores, antiquamque patrum virtutem, medicinæ redeundum est, quæ mentis humanæ commentorum soluta jugo, medicaminumque libera martyrio suis agat nutibus & agere doceat. Interim non illepidas cudunt *crisium* fabellas, illis accudendo quas expertæ sunt nusquam causas, de *crisium* arcanis garrire curiosi unicè, de imitamine penitùs incurioſi. Naturam ergò revereri & observare discant, vexareque cessent, & illius miscere motus, quos si sequi, prævertere nusquam sueverint, in conspectum rursus se dabunt veteri celebrata medicinæ *crisium* miracula.

APHORISMUS XXV.

Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες, οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα σωζόμενοι.

Quartanæ æstivæ plerumque fiunt breves: autumnales vero longæ, & maximè quæ propè hyemem incidunt.

QUartanæ (a) *ante annum non definunt*: quod de *autumnalibus* intelliges, *qui* (b) *enim extrà autumni tempus quartanâ correpti fuerint, pro comperto habeas hanc febrem non fore diuturnam. Tutissima ergò quartana, placidissima & longissima* (c) esse poterit, quæ legitima autumnalis fuerit, cujusmodi erit *quæ ad hyemem attingit*, crasso enim, *densato*, (d) & frigido sub cælo nata educatave, ab humore similis ingenii fovetur, qui nempè difficilè meabilis est, aut *transpirationis* tardæ, ad *depurationem* aut *secretionem* segnescit. *Æstivæ* verò *quartanæ breves*, ubi *æstivarum* nomine intelliges non tantùm, quæ æstate quartanæ nascuntur febres (*morbi* (e) *enim omnes in omnibus temporibus fiunt*) sed maximè quas committit humor æstati congener, sulphureus, ardens, *biliosus*, siccus, quem ostendit sub quartanâ missus sanguis, qui non infrequenter *phlegmonodes* videtur, flavescens, coriaceus, *pleuritico* similis, tamque lancinantis acrimoniæ, ut ægrotum sub paroxysmo artuum doloribus immaniter excruciet: erunt fortassis quartanæ illæ febres, quibus *narcotica*, *hyoscyami & mandragoræ* (f) *semina* concedi jubet

---

(a) *Hip. lib. VI. epid. sect. 6. text. 23.* (b) *De nat. hum. art. 29. v. 7.*
(c) *Epid. I. sect. 3.* (d) *De flat. p. 274.*
(e) *Aph. sect. 3. 19.* (f) *Lib. de morb. p. 468.*

jubet *Hippocrates*, quibusque tam præsenti levamini est *cortex peruvianus opio* admixtus. His addes quartanæ genus, quæ ut ut *autumnalis hyberna in acutos morbos transit*; (a) sui enim *autumno quoque sunt morbi* (b) *acutissimi*; de quorum numero ex quartanis plures observantur quæ *morbos acutos* sapiunt, ità ut si medentium præcipitantiâ, temeritate, aut imperitiâ, *sudoriferis*, *cardiacis*, imò & *specificis* nobilioribus præposterè tractentur, in *continuas*, hasque non rarò lethales, transeant.

APHORISMUS XXVI.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γίνεσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Febrem convulsioni supervenire melius est, quàm convulsionem febri.

Ergò singulare remedium *febris*, quæ universalis morbus habetur; *quod enim maximè mirum videri potest, ipsa febris sæpè præsidio est. Præcordiorum dolores si sine inflammatione sunt, finit; & in jecinoris dolore succurrit; & nervorum distentionem, rigoremque, si posteà cœpit, ex toto* (c) *tollit.* Quod autem hîc *rigorem* dicit *Celsus*, pluribus locis *tetanum*, *convulsiones*, *spasmos*, *tetanicas distensiones* appellat *Hippocrates*: (d) adde ejusmodi *spasmodicas* affectiones attributas imprimis inveniri apud *Hippocratem* mulieribus *hystericis*, (e) aut à *partu* (f) laborantibus, unde conjectura venit *tetanicas* ejusmodi *distensiones* eas ipsas esse *spasticas solidorum diatheses*, *tonicasque* nervorum *tensiones*, in eoque *tetanicas* quod ex æquo hinc illinc sub illis rigentes fibræ, *tetanum Hippocratis* aut *rigorem* non malè repræsentent. Reverà ejusmodi convulsiones *Hippocrati* non sunt vulgares, sed *convulsiones* (g) *anteà incognitæ in* (histericis) *strangulatis ab utero*, *quæ faciles sunt*; id est, periculosæ minùs quàm cæteræ *convulsiones*, quæ febribus superveniunt; ad naturam enim harum *convulsionum* pertinet adhuc, ut sint absque febre præcedente aut *inflammatione*, (h) unde sequitur *hystericos spasmos* esse, aut *spasticas diatheses*, quibus supervenire febrem quàm anteire melius est. Enimverò hoc in casu præcedens febris *convulsionum* causa erit, quæ sequens aut superveniens earumdem fit remedium.

Spasmodicæ enim affectiones legitimæ, quales *hystericæ* sunt, propria sunt nervorum vitia, tensiones nempè ab indigenâ illorum *lymphâ* ortæ, quæ stagnata, morâque suâ tumens & pandens se, sicque *elastica* facta magis, villorum tunicas adeò premit, ut vasculorum sanguinalium, ex quibus texuntur, capacitates stringendo, appellenti huc sanguini aditum præcludat, unde exclu-

(a) *Coac.* 159. (b) *Aph. sect.* 3. 9.
(c) *Cels. p.* 70. (d) *Ap. sect.* 7. *Aph.* 13. *sect.* 5. *Aph.* 70. *coac. sect.* 3. 80. *de morb. lib.* 1. *art.* 6. *v.* 14.
(e) *Coac. sect.* 3. *v.* 74. (f) *De morb. lib.* 1. *art.* 5. *v.* 13. (g) *Coac. art.* 3. *v.* 74.
(h) *Cels. p.* 70.

cluso qui *solidorum elateri* obsistit sanguine, *solida* vincunt: huic malo succurrit sanguis, ubi ex mole impetum capiens, in nervorum circumplexas arterias arietare aggreditur, illarum enim compressas *diametros* cogendo, reserando, meandoque, *momentum fluidis* addit, *lymphæque nervorum* tumorem gravitate suâ deprimendo, inæqualesque quæ factæ fuerant æquat potentias, & mutuum nervos inter & sanguinem restituit æquilibrium. Secùs si præiverit febris, cujus fervore acta fortiùs *nervorum lympha* sævit & tumultuatur. Porrò ad ejusmodi *convulsionum* curationem non tam febrem optat *Hippocrates*, quàm *igneum ardorem*, (a) & *coma febrile*, (b) à quo meliùs quàm à vera febre *tetanicas listensiones* solvi observaverat. Cæterùm *ætiologiarum* avarus cultor, sed observationum sedulus, hæc subjungere satis habet; *talia per nullam medicorum ignorantiam aut scientiam fiunt, sed suâ sponte.* (c) Hoc autem ipsum est quòd agunt *antihysterica* & *antispasmodica* remedia, quæ singularibus & propriis *elateribus* turgidula, sanguinem pandunt, acuunt, adigunt in nervos, quorum arterias reserando sanguini aperiunt aditus, illiusque circuitui libertatem restituunt & æquabilitatem.

APHORISMUS XXVII.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κριζοῦσιν οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παρὰ λόγον. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τοι διαμένει, οὐδὲ χρονίζειν εἴωθε.

His, quæ non secundùm rationem levant, credere non oportet, neque timere valdè quæ præter rationem fiunt prava. Multa enim horum sunt inconstantia, nec admodùm permanere, neque durare solent.

ORDINIS scientia est medendi ars, quæ ideò sua suspecta habet bona, quæ secundùm ordinem rerum aut *rationem* non fuerint; ut enim sua cujusque morbi est historia, sua quoque est propria cujusque morbi *symptomatum* & necessaria series, in quæ prosperè vel infeliciter desinere morbi consueverunt. Igitur, *præter* (d) *hanc consuetudinem quid facere, velut est, proponere sibi aliquid, & expectare aliquid, priùs non consuetum aut contrarium, malum est & mentis emotioni proximum.* Isthæc est medendi suprema lex aut summa ratio, quò collimare debent opera medentis aut consilia, ab illâque deflectere, tumultuariam, cæcam, & aleæ plenam artem tractare est, sub quâ *multa sunt inconstantia quæ nec admodum permanere, neque durare solent.* Medendi ergò sapientiæ caput erit, solitos nosse morborum exitus, solemnesque aut publicas naturæ vias, trita scilicèt morborum *symptomata*, quibus ad sanitatem natura contendit, vel quibus unde declinat,

(a) *De morb. lib. I. art. 6. v. 14.* (b) *Aph. sect. 7. 12.*
(c) *Ibid. v. 15.* (d) *Coac. art. 1. v. 72.*

nat, unde qui hanc non ingrediuntur *symptomatum* orbitam morborum casus, quasi à naturæ tramite delirantes, præter rationem habebantur, spes incertæ, non incerti periculi. Moris est alicui morbo per alvum, sputa, sudoresvè *judicari?* præter rationem erunt cæteræ evacuationes, copiâ quantumvis suâ levamini esse videantur, à consuetâ enim & amicâ morbo illi vacuatione delirant. Quo ergò in pretio habendus pulvis ille ruber albi fraterculi, *Kermes mineralis* nomine nobilitatus, *gloriosum, aureumque antimonii sulphur; similis furfuris est pulvis mirabilis dictus, scilicet sulphur antimonii tertiæ præcipitationis, qui nuperrimè celebritatem iterùm reducere cepit, ob universalem per omnia evacuatoria depurandi efficaciam .... promissa jucunda, si successus responderet! astrum Solis erat, essentia granorum Kermes; astrum Lunæ, spiritus urinosus ambratus. Videmus qualia sunt in promissis eadem fore in successibus*, &c (*a*) Immeritum hodiernæ medicinæ deliciolum, mendax enim adeò, dubium & anceps, ut ad omnes morbos commendatum, tutum comperiatur nulli (tam inconstans & variabilis est illius effectus) ut prothei ad instar, modo sub *emetici*, sub *purgantis* vultu modò se prodat; aliàs *diaphoresin*, aut *sudores* promoveat; aliàs *alterantis* remedii, *pectoralis*, aut *digestivi*, aliàs *cardiaci* illi commodent effectus; unde concludas nullum esse remedium, quod adeò *præter* omnem *rationem* agat, utpotè quod absque omni ratione operetur; naturæ motibus proin tam immorigerum, ut suum ad nutum cogat eos aut flectat imperium. Dispar profectò *Hippocratis* medicina! pronuntiantis ex *signorum* & *dierum* conditionibus æstimanda esse morborum levamina. *Qui*, inquit, *morbi in malis signis levantur; & qui in bonis remittunt, difficiles sunt.* (*b*) Hinc enim *apostases, delitescentiæ, metastases & recidivæ: recidivas expectare oportet his, quibus meliùs habere contingit, neque in diebus judicatoriis, neque signis bonis conspectis.* (c) Itaque *judicatorii dies, crisimaque signa* medenti notacula erunt, in quibus observandi illi sunt naturæ gressus quos sequatur, notandaque quæ premat vestigia; ex horumque naturis æstimando morborum *phænomena* agere discet, aut abstinere & de bonis horum vel malis, benè augurabitur aut malè.

APHORISMUS XXVIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασι ἐπιπολαίως, τὸ διαμένειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν. τὸ μὲν γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Febricitantium non omninò leviter, permanere, & nihil remittere corpus aut etiam magis quàm pro ratione colliquefieri malum est. Illud enim morbi longitudinem indicat, hoc verò infirmitatem.

Sub febre, pro ratione aut gravitate febris *non remittere corpus aut permanere*, ex his unum est, quæ non *secundùm rationem* levant, ideòque

I *ma-*

(a) *Rot. de chymiato superstit. p. 45.* (b) *Hip. coac. art. 1. v. 73.*
(c) *Prædict. 11. art. 29. v. 6.*

malum pronuntiat *Hippocrates*, sed magis adhuc præter rationem est, periculosum enim magis, plus justo *colliquefieri corpus*, tunc enim *contractum* (a) *& arefactum esse corpus* indicium est, aut factam esse corporis *collapsionem*; (*b*) malum corporis duplex, quod medenti observandum maximè jubet *Hippocrates*; hinc enim aut fortiorem fibrarum *spasmum* aut *contractionem* nimiam intelliges, aut labascere partium *tonum*, quod *collapsio* aut *atonia* est. Interim, ut ut utrinque malum sit, sive non *remittat*, sive *colliquefiat corpus* sub febre, periculum levius erit si *non remittat*, partium enim *eutoniæ* signum est, aut illarum firmitudinis, quâ constant, seque tuentur *secretoria*, unde pergentibus integris *fluidorum directionibus*, torpent fortè aut tardantur *secretiones*, at intereà à suis tramitibus non deflectentes, neque *stases*, neque ex his manantes *colliquationes* committunt. Hoc autem omne malum fit ubi emacrescit corpus, *in malum* (c) *enim habitum decidere* illud indicium est, quandoquidem marcendo partes, vasculorum stringendo capacitates, illorum diametros arctant, & succis appellentibus ingressum præcludunt; vel eædem flaccescendo *secretoriorum* laxant emissaria, quibus admissi succi perditè effluunt. *Hoc ergò infirmitatem indicat, sed illud longitudinem morbi*, ut enim sub illo statu tuetur se *solidorum* non labefactata virtus, sua partibus *eutonia* servatur, quæ adversùs morbi causas diutiùs se protegunt.

APHORISMUS XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νόσων, ἢν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δ', ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστι.

Incipientibus morbis, si quid movendum videatur, move: vigentibus verò, quiescere melius est.

IN Medicinâ agere, movere est; motus quippe sunt medentis opera, quæ motus morbi revocare curant ad naturæ motus. Itaque ad morbum accedens medicus cogitabit primùm an agendum illi sit, id est, explorabit nùm aliquâ parte titubans natura, illius imploret manum quæ abalienantes se reducat humorum motus, quod movere illi erit, sic agendo in humores, ut illorum impetus in motus mutet, sanguinisque circuitum emendet, faciendo, ut qui abnormes erant illius motus ad normam motûs redeant. Is autem ad ordinem regressus, aut normam, si sperandus unquam aut obtinendus, tunc temporis certè ubi disjecta nondùm longiùs natura, citiùs revocari potest & faciliùs, qui cùm naturæ status offerat se sub morborum initiis, *incipientibus morbis si quid movendum videbitur* aut agendum, *movebit* medicus aut aget, peritique ducis exercitûs exemplo, qui venturo hosti utiliora castrorum præripit loca, ità ut primùm surgente morbo, sic omnia in cor-

(a) *De humor. art.* 3. *v.* 17. (b) *Ibid. v.* 52.
(c) *Cels. p.* 58.

corpore præoccupabit, ut principes illius sedes aut præcipua viscera à venturis humorum insultibus muniendo protegat. Igitur sive sanguinem mittendum, sive solvendam alvum, sive promovendam *diaphoresin* habeat, statim auspicante morbo ea providebit omnia, eos omnes inchoabit dirigetque motus, suas omnes impendet operas in regendis, adjuvandis, absolvendisque omnibus illis notionibus.

Eò autem necessariæ magis sunt incipientibus morbis istiusmodi operæ quòd his locus vel occasio eripiatur vigentibus morbis, ubi ab illis abstinere oportet aut *quiescere*, tunc enim occupatis à morbo visceribus, in hisque stabilitis morborum sedibus, à Medico adhibenda veniunt consilia, quæ non prævertant sed evertant *apostases*, hæ enim alterius curæ Medico sunt aut officii.

Equidem genuina hæc est verbi illius τὸ *movere* interpretatio, ut enim vox generalis est exponenda de omnibus ejusmodi rationibus, quæ ad curationes morborum utiles sunt, ad omnes spectat Medici actiones aut operas, quæ morbi ingenio congruent magis. Interim si per *movere* purgare quis intelligere velit, iteratum de infrequenti purgatione monitum hîc habebit, quam initio morborum concedit *Hippocrates*, utpotè cùm illo authore eo tempore indulgenda sit solùm quo *materia turget*, quod cum maximè rarum sit, consequentia est rarissimè purgandum esse *incipientibus morbis*; maximè cùm *incipientibus morbis impetu feratur morbus*, & *ægrum & Medicum à curationibus quiescere conveniat*, *ne quid mali inducatur*: (a) aliundè irrita sæpè tunc purgatio est, hincque illud *Hippocratis* effatum; *medicamentum* (b) *donec corpus fluidum est* (ceu quamdiù viget febris) *ne propinato*, *non enim vacuantur*, *nisi parùm*, *utpotè corpore turgente*.

APHORISMUS XXX.

Περὶ τὰς ἀρχὰς & τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα. περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα.

Circà principia & fines omnia sunt debiliora. Circà vigores verò vehementiora.

MORBORUM initia coctionum sunt initiamenta, debilia ergò illa sunt, quia hæ tantùm inchoatæ sunt. At quorsùm, inquies, istuc monitum? tantine videbitur ad felicitatem aut utilitatem artis? momentum intelliges ex altero hoc *Hippocratis* pronunciato. *Quibusdam molliter & submissè incipit febris*, *augescit autem & exacerbatur quotidie: circà judicationem verò & unà cum judicatione acervatim elucet*: (c) ad providentiam ergò suos erudit *Hippocrates*, ne initiorum mollium specie delusi, grave aliquid temerè audeant, purgationem fortè, quæ *fortioribus* propè futuris excepta *symptomatis*, turbas dabit graves, præsentissimaque pericula. Itaque ex

---

(a) *Hipp. de morb. 3. art. 24. v. 57.* (b) *De loc. in hom. art. 38. v. 9.*
(c) *Hipp. epid. 1. sect. 3.*

mollibus *symptomatis* insidias reformidabit Medicus, intereàque ad majora incautus properare cavebit, unicè ea omnia prospiciens tùm quæ præsentium alant mollitiem, tùm quæ futurorum gravitatem avertant: lentè enim festinasse medentem vix unquam pœnituit, diligentem aliundè futurum satis, si venturis malis diligenter provideat. Hanc obtinebit sapientiam, ex factâ sibi historiæ mali scientiâ, vel ex patrum observationibus compertâ, vel ex observabilium omnium æstimatione comperiendâ. Sedulus imprimis meminerit, mollia fermè esse semper malignarum febrium initia, illis enim non insuetum, sub miti & blando symptomatum vultu sævitiem & malitiam tegere, quæ si incautum medentem deprehenderint, cruces illi figent & ægro pericula cumulabunt. Alia sunt adhuc morborum genera, quæ mansuescendo inchoantia furendo desinunt, cujus sortis ea sunt quæ clàm & sensim fecerunt, foveruntve veteres & oblitæ sanguinis congestiones; *hæmorrhoidum* in viris, *mensium* in mulieribus: ab illis antiquatis & neglectis securiores paulò facti, in morbos cadunt, qui primùm vix aliquid portendentes vel ostendentes mali, paucis post diebus frontem exasperant, febresque inexpectatas, dolores, inflammationes, apostases, milleque in visceribus stagnantium ab antiquo succorum produnt indicia, undè qui primùm sub cinere doloso delituit ignis, derepentè lucet, erumpitque in flammas.

APHORISMUS XXXI.

Τῷ ἐξ ἀῤῥωστίης ἐσθίοντι, μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

A morbo bellè comedenti, nihil proficere corpus, malum est.

DIsparilitatis partium *toni* à morbo superstitis, signum est; quà cum *coctione primâ* non benè convenire *coctiones secundas* intelligitur; dispares sunt potentiarum tritûs rationes, quæ dùm vigent in stomacho, in cæteris partibus elanguescunt, adeò ut qui in stomacho conficiuntur laudabiliter succi, in subjectis partibus laudabiliter minùs *assimilantur*, hinc cruditatum congeries, seminaria morborum, recidivarum incunabula. *Malum* enim quod hîc à cibatu non proficuo auguratur *Hippocrates*, de *recidivo* sic idem ipse exponit. *Qui* (a) *ex morbis longis se refocillantes, benè cibum capiunt, & nihil proficiunt, hi malignè recidivam incidunt*: porrò quæ hinc exurgit cruditatum congeries, eò magis periculosa est, quòd in ipso veluti naturæ gremio cumuletur, intrà vasa scilicèt, & medio sanguinis sinu, penu autem tam infelici crescens massa sanguinis, contrahit illud *turgentiæ* genus, quod in tantùm ad *catharsin* non hortatur, ut dehortetur magis, in quantùm adversùs illud irrita fiat .... *Medicamentum ne propinato, non enim vacuantur nisi parùm, utpotè corpore turgente*. (b) Turget autem corpus, quod à cibatu non proficit, hinc autem succi qui intrà partes non admissi in sanguine retinentur, illinc ab illâ succorum portione, quæ admissa quidem

(a) *Coac. v.* 179. (b) *De loc. in hom. art.* 38. *v.* 9.

dem sed non *assimilata*; sub *lymphæ* formâ ad vasa revehitur; inde *Plethora*, quæ cùm ad sanguinem pertineat, indicaretne aut demonstraret, præ purgatione sanguinis missionem esse tutius ad recidivas remedium?

APHORISMUS XXXII.

Ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ' ἀρχὰς μὲν δύπτεόντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀπιτέουσιν. οἱ δ' κατ' ἀρχὰς μὲν ἀπιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δ' δύπτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Ut plurimùm omnes qui malè habent, circa principia quidem benè comedentes, & nihil proficientes, ad finem rursùs cibum non appetunt. Qui verò circà initia quidem cibum omninò non appetunt, posteà autem benè appetunt, meliùs liberantur.

HÆc observatio ad convalescentes spectat, & ad *chronicos* morbos, in utrisque enim sæpè observari non insuetum, morosas & impotentes ciborum, non infrequenter incongruorum cupidines, quæ, præsertim si illis plus justo servierint ægroti, in *anorexias* immedicabiles ferè desinunt.

In illos cadit adhuc, qui ut ut malè habentes, & causarii, consuetudinis vel rationis præjudicato prætextu, delinquente nondùm sub morbi initiis appetitu benè comedunt, sed non proficientes, id *rursùs* aut ampliùs contrahunt mali, quòd tandem in *anorexiam* labantur. Qui istiusmodi sunt, difficiliùs liberantur, cumulatus enim per initia morbi sanguis malè subactis & vitiosè coctis succis, difficiliùs *depuratur*, vel defæcatur, solvique difficiliorem reddit morbum, mille nempè factis hîc illic intrà viscera humorum *stasibus*, impedimentis & obstructionibus, quæ sanationi moræ sunt; insuper labefactata stomachi vis, ab ingestis præposterè eduliis, coctionibus absolvendis fit impar, sicque morbi solutionem arcet, pullulantibus enim hinc incongruis ad *transpirationem* succis, quâ *chronici* solvi solent, ad sanationem præpeditur via. Secùs erit, si unà cum nascente morbo cessat appetentia, elanguens enim stomachus, nec ad comestionem stimulans, præterquàm quod suis feriando parcit viribus, à cruditatibus tuetur corpus, quæ & morbi molestias multiplicarent, & solutionem illius morarentur. Igitur nascente morbo denascens appetitus in bonis ducitur, hinc enim fit spes fore ut convalescat celeriùs ægrotans, coctâ enim domitâque morbi causâ, integræ confestim refurgent stomachi potentiæ, quarum operâ elaborati diligenter & laudabiliter altiles succi, corporis perditos succos citò reparant & robur.

Neque excogitatum id omne putabis ad phantasiæ nutum, quo huic *Aphorismo* affingatur qualiscunque interpretandi modus; quotidie enim in medendo observabis maximam *chronicorum* morborum partem, illorum præsertim, quos clanculum inchoat humorum occulta congeries, ubi cum inci-

incipientibus ægritudinibus durat ciborum appetitus; quorum censûs sunt *phthisis*, *hysterica passio*, *chlorosis*, &c. sub quibus interdùm tempore multò *benè* nec *injucundè comedunt* ægrotantes, qui posthàc in fastidia, nauseas, & *anorexias* incidunt; maximo *phthisicorum* periculo, qui tantò graviùs conficiuntur, pereuntque celeriùs, quò uberiùs ineunte & pergente morbo alimentis indulserint. Contrà *Chronicos* inter, notabis eos qui ex molesto arcanoque animi sensu, qualis mœror aut *melancholia* est, duxerunt originem, ex eo quòd à ciborum fastidio aut dejecto appetitu incipiant. Quid innuant, curaturumque quid doceant ejusmodi observationes persequi promptum & in proclivi foret, *sed ne extrà oleas*.

APHORISMUS XXXIII.

Ἐν πάσῃ νόσῳ τὸ ἐρρῶσθαι τῷ φρονεῖν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφοράς, ἀγαθόν. τὸ δ' ἐναντίον, κακόν.

In omni morbo mente valere, & benè se habere ad ea quæ offeruntur, bonum est: contrarium verò malum.

A Delirio immunem esse ægrotum tam notum omnibus & obvium bonum est, ut causâ illius *Aphorismum* condi *Hippocratis* nomine indignum simul & indecorum videatur; igitur per *mente valere*, aliud à delirio intellectum voluit. *Mente valere* est, firmo esse animo; non levi, non moroso, non pusillanimi. Inter ægrotos versando noverat *Hippocrates*, quorumdam esse difficillimas mentes, lædi promptas, frangi faciles, quas non erigit spes, tantùm occupat formido mortis aut desperatio vitæ. Sed hinc malè fulto partium *tono*, molescit *solidorum elater*, oscillationes torpent, languent coctiones, contrariaque ferè facta sibi natura, sua fastidit bona, solamina temnit. Hîc *melancholicos* intellige, homines illos suis singulares *idiosyncrasiis*, quibus propria sua alimenta sint oportet & medicamina. In his, cùm ægrotant omnes has observari datur mentis invaletudines, nativæ enim nervorum illorum ægritudines tunc ægrescunt magis, factæque alienationes, morbi geminant molestias & Medici labores. Ejusmodi ergò carere ægrotum nervorum *ataxiis*, *mente valere Hippocrati* est, eâ nempè pollere firmitudine nervorum, qui spasticis morbi insultibus obesse queant.

Alterum tradit ægrotantis bonum; *benè* scilicet *illum se habere ad ea quæ offeruntur*, id est, cui benè est à cibis & medicaminibus oblatis, quæ lubens, non invitus accipiat, quæ stomacho offendiculo nec fuerint, nec corporis rerum detrimento, sed utriusque utilitati; *quæ offeruntur, omnia considerare oportet ut conferant, maximè si ægrotæ parti adhibebuntur*; (a) id est, *considerare oportet*, an rei, causæ morbi, & affectæ parti, quarum gratiâ adhibentur, proficua sint, cùm damnosa sint ex remediorum usu peregri-

(a) *Hipp. de Medico art. 4. v. 9. 10.*

regrina bona, hoc est, ad morbi aut *symptomatis* rem non attinentia; non infidi enim in medendo levaminis notaculum est, *symptomatis* urgentis proximè succedens allevamentum.

APHORISMUS XXXIV.

Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν, οἵσιν ἀὴ οἰκείη τῆς φύσιος, ἢ τῆς ἡλικίης, ἢ τῆς ἕξιος, ἢ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ἢ μᾶλλον, ἢ οἵσιν ἀὴ μὴ οἰκείη κατά τι τυγχάνων.

In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & tempori magis similis fuerit morbus, quàm in *quibus horum nulli* fuerit *similis.*

TANTÒ graviores morbi sunt, quantò longiores sub illis à naturâ recessus; tales putabis errores humorum, qui ægrotantium *naturæ, ætati, habitudini & tempori similes* minùs erunt. Et verò quod ergà principes subditi, hoc ipsum sunt erga principes corporis partes, inquilini succi, utrinque naturales & necessarios habere famulatus rerum, quæ jugum cui natæ sunt, sentiunt semper sapiuntque, ad obsequium redire proclives, quantumvis hostilem rebellando induant vultum. Cognatæ sunt ergò rerum suis cum potentiis rationes, hâcque affinitate fit ut potentiæ subditas sibi res faciliùs subjiciant, cognatique si sint morbidi humores naturæ facessant minùs negotii. *Modi* (a) *enim morborum hi sunt; partim quidem cognati sunt; partim à Regione* (*familiares sunt enim per multas*) partim *ex corpore & victûs ratione, ac temperiei constitutione, aut à temporibus*; quæ omnia si dissentiant, non *microcosmi* sunt, sed *macrocosmi*, aeris v. g. potentiæ, quæ corporis viribus domandæ veniunt, at *plerumque hominis natura, universi potestatem non superat*, (b) inde periculum; ut enim *maximum signum est in ægrotis qui victuri sunt, si non præter hominis naturam fuerit morbus .... nihilque horrendum, neque lethale fit, in his quæ secundùm naturam sunt*, &c..... formidinis omnia plena, ubi suâ cum gravitate morbus, partis, visceris, aut corporis naturæ, temperiei & habitudini adversatur. Exemplum exhibent *glandularum* morbi, hæ propriâ *lymphâ*, sed uberiori turgendo tument, crescunt, indurantur? molliri, minui, solvi faciles sunt: sed illas imbuit urens, acer & muriaticus latex? *phlegmone, scirrhus, strumæ, carcinoma, ulcus* miserè succedunt. Pro molli, miti & tenui succo, unde alescant in infantibus ossa, ferum sufficitur lentum, salinum & grave? *rachitis* enascitur. Itaque observabiles maximè sunt morborum cum naturis convenientiæ; ætatem *ab ætate discernere* (c) *convenit, & an priùs, aut posteriùs quàm oportet quid fiat: velut si resolutus est hyeme & seni ætate, aut infanti & æstate, aut priùs aut posteriùs quam convenit .... hæc fácias* (d) *& consulens maximè successum senseris.*

APHO-

(a) *De humor. art.6.v.1.* (b) *De dieb.judicato.art.1.v.15.*
(c) *Epid.6.sect.8.v.43.* (d) *De affect. art.7.v.5.*

APHORISMUS XXXV.

Ἐν πάσησι τῇσι νούσοισι τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦλιον πάχος ἔχειν, βέλτιόν ἐστιν. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ὑπεπηκὸς, μοχθηρόν. ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον, καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

In omnibus morbis, quæ partes *ad umbilicum & imum ventrem* sunt, *crassitudinem habere, melius est. Valdè autem tenues & eliquatas* ipsas habere, *malum. Periculosum verò illud est, etiam ad infernas purgationes.*

LACERTOSUM corpus, roboris argumentum; similiter *crassitudinem habere*, aut lacertosas *esse partes, quæ ad umbilicum, & imum ventrem sunt*, melius in tantùm est, in quantùm regionis illius potentiarum roboris est testimonium; modò tamen *mollis venter sit, mediocriter*, nec æstuosè, nec *spasmodicè intumescens*. (a) Licèt enim *quid robustum sit ventriculus*, (b) in molli & flexibili posita vis illius est: similis naturæ sunt abdomini substratæ omnes partes, lentescentes nimirùm & membraneæ, imparis proindè virtutis & *elateris*, quo opus illæ habent, ut omnium principi *secretioni* sufficiant, *chyli* nempè transcolationi, hujusque per universas corporis partes distributioni. Abdomen enim publicum & magnum succi nutritii promptuarium & diribitorium est, & *omnium in corpore fons*, (c) cujus quot viscera, tot torcularia, quorum potentiæ in pressione sitæ sunt, quâ succi omnes, suas singuli ad partes pelluntur; huic autem operi ne defuturi essent molliores istiusmodi *elateres*, sustentari illos voluit natura potentiâ valentiori, musculorum nempè abdominis, qui non secùs ac juge & universale prælum, subjecta viscera premunt; igitur velut intersertæ manus sunt, quæ indesinenter cogendo viscera, succos illorum terunt, subigunt, eliciunt. Hinc interest tanti, non *eliquatas*, marcentes aut exolutas, sed *crassitudinem habere* abdominis partes, ne fracto viscerum nutritiorum pressûs principali illo sustentaculo, viscerum elangueant pressoriæ virtutes, cadat aut ruat tritûs labor, cessent tandem *secretionum* officinæ.

Porrò *macras* (d) esse & *eliquatas* circumpositas *umbilico & pubi* (e) partes, *ad infernas purgationes periculosum* quoque est, quia ut parcitatis, ità & acrimoniæ humorum signum macror est, *solidorumque* illa evidens *eliquatio*, inevidentis *fluidorum colliquationis* indicium, quæ ad *catharsin contraindicantia* duo sunt; quibus tertium comitem dabis, partium nempè aridarum rigiditatem, unde *contractiles* minùs factæ fibræ, tractabilitati partium ad *catharsin* requisitæ minùs & malè serviunt.

APHO-

(a) *Lib. prænot. p. 7 sect. 2.* (b) *Lib. IV. de morb. p. 524.*
(c) *Ibid. p. 502.* (d) *Cels. p. 51.*
(e) *Ibid.*

APHORISMUS XXXVI.

Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα, ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι ὀκλύουσι ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Qui sana habent corpora, pharmacis purgati citò exsolvuntur, ut *& qui pravo utuntur cibo.*

CElsi (*a*) pronuntiatum est; *illud scire oportet omne medicamentum, quod potui datur, non semper agris prodesse, sanis nocere semper*, quibus cavendum assiduè, ne sub *valetudine bonâ, adversa remedia sumant*. (*b*) Mediocritatis enim status est sanitas, sub quo sufficiens sibi natura necessariis fruitur, à paucioribus exsolvi, à pluribus opprimi declinans. Dum ergò floret sanitas, illâ gaudens aureâ mediocritate, propinatum pharmacum inutilia non offendens, utilia deterit, & in *solida* cadens copiosioribus nudata *lymphis*, de *fluidis* minuendo bona, malis *solida* cumulat, *solida* enim immerita stimulari irata meritò rebellant, iracundèque oscillando, rixas, dissidia, turbas mille dant & *ataxias*. Hinc tam periculosæ ab ingesto cibo pravo corporis exsolutiones, utpotè colliquescentis hinc non minùs, quàm à depascentibus pravorum eduliorum eliquaminibus.

APHORISMUS XXXVII.

Οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

Qui benè valent corpore, purgatu sunt difficiles.

SUb sanitate *fluida solidis* æquilibrantur; æquales sunt *momentorum* rationes, quas perdit inæqualis alterutrinque facta accessio; at nulla erit efficacior accessio, quàm quæ duarum potentiarum fortissimæ fiet: hujusmodi autem est *solidorum* potentia, hanc ergò præ *solidis* elevari, corporis duarum potentiarum fortissimæ accessionem fieri est, æquilibriique fœdera rumpi. Verùm, num aliud à purgante expectabis in corpore sano? ubi deficiente in *fluidis* debito *cathartici stimulis* pabulo, suam in *solida* necessariò purgans convertet energiam; hæcque mordendo immediatiùs, ad oscillandum fortiùs acuet; inde morbidi vellicatus, *spasmi*, nervorum rigores, *stases* sanguinis, succorum *stagnationes*, humorum corruptelæ, tot arcana morborum initia. At *parergon* esse hunc *Aphorismum* cuiquam fortè videbitur; ecquos enim, inquient, spectat in sanis purgatio, quam ægrè admittunt ipsi ægrotantes? ad illos autem hæc admonitio est, qui vel sani, venturis morbis anteeundum esse opinantes, pharmacis abutuntur, quibus morbis

(a) *P.* 87. (b) *Ibid.*

præludunt sæpè potiùs quàm provident. Hinc ergò audiant ab *Hippocrate* difficiles esse sanis *purgationes*, quæ silentes aliquandò exsuscitant morbos, quos arceret meliùs cum corporis labore diæta, *ut enim ignavia corpus hebetat*, (a) *labor firmat*.

APHORISMUS XXXVIII.

Τὸ σμικρῷ χεῖρον, ἐς πόμα, ἐς σιτίον, ἥδιον ὄν, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δ', μᾶλλον αἱρετέον.

Paulò deterior, & potus, & cibus, jucundior autem, eligendus potiùs, quàm meliores quidem, sed ingratiores.

APPETITUS à morbo, functionum redintegrationis corollarium est, recidivæ sanitatis complementum; loco enim suo, ordini, & integritati redditis directionibus *fluidorum*, & *solidorum* oscillationibus, tunc ubi sibi singulis partibus providere datur, corpori universo allaborare quoque incipit stomachus; nativo quippè suo redditus *tono*, ad proprium oscillat rythmum, hujusque ad rationem affecta mens, appetitûs accipit sensum, qui admonitio jugis est, quâ ad necessaria vellicatur natura & inclinatur. Assumendorum ergò sapores in rerum medicinalium usu haberi despectui tanto, artis minùs quàm artificis iniquitas aut ignorantia est, naturæ sensus & monita interpretari nescientis. Ad ægri palatum accommodare semper medicamina, artis industriam superat quidem semper, rarò consilium, in hoc ponendum saltem, ut remediorum horrores cicurando, eduliorum quoque parcant injucunditati. Reverà facit rerum horror, ut molestè affecti nervi stringantur, suasque retinendo *undulationes* segniùs oscillent; factàque sic coctionibus morâ, protrahuntur aut funestantur morbi. Hinc ægrotantibus tam multipliciter *gratificari* jubet *Hippocrates*, modò illæ sint *gratificationes* (b) *quæ non magnoperè lædant, aut facilè reparari possint*. Facit enim ex potu, cibo, & nitore rerum capta voluptas, ut agiliores factæ partium oscillationes, leviùs incedant & ad coctiones celeriùs festinent; sic enim vegetiores fiunt ejusque virtutis, ut vel etiam si *paulò deteriores forent cibi vel potus*, ab auctâ sic partium *systole*, subigerentur efficaciùs, meliùs emendarentur. Licèt ergò *facilè fit hoc addiscere*, (c) *quod simplex victus cibi ac potûs, ipse semper sibi similis securior omninò sit ad sanitatem*, ità tamen concludit *Hippocrates*, (d) *quoscumque cibos, aut obsonia, aut potus ægroti concupiscunt, exhibito, si non corpori damnum inde accessurum est*; porrò corpori non accedet ejusmodi damnum, si quæ indulgebuntur, *morbo grata minùs sint, quàm* (ægroto &) *ad sanitatem facientia* (e).

APHO-

(a) *Cels. Lib. I. cap. 1.* (b) *Epid. 6. sect. 4. v. 26.*
(c) *De vict. acut. art. 15. v. 1.* (d) *De affect. art. 42. v. 1.*
(e) *De arte. art. 12. v. 10.*

APHORISMUS XXXIX.

Οἱ πρεσβῦ) τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον. ὅσα δ' αὖ αὐτοῖσι χρόνια νοσήματα γίνη), τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Senes ut plurimùm quidem juvenibus minùs ægrotant. Quicunque verò ipsis morbi fiunt diuturni, plerumque commoriuntur.

QUI juvenes invadunt morbi, *acuti* (a) sunt, qui senes *chronici*; (b) ab his autem minùs ægrotant, seu vehementer minùs, quia *acutorum* quàm *chronicorum* majores sunt labores: aliundè *debiliores* (c) *sunt senes, & in his morbi remittunt magis, quia affectionum curam majorem gerunt .... Juniores autem habent corporis vigorem .... & carnem densam ac robustam*, &c.... Corpus ergò juvenile concipito conflatum totum ex tubulis, quorum nulli sunt qui *elatere* proprio, forti, multo, vegetoque non instruantur; addito, plenos esse, cumulatosque illos tubulos succis vividis, actuosis, totisque fœtis elateribus; illorum statûs naturalis hæc notio est, cumque facilis versùs elaterem sit illorum progressus, intelliges quàm multùm, quàm vehemens, quàm grave quod hinc exurgere poterit malum, potissimùm ea sub ætate ubi ferventes cordis & animi sensus, solitam sensibus *affectionum curam* amovent. Itaque exsuscitati semel in juvenibus latentes ubicumque *elaterum* igniculi, modum ferè nesciunt, sed *solidorum* accendendo motus, accelerant oscillationes, tum ad coctiones properando, festinant ad morborum solutiones. Diversus in corpore senili partium status, quarum siccescentibus fibris, labefactatur tonus, unàque cum *elatere* segnescunt oscillationes, unde tarditas coctionum, solutionis morborum mora, denique illorum diuturnitas. Addit *Hippocrates*, *plerumque commoriuntur*, quæ sors omnium morborum est, quos habet partium læsio; sed hæc veluti propria est *chronicis* affectibus non paucis, in senibus maximè quorum resiccata corpora sunt, solidâ proinde sui parte delinquentia. De *acutis* enim juvenum morbis facilè affirmabis, in *fluidorum* culpis ponendos esse; de senum verò *chronicis* affectionibus, solidorum peccaminibus esse attribuendas; cùmque vix emendabiles sint *solidorum* noxæ, iis *commori* frequens est.

APHORISMUS XL.

Βράγχοι, ἐ κόρυζαι, τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν ὐ πεπαίνου).

Raucedines, & gravedines, in valdè senibus non coquuntur.

HUMORISTIS in proverbio est, crudum esse senum sanguinem & non coctiles humores, unde concludunt illorum difficiles esse coqui *ca-*

(a) *Aph. sect. 3. aph. 29.* (b) *Ibid. aph. 31.*
(c) *Morb. lib. 1. art. 20. v. 14. &c.*

catarrhos: illis namque eviluit quidquid non sapit humorem. Verùm, quidquid sit de humoribus iis quos continet senile corpus, crudi tam parùm sunt, ut sub nullâ magis quàm sub senili ætate uredine laboret corpus humanum. Exindè quoque venit, quòd in senibus *catarrhi*, (quò *raucedines* spectant & *gravedines*) ægrè coquantur, immites enim sunt & salsi illorum humores, eapropter à mitificatione illâ remotissimi, quæ coctio vocatur. Prætereà, ut manca & inabsoluta est in senibus *transpiratio*, tantò difficilior fit in illis coctio humorum, quantò uberior ad sanguinem est refluorum à transpiratione difficili succorum confluxus. Sed quæ illas vincit omnes causas, *solidorum* culpa est, labascit illorum mollities, cadit *elater*, segnescit oscitandi virtus, *fluidorum* ergò subactus minuitur, tritus languet, coctio, id est, mitificatio humorum desideratur.

APHORISMUS XLI.

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς μὴ ἀφ' ὑφερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

Qui sæpè & vehementer, absque manifestâ causâ, animo linquuntur, ex improviso moriuntur.

Hîc *animo linqui impotentes* esse tradit *Hippocrates*; tùm per *manifestam causam*, intelligi docet *vasorum evacuationem*: *qui præter rationem, nullâ existente vasorum evacuatione, impotentes fiunt, malum*. (a) Porrò animo sponte linqui, *hystericis* mulieribus, *melancholicisque* hominibus vulgare & proprium est, quod quidem incommodo illis esse solet non periculo, quandoquidem mortem hinc illis contigisse, nusquam ferè observatum, nisi malè sana præposteraque accesserit medentis imperitè cura. Ejusmodi autem ultronea animi deliquia aliis *malum*, (b) ut ait *Hippocrates*, aliis *mortem* (c) portendunt; *malum* quidem & illud grave, ut *epilepsiam* pueris & juvenibus, *mortem* verò aut mortis præsens periculum, ut *apoplexiam*, viris & consistentis ætatis hominibus; in medendo enim offendas non paucos, quos inopinantes & præter rationem, vel absque manifestâ causâ, invadunt *lypothymiæ*, quæ, ni prævertat medentis sapientia, ad *Epilepsiam* juniores, seniores autem ad *apoplexiam* ducunt; si tamen *vehementes* fuerint, veluti si *aphoni* aliquandiù jaceant & immobiles. Ideò autem formidini sunt isthæc animi deliquia, quòd in junioribus, arcanam quandam arguant in cerebro *stasin* lymphæ illius, quæ insuccandis infantium partibus debita, in nervorum principio lentorem contraxit aut fixit sedem; in adultioribus autem ferventem, indèque stagnatum in arteriis cerebri sanguinem significet.

APHO-

(a) *Coac.* 1. 83. (b) *Coac. ibid.*
(c) *Aph. sect.* 2. 41.

APHORISMUS XLII.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον· ἀσθενέα δ' οὐ ῥηίδιον.

Solvere apoplexiam, vehementem quidem, impossibile: debilem verò, non facilè.

Apoplexia sanguinis circuitûs hæsitantia est, quâ si illius albæ partis intrà *lymphaticas* arterias *stasis* committitur, succedit *apoplexia fortis*, si verò rubræ illius portioni intrà arterias sanguinales injiciatur mora, *debilis apoplexia* fiet, aut *mediocris* (a) Atqui *illam solvere impossibile est* duplici de causâ, tùm quia illam facit *spastica lymphaticarum arteriarum diathesis*, & veluti strangulatus, qui utpotè in strictissimis tubulis, intràque altos & labyrintheos mollium partium cuniculos altè sepultis consistens, remediorum viribus aditum negat; tum quia, qui sistitur & strangulatur succus, lentescens est, corporari facilis & mediis hærens partibus, intrà quas, spongiosas, quippè & molles, motûs sui *undulationes* resuscitare nequit aut continuare: alteram autem, quæ *debilis aut mediocris est* solvere neque facilè est, sub quâ nimirùm intrà sanguinalium arteriarum ultimos capillares tubulos adactus sanguis, ad commune publici per majora vasa circuitûs fluentum difficilè revocatur.

APHORISMUS XLIII.

Τῶν ἀπασχομένων, καὶ κατακλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, ὅσοι ἀναφέρουσιν οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

Ex iis, qui strangulantur, & resolvuntur, nondùm autem sunt mortui, non se recolligunt, quibus spuma circà os fuerit.

His & similibus strangulatûs generibus alludens *Hippocrates*, spumæ exemplo quam laqueo strangulati eructant, edocet, quid expectandum ex spumâ quæ sub morborum strangulatu excernitur. Docuit enim *Hippocratem* usus, *hystericos* dari strangulatus, ubi totum os spumâ sordidatur aut spumescente salivâ: *cùm uteri ad præcordia constiterint, suffocatur mulier .... stomachus vellicatur, ...os aquâ impletur.* (b) *Cùm ad caput conversi fuerint uteri ....signum hoc est ....sopor altior tenet, & spumat.* (c) Ut autem spuma in iis qui strangulati suspendio sunt, exolvi partes indicat, quâ de causâ *recolligere* se illi nequeunt, ab illâ v.g. quâ sordet ab utero strangulatarum os, æstimandum venit Medico, numquid non *atoniæ* genus foret aut partium *resolutionis* undè isthuc eliquamen effluëret? idem expendendum erit sub *apoplexiæ* suffocatione, & *anginæ* strangulatu, ostendit enim *epilepsiæ* paroxis-

(a) *Cels. p. 76.* (b) *De morb. mulier. lib. II. art. 18. v. 1. &c.*
(c) *Ibid. art. 16. v. 14.*

roxismi ſtrangulatus, ab exprimente partium *ſpaſmo* fieri quoque poſſe ſpumæ per os ejectionem, quæ mortem non portendit. At quantumvis mortem ſub ſtrangulatu neceſſario non afferat ſpumæ excretio, grave ſaltem innuit periculum, *ſpaſtici* enim preſsûs fortiſſimi ſignum eſt, ſub quo partes ſuum omnem ructant humorem, in ſanguinalibus enim non tantùm vaſis tardati ſanguinis rubræ partis circuitûs indicium eſt, ſed imſimul intrà *lymphaticas* arterias moratæ partis illius albæ circulationis argumentum, quæ ulteriùs neſcia ire, per os regredi cogitur.

APHORISMUS XLIV.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Qui naturâ ſunt valdè craſſi, magis ſubiti moriuntur, quàm graciles.

QUANTÒ *craſſior* corporis moles, tantò major habetur *ſolidorum* quantitas, quo ſenſu planum fit in craſſis corporibus *fluidorum* potentiæ prævalere potentiam *ſolidorum*; indè ſanitati fit præſens aut proximè præceps periculum: tantillum momentum eſt! quo ad prævalendum indiget potentia, quæ valentior jam naturâ ſuâ eſt: lecùs tamen corporis craſſitudinem interpretari convenit; in tantùm enim denſatur aut craſſeſcit corpus, in quantùm numeroſior fit partium ex quibus compingitur evolutio: hæ autem partes, tubuli aut vaſcula ſunt; quæ ideò explicantur, quia pandendo ſe illicò replentur, unde liquet ne quidem dari in corpore *ſolidi* punctum, quod ſuo non ſit *fluido* repletum, eâ proportione, ut *ſolido fluidum* accedens, commune cum illo ineat æquilibrium. Sub hoc conceptu carnium moles, vis duplex eſt in *fluidis* ſimul & *ſolidis* ſita & in eo exercita ſemper, ut pulſa ad ſe à cordis *embolo fluida* remittat ad cor; retalians potentia eſt, à quâ cor inter & corporis habitûs partes æquipondium ſervatur. Porrò facit vaſculorum illorum immanis numerus, ut exiliſſima ſint, quorum proindè ſtrictiſſimæ diametri erunt, qui cùm aliundè à circumcinctis *ſolidorum* membranulis continuò premantur, claudi periclitantur ſemper; hinc imminet facilis, & præceps vaſorum ſtrangulatus, à quo ſubitò ceſſans extremarum partium cum centro corporis circulationum ſimul & oſcillationum reciprocatio, claudit vitæ fontes, promptæque mortis accelerat cauſas: *eapropter obeſi* (a) *plerumque acutis morbis & difficultate ſpirandi ſtrangulantur, ſubitòque ſæpè moriuntur.*

APHO-

(a) *Celſ. p.* 47.

APHORISMUS XLV.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴ αἱ μεταβολαὶ, μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν χωρέων, καὶ τῶν βίων ποιέουσι.

Epilepticis pueris, mutationes, maximè ætatis, & regionum, & vitarum, liberationem faciunt.

Difficillimè (a) *à morbo sacro liberantur hi quibus à puero contigit morbus, & simul ad virilem ætatem pervenit: deindè hi quibus corpore in vigore ætatis constituto factus est.* In his verbis *epilepsiæ* rationem intelligis, quæ in *fluidis & solidis* modus quidam est, vel habitudo alia ab eâ, quæ illis naturaliter debetur, ejusmodi tamen, ut si sedem figere illi concedatur, propria quasi & connutrita fiat partibus, quibus pro naturâ veluti erit; itaque ut *immutabiles sunt rerum essentiæ* stabilita sic & innutrita partibus ad *epilepsiam diathesis*, immutabilis fit aut immedicabilis, quia *postquàm* (b) *viginti anni præterierint. . . . venæ plenæ sunt, & cerebrum compactum est & adstrictum, quare non defluit in venas: si verò defluxerit, sanguinem non superat multum ac calidum existentem.* Itaque cùm in tantùm sanabilis fiat *epilepsia*, in quantùm antevertitur illa immutabilitas quam ab *ætatis vigore constituto* sibi comparat, medentis industriæ fuerit maturè insigniores adhibere in usum (quales sunt ætatis, vitæ, temporum & conditionis) *mutationes*, quæ vel contactu suo, affectione, vel afflatu, *fluidorum* sapores, oscillationes *solidorum* & utrorumque rationes, respectus & habitudines invertant, forment, emendentve. At arborum exemplo quas enascentes & teneras adhuc flecti datur, non concedet Medicus, corporis *epilepsiæ* debiti, *plenas fieri venas*, ut loquitur *Hippocrates*, non *compactum* fieri sinet aut *adstrictum cerebrum*: hoc est ad curandum hunc morbum se accinget, antequàm ad insitam sibi *epilepticam diathesin*, *fluida* simul & *solida* accomodare se potuerint aut componere se; quod cum circà puberes annos absolvi soleat, tempus hoc præoccupabit Medicus, insumetque in jubendis puero victûs, laborum, peregrinationum, rurum saltem aut ambulationum generibus, quæ morbidam *fluidorum diathesin*, natumque *solidis toni* aut inflexûs vitium immutare queant aut obliterare; quod enim firmâ tenebitur memoriâ, docuit usus, quantùm infida sint, ut ut decantata *specifica*, spretis illis mutationibus, quas ex *diætâ* & corporis exercitationibus maximè expectabis.

APHORISMUS XLVI.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

Duobus doloribus simul obortis, non in eodem loco, vehementior obscurat alterum.

Sub Æ morbis fraudes sunt, & fallaciæ, undè fit aliquandò ut gravissimi doloris sensûs, qui suæ ratione sedis, morbum illi parti proprium designa-

(a) *Hipp. lib. II. prædict. art. 16. v. 1.* (b) *De morb. sacr. art. XIII. v. 3.*

gnare videretur, alterum alicubi sepultum tegat, indè medenti fucus & medicinæ infelicitas, sæpè enim inintellecto quod *fortiori dolore* obscuratur, graviori malo, tolerabili fortè minùs symptomati adhibebitur remedium, cujus auxilio defraudata latens vera morbi causa, per cuniculos ægroto jugulum petit; exempla præbent febres, quæ sub urgentis alicujus symptomatis vultu non infrequenter latentes diutissimè viscera labefactant, interea dum inutilibus mille medicaminum *formulis*, arcanis, & *processibus* ægrotans miserè maceratur. Sic *rheumaticos*, *arthriticos*, *colicos* dolores videas propriis sibi remediis obsurdescentes, usque dùm, stabilità meliùs, quæ obscurata fuerat, genuinâ morbi naturâ, omnes illos confestim pellit dolores *cortex Peruvianus*.

Eadem *nephritici* aut similis acuti doloris ratio, qui ineuntes *variolas* celat sepè ad plures dies, gravi ægrotantis damno, ni recoctus medendi artifex, dolum præsentem subodorando, futuri, proximèque imminentis morbi periculis noverit providere. Hujus ergò Aphorismi fructus erit didicisse, non esse semper morbi locum, qui doloris sedes est, undè non rarò admonetur Medicus alescere clàm alicubi grande malum, quod incautis ægro & Medico cumulat labores & cruces figit.

APHORISMUS XLVII.

Περὶ τὰς γενέσιας τὰ πύα, οἱ πόνοι, καὶ οἱ πυρετοὶ ξυμβαίνουσι μᾶλλον, ἢ γινομένα.

Circa puris generationes, dolores & febres magis accidunt, quàm ipso *facto.*

Dum pus fit, fit febris; num igitur unâ puris causâ febris fieret? innueret ferè *Hippocrates* his verbis: *considerare* (a) *futuræ suppurationis principium oportet, suppuratione factâ ab eâ die quâ primùm homo febricitavit*; itaque futuri puris opifex febris est, vel instrumentum, si spectes initia febris, signum puris præsentis, si finem illius aut effectum expendas. Indè inferes, quantùm metuendum à febre, à quâ impendet periculi tantùm, hujusque declinandi causâ, nulli curæ, providentiæ nulli parcendum esse medenti, ut omni adhibitâ sollicitudine rerum in promovendâ febre curando inspiciat naturæ scopum & assequatur, humores nempè *maturiores* (b) *faciendi*, *& ab omni acrimoniâ liberandi*, *cum tunc & febres & alia hominem lædentia solvantur*. Sed acrimoniæ omnis parens est sanguinis lentor, vel succorum lentescentium *stasis*, stagnando enim humores acent; in medendo igitur faciet Medicus, ut liber, facilis & expeditus sit in circulando sanguis, quem diluentium vehiculis abundè fluxum, volubilem reddet, si insimul curaverit, ut per lata ille ambulet vasorum spatia, quæ patulæ erunt & faciles illorum factæ capacitates, resectis, ut oportuerit, succorum superamentis, superfluitatibus & impedimentis. Intereà cogitabit, nihilne eorum erumpat,

---

(a) *Prænot. art.* 16. *v.* 1. (b) *De vet. med. art.* 33. *v.* 8.

pat, quæ ſuppurationem inchoari produnt; cujuſmodi ſunt *rigores* (a) *horrores*, *dolores*, *inflammationes*, (b) *emphyſemata*; ægrum denique interrogabit, nunquid non *pro dolore* (c) *gravitatem ſibi factam eſſe dixerit*, *in eo loci ubi dolebat*; ex his enim ſuppurationis primordia recognoſces. Aliundè ſedulò meminerit Medicus *ſuppurationem ſæpè deliteſcere in corpore ob craſſitudinem loci vel partis*: (d) atqui craſſæ ſunt omnes corporis partes, utpotè compactæ ex denſis, ſtipatiſque vaſculorum faſciculis, qui in orbes, gyros, & glomeres torti millies, condunt in ſpatio pollice lato, vaſis ductum non minùs quàm ter centum ulnis (e) longum; porrò tam altè ſepultam aut diſſitam tam longè humoris *ſtaſin*, in apertum citò Medico venturam expectabit nemo.

APHORISMUS XLVIII.

Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς ἄκοπον.

In omni corporis motu, quandò dolere cœperit, interquieſcere ſtatim laſſitudinem curat.

AD *Gymnaſticen* ſpectat hic *aphoriſmus*, ut enim diætæ lex eſt, citrà ſatietatem comedere, exerceri citrà laſſitudinis dolorem *gymnaſtices* regula fuit; unde à ſpontaneâ laſſitudine antehàc commemorata, diverſa hæc habebitur tantùm, quantùm ab internâ differt externa cauſa; hæc enim peregrina corpori eſt, illa indigena; altera ab aſcititiâ vi, hæc à propriâ venit; denique à *fluidis* venit quæ ſpontanea eſt *laſſitudo*, venit autem à *ſolidis* quæ à labore. *laſſitudo* eſt, illa tandem remedia, hæc quietem indicat. Cogites enim à labore diutiùs & crebriùs iteratas fuiſſe fibrarum contractiones, concipere erit ſuum ultrà *tonum* vel potentiam exercitos fuiſſe *elateres*, quorum ſic laxata virtus contractilis, languoris cum dolore infert ceu laſſitudinis ſenſum. Tunc temporis remedio erit, quod exporrectis nimiùm partium villis otium concedet & tempus ad ſe redeundi, hoc eſt, ad ſui *elateris* menſuram ſe recipiendi, quod à quiete obtinebis, cujus quietis modum & rationem his *Celſus* (f) exponit verbis. *Si quandò aliquis laboravit multò plus quàm ſolet, huic jejuno dormiendum eſt*, &c. . . .

Hinc autem intelligas quietis beneficium, quâ agendo remediorum nihil, id agis omne quod ad ſanandum neceſſarium eſt, in hocque medicinam habebis non paucis propriam morbis, quos ſi in illorum radice plurimos expendas, maximâ ſui parte ab immodico corporis vel animi labore natos comperies, quibus proindè genuina medicina erit, quies corporis, aut animi relaxatio; quorum loco ſi medicamina ſufficias, bone Deus, quæ corpori cala-

(a) *Epid.lib.VII.p.*1103. (b) *De ulcerib.art.*2.*v.*8.
(c) *Prænot.art.*16.*v.*3. (d) *Aph.*41.*ſect.*6.
(e) *Bellin.opuſc.* (f) *P.*25.

mitas! tantò major, quantò impares remediis sunt partes, quæ jam debiles sunt & lassæ: tales sunt in iis qui corpore vel animo fatigati sunt, iis ergò turbas mille remedia apportent necesse est.

Posthàc si memineris in defatigatis animo vel corpore, nervos ipsos esse qui segnescunt aut ægrotant, confestim agnoscis, principem esse corporis potentiam quæ languet, ideſt, *solidorum* elaterem qui pigrescit, undè cum quiete jejunium jubebant artis patres, alimenta enim subigenda tradi potentiæ quæ languet, omnis generis cruditatum initia poni est: at minùsne veniet periculi ex remediis? quæ incidendo in ignavas partes, nihil non temerè movebunt, feliciter promovebunt nihil.

APHORISMUS XLIX.

Οἱ εἰθισμένοι τὰς σωμήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσωμήθων, ἰσχυρῶν τε καὶ νέων, ῥᾷον φέρουσι.

Consueti solitos labores ferre, etiamsi fuerint debiles aut senes, insuetis, robustis licèt & juvenibus, facilius ferunt.

Tanta est consuetudinis potentia! quâ senescendo juvenescente datur; quid enim aliud parem esse senem ferendis juventutis laboribus, quàm juventutem redintegrari? beneficium earum est, qui à teneris vel à puero sua assueverunt corpora labori, sic enim velut in anteceſſum futuris senibus sibi est providere vires. Reipsâ tantò virium potentia crescit, quantò augescit *solidorum* elateris virtus; hæc autem major ubi major est fibrarum *contractilitas*, quam infert corporis labor, qui partium villis flexibilitatem afferendo, tractabilitatem illorum tuetur & auget. Et verò facit labor, ut tractatæ sæpiùs fibræ crebriùs oscillent, sic fit exporrectionis & constrictionis alternans exercitatio, quâ obsequio assuescentes fibræ, vitæ vel sanitatis legibus diutiùs obsequi discunt, idque ad senectutem erudiri est; meritò igitur labori assuetos juvenes nuncupabis senectutis candidatos, utpotè cùm quantùm *corpus firmat labor*, (*a*) tantùm perennet vitam. Nam vitæ quidem fomes & altor est humor, à quo fibrarum *contractilitas*; at humor, qui unguinis aut lymphæ loco sit, undè mollescant partes, non *pituitæ* aut aquæ undè frigeant, vel exsolvantur; facit autem labor ut tractatum jugiter, pinsitum assiduè, & indesinenter emollitum, quod in partibus humidum insevit natura, id exuat aquaticum omne, quo partium exolutioni foret & refrigerio, dum visci amabilis (quod vitæ gluten est) naturam induendo ad sanitatis pabulum se format & vitæ tutelam; imò & senium moratur, sic enim humentes uvore, non madentes aquâ partium fibræ sicceſcunt tardiùs, senectutisque causam arcent, quæ tabes vel ariditas est. *Etenim inexercitati humidam carnem habentes, cùm laboraverint, corpore calefacto, multam colliquationem remittunt* (*b*) &c.

APHO-

(a) *Celſ.* (b) *Vide de diæt. lib. II. art. 45. v. 1. & c. art. 46. v. 1. & c.*

APHORISMUS L.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ συνήθεα, κἂν ἦ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἰώθε. δεῖ δὴν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.

A multo tempore consueta, etiamsi fuerint deteriora, insuetis minùs turbare solent. Oportet igitur etiam ad insolita mutare.

ALTERUM consuetudinis vis argumentum, talis nimirùm quâ ipsa mansuescant mala. *Consueta* autem hæc de *laboribus*, *cibis*, *potulentis & vestimentis* interpretatur *Hippocrates*, (a) quorum reverâ usum consuetudo magis moderari quàm ratio videtur, non tamen præter rationem; absit enim *consuetudinis* nomine accipias, cæcam aut ineruditam familiaritatem rerum; disciplinæ enim genus est consuetudo, modulatio nempè fibrarum *elateris*, quâ corporis organa aut organorum potentiæ, ad insueta se accommodant aut elevantur. Sub hoc conceptu tota hominis vita ad consuetudines institutio est; ætatum progressus, vitæ conditionum ingressus, ad nova assuetudines sunt, sive alimenta, sive vitæ status, sive labores aliusmodi isthæc fuerint: sic à lacte ad pultes, à pultibus ad carnes, ab infantium otio ad juvenum labores, à cælibatu ad connubium transitus, consuetudinum genera sunt aut assuetudinum modi, sub quibus omnibus concipias necesse est, mutandas venire toties fibrarum posituras, quoties ad novos venientium rerum subactus aut status vitæ mutandæ veniunt oscillationum rationes. Hæc cùm vera sint, nihil aliud est consuetudo, quàm partium status aut habitudo intensi elateris gradu consistens, undè suo organo crescit potentia: sed indè fit ut *turbent minùs deteriora*, quibuscum intercedit familiaritas, vel *consuetudo*, stabilitâ enim inter *deteriora* & corporis potentias æquipollentiâ, ferendis, vincendisve illis quæ *deteriora* erunt, suppares fiunt corporis potentiæ. Interim ut inter vitæ ærumnas incidere potest eorum quæ *deteriora* sunt ferendorum necessitas, *ad insolita mutare oportet* aut assuescere, ut ad *deteriora* paratæ corporis potentiæ, *turbentur minùs* aut minùs lædantur. Mutationes autem ejusmodi sic institui convenit, ut (quod *Hippocratis* consilium est) *ordinatæ* (b) *sint*, *ex qualibus ad qualia factæ*. Cogitando ergò semper, consuetudinem esse fibrarum habitudinis aut posituræ modum, hùc *ordinari* mutationes aut *consuetudines* curabitur, ut in suis directionibus & posituris fibræ pergentes, *ex qualibus ad qualia mutentur*, suas nempè non mutando *oscillationum* directiones sed firmando; illarum enim titubatio morbus est, aut inclinatio sanitatis, firmitudo autem illarum sanitatis argumentum est.

(a) *De vict. acut. ar.* 18. *v.* 2. *de diæt. lib. II. ar.* 44. *v.* 4. *de humid. usu. ar.* 3. *v.* 8.
(b) *De humor. art.* 3. *v.* 114.

APHORISMUS LI.

Τὸ κ̃ πολὺ, ἢ ἐξαπίνης κενῶν, ἢ πληρῶν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκοσῶν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερὸν. ἢ γὰρ πὰν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές, ἢ ἄλλως ἰὼν, ἢ τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ.

Multùm, & derepentè, evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocunque modo corpus movere, periculosum est. Nam etiam omne multum (ideſt nimium) naturæ est inimicum. Quod verò paulatim fit, tutum est: tum aliàs, tum si quis, ex altero ad alterum transeat.

IN his inculcandis totus eſt *Hippocrates*; *omne nimium naturæ inimicum*; *exceſſus valdè ſunt vitandi*; (a) *violentia malum* (b) *eſt*, *mediocritas extrà noxam* (c) *eſt*; quibus addes crebra hæc illius monita; *perpetuò* (d) *hæc omnia inter ſe teſtimonium præbent, quòd omnia quæ derepentè multum ſuprà modum hùc & illùc mutantur, lædunt . . . non enim licet derepente in totâ re quicquam hùc aut illùc mutare:* (e) iterùm *contraria paulatim factâ acceſſione adhibenda ſunt, & interquieſcendum* (f): ex his omnibus intelliges animalis œconomiæ regimen artem eſſe aut rationem *elateris* intendendi, ut fieri aſſolet, in aptando ad motum manuali horologio; eapropter omnem medendi peritiam verſari in flectendis ſenſim, laxandis, tendendiſq; paulatim organorum villis, qui *contractiles* ſint & ductitii tutò in tantùm, in quantùm *paulatim* ad ſuas functiones flectuntur, aptanturvè. Motûs namque modi ſunt corporis functiones, quibus proindè reſtituendis organorum motus reſuſcitari opus eſt; hi autem *ſolidorum* ope exercentur, igitur *ſolida* erunt, quæ ad *Hippocratis* mentem paulatim tractanda ſunt, aut ducenda, ſive *evacuantium*, ſive *alterantium* invocanda veniant auxilia, utpotè quæ omnia in *ſolida* agendo, quæcunque poſſunt operantur bona. Hinc obſervandum moderamine quanto uſurpanda ſunt, cujuslibet conditionis fuerint medicamina, *derepentè* enim aut vehementiùs ſi in *ſolida* irruerint, metus impendet proximè, ne vel vaſorum quibus præſunt, capacitates violando, humorum impetus & *colliquationes* committant enormes, vel *ſpaſmum* fortiorem fibris illorum inferendo, emiſſaria ſtringant fortiùs & occludant, *ſecretioneſque* ſiccando, *ſuppreſſiones* mille, *deliteſcentias & apoſtaſes* pariant. Errori fortè erit malè ſanus qui tibi veniret de *alterantibus* remediis conceptus, ab *evacuantibus*, ut putant, diſſimilibus, quòd cum evacuent nihil, turbarum nihil afferre quibunt, aut ſaltem *erethiſmi* minùs. Sed immutando agunt *alterantia*, *mutationes autem ſi maximæ ſint*, *morbos pariunt* (g); cavendum ergò etiam

(a) *De morb. mulier. lib. I. art. 33. v. 4.*
(b) *Ibid. art. 98. v. 15.*
(c) *De humid. uſu. art. III. v. 5.*
(d) *De vict. acut. art. 13. v. 15.*
(e) *Ibid. art. 17. v. 12.*
(f) *Epid. 6. ſect. 2. v. 47.*
(g) *De humor. art. 8. v. 15.*

etiam in *alterantium* usu, nè confertim & *derepentè* ingerantur, *corpus* enim aut humores *movendi modus* in illis est, id inferens *periculi*, quod à labefactato, rupto, aut *solidorum* temerato *tono*, turbatâque, mixtâ & confusâ *solidorum crasi* metuendum venit.

APHORISMUS LII.

Πάντα κατὰ λόγον, ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Omnia secundùm rationem facienti, & non secundùm rationem evenientibus, non transeundum ad aliud manente eo, *quod visum est ab initio.*

Hîc artis ars & scientia artificis, quæ agendorum cognitio est, & non agendorum peritia; agendorum, inquam, quæ juxta *indicationum* rationem & sapientiam medentis æstimata sunt opportuna, non agendorum verò, præter ea quæ congrua semel judicata sunt. Hic ergò *aphorismus* adversùs illos est, quibus mutatoria placent remedia; non ideò tamen quasi vetita sit quælibet in curando mutatio, namque licèt jussa *secundùm* illam *rationem* remedia mutari piaculum sit, attamen jussorum *secundùm rationem* remediorum rationes mutare licet, sive ægri palato, sive morborum necessitatibus, sive naturis ægrotantium, vel *idiosyncrasiis* servire oporteat. *Martialia*, *amara* & hæc inter *corticem peruvianum*, *narcotica*, &c. . . *secundùm rationem* exhibita mutare periculosum erit? sed *processus*, *doses*, tempora, exhibendi modos variare licebit. Itaque dum hîc damnantur, quos dubios & ancipites tenet in curando levitas aut inconstantia, qui nulli non remedio se credentes, fidunt nemini, quique de remediis delibando multa, pauca seligunt, ab illâ medendi industriâ arcetur, nemo, quâ morborum circumstantiis, ægrotantium commodis, & temporum conditionibus gratificari conceditur. Verùm ut hunc omnem medendi articulum utilem experiaris, medicinæ caput tibi sit, fido tenuisse animo veram morbi hystoriam, ceu naturalem morbi *phænomenon*, temporum, *symptomatum* seriem, ut morbi naturæ benè conscio tibi se monstrent propriæ medendi *indicationes*, in quibus postea sedulus pergas & imperturbatus; indulgendo medicaminum mutandis fortè modis, non naturis: nam semper *non sanantem variare oportet modum*. (a) Sic *circumspecti hominis est novare interdùm, quia curationem, ubi quod est, non recipit, potest recipere id quod futurum* (b) *est, corticis Peruviani* exemplo, cui interdùm postquam obsurduit febris, toto tempore quo liquidi formâ propinatus est, victas illicò dat eidem manus, ubi solidâ formâ porrigitur. Itaque in medicinâ quoque ut in foro, formularum ratio causæ momentum (fundum) inclinat. Undè *ubi* in medendo *aliquid non respondet*, ... *non statim condemnetur, si quid statim non profuit* . . . . *si paulùm saltem juvat, quia profectus tempore expletur*. (c) Il-

---

(a) *De loc. in hom. art.* 20. *v.* 11. (b) *Cels. p.* 138.
(c) *Id. p.* 112.

Illos notat adhuc hic *aphorismus*, qui *indicationum* legum ignari, in curando desultorii sunt, de *stomacho* vel *alvo* movendis modò, modò de *sudoribus* promovendis in eodem morbo, fortè die eâdem solliciti, suam sic prodentes imperitiam, malè nempè memores naturæ legum constantiæ, juxtà quam ut certos exhibet & solitos morbi exitus, hos eosdem constanter medentibus offert imitandos, hique sunt quos petulantiâ aut audentiâ medendi invertere vetat *Hippocrates*.

APHORISMUS LIII.

Ὁκόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι, νέοι μὲν ὄντες, βέλτιον ἀπαλλάσσονται τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων. ἐς δὲ τὸ γῆρας, χεῖρον ἀπαλλάσσονται· ξηραίνονται γὰρ, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τοῖσιν ἀποχωρήσουσι.

Quicunque alvos habent humidas, dum quidem juvenes sunt, melius liberantur his, qui siccas habent. Ad senectutem verò, pejus liberantur: siccantur enim ut plurimùm senescentibus.

MElius est in juvene fusior alvus, in sene astrictior; (a) quibus *Celsi* verbis tota recluditur hujus *Aphorismi* doctrina, quem proindè sic interpretaberis. *Quicumque alvos habent humidas, dum quidem juvenes sunt, melius* à præsentibus *liberantur* ægritudinibus, & à futuris præservantur *melius his, qui siccas habent: ad senectutem verò* progressi *pejus* vel infeliciùs à præsentibus ægritudinibus liberantur, & à futuris intutius præservantur; rationem subjicit *Hippocrates*, quia siccari alvos senibus proprium & naturale est. Disparilitas est, quòd in juvenibus partium *eutoniæ* signum sit alvi facilitas aut solutio, vegeti nempè aut firmi *secretoriorum elateris* ab eluxuriantibus succis se depurgantium, quod præsentibus morbis auxiliari est & futuris providere; contrà in senibus fusa alvus *atoniæ* alicujus, debilitati nempè, aut malè se tuentis fibrarum *toni* argumentum est, cadentis ergò naturæ testimonium. Enimverò laxitas quæ in omnibus hominibus delictum est, in senibus crimini dabitur, eò damnosiori, quod senili naturæ adversetur; singulariter senescentibus, quibus nempe ideò alvi siccantur, quòd in iis succescere *solida* consuetum sit; senibus ergò solvi alvum in tantùm damnabilius sit, in quantùm hinc majorem vel insuetum magis à naturâ recessum fieri apertè significatur.

(a) *Cels. p. 33.*

APHORISMUS LIV.

Μεγέθει δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλευθέριον καὶ οὐκ ἀειδές· ἐγγηράσαι δε, δύσχρηστον, καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Procero corpore juventutem quidem degere liberale est, nec deforme: insenescere verò, incommodum & parvis deteriùs.

Vigor ætatis omnia habet gratiosa, decrepita verò ætas vice versâ . . . . (a) *nam longa statura ut in juventa decora est, sic matura senectute conficitur.* (b) Incommodum, ut videretur, maximum; majus tamen minatur *Hippocrates* iis qui *procero corpore insenescunt*, statura enim longa *deterior parvâ* senibus est. Duplex hujus incommodi ratio est, 1°. quod gracilescente toto torpore, gracilescere vasa necesse sit, 2°. quod senescente procero corpore, quod gracilescere aut siccescere est, minui admodùm arctarique oporteat vasorum capacitates; sed hæ arctantur ab eduris partium fibris, debilitari ergò eò magis *systalticam solidorum* in senibus intellexisse est, quò magis in longum illæ exporrectæ aruerint. Hîc autem duplicem insimul animadvertis tardati in senibus sanguinis circuitûs causam, hinc imminutam *motoris* potentiam, quæ *solidorum* vis *systaltica* est, illinc angustias vasorum; duplicem proindè habes breviandæ vitæ rationem, si adjicias longiores esse in procero senis corpore circulanti sanguini peragrandas distantias, dum hinc angustiores factæ viæ sunt, illinc remotior facta meta est, palàm fit *incommodum procero corpore insenescentis*, ratioque propterquam *parvis deterius* est in senibus *procerum corpus*: parvum enim corpus *non gracile*, *non obesum*, habitudinis nempè mediæ, ad *quadratum* propiùs accedit, quod ad diuturnitatem vitæ *habilissimum* (c) est; in quo videlicèt ut breviores sunt distantiæ, breviores quoque musculorum fibræ seu motionum vectes, unde recollectæ & unitæ magis aut propiùs omnes vivendi potentiæ, protrahendæ longiùs & feliciùs vitæ serviunt utiliùs.

SE-

(a) *Hip. præcept. art. XI. v. 10.* (b) *Cels. p. 43.*
(c) *Cels. p. 40.*

SECTIO TERTIA.

APHORISMUS PRIMUS.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων, μάλιστα τίκτουσι νοσήματα· καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ, ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τἆλλα κατὰ λόγον ἔτεος.

Mutationes anni *temporum, maximè pariunt morbos: & in ipsis temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.*

LUIDORUM cum *solidis* æquilibrium labefactari, ægrotare est; æquilibrium autem illud unde sanitas, non à se est, non sui unicè juris aut ordinis, sed partium corporis ordinatio, quæ aliò spectat, motuum scilicèt illius consensio cum circumjacentium corporum afflatu, contactu, affectionibus: verùm corpori nostro circumfusus propiùs & penitiùs est aer, motus ergò illius affici tantùm periclitantur, quantùm afflatu, contactu & contagio potens est aer; sed hujus contactus pro variis temporum mutationibus variat, morbis ergò dabit origines, cùm *maximæ circà naturas nostras mutationes morbos faciant*. (a) Memineris autem *naturarum nostrarum* nomine hîc intelligi partium nostrarum *elateris, systaltica vis* aut *toni* gradus, quos mutat maximè novus aer aut aeris mutatio, quippè qui ponderis & *elateris* plus vel minus nactus, sub variis anni temporibus fortiùs aut debilius corpora premit, elevatque aut deprimit *solidorum elateres*. Hæc quidem aeris novi contactus, deteriora tamen adhuc illius afflatus; pereuntibus enim unà cum præterlabente anni tempestate *spiritibus* (a) aeris & *flatibus*, qui corporis nostri humoribus *cognati* erant, ceu *quibus cum consuetudinem & benevolentiam* prægressâ tempestate corpus *habuerat*, *peregrinis* uti cogitur, *crudioribus*, forte *siccioribus & minùs mansuetis*, *ut necesse sit dolores oboriri multos*, *plerisque etiam*

(a) *Hip. vict. acut. art.* 17. *v.* 9. (b) *De octimest. art.* 3. *v.* 20.

etiam mortes. (a) Enimverò, ut æquilibri o rerum deterius nihil, quàm inæqualis facta momentorum acceſſio, ſanitati, quæ aeris potentiæ cum corporis potentiis æquilibratio eſt, nihil inſidiatur magis, quàm aeris mutatis viribus, immutatas remanere corporis vires: hîc autem corporis humani ſtatus eſt, factâ tempeſtate novâ, cujus vitæ genus, victus, veſtitus, &c. dum eadem ſunt, potentiſſimæ, gravitatis nempè & *elaſticitatis*, tam evidenter mutantur potentiæ, ut qui corpore veluti inconſcio trahebatur inſenſilis aer, cum intenſo doloris, *frigoris* aut *caloris* ſenſu ducatur: ſic *frigoris*, *caloris*, & *aliarum rerum pro ratione*, *magnæ mutationes*, *maximè pariunt morbos*.

APHORISMUS II.

Τῶν φυσίων, αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δ' πρὸς χειμῶνα, εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.

Naturarum, aliæ quidem ad æſtatem, aliæ verò ad hyemem, benè aut malè ſunt conſtitutæ.

NAturam (b) *unuſquiſque habet, & vim in ſeipſo, & nullas nec auxilii nec remedii expers eſt. Si quis autem rectè conſideret, videbit quorumdam naturam montanis, ſylvoſis ſimilem eſſe, aliorum aquoſa referre loca . . . . alii quorum nudis ac ſiccis terris conſtitutio ſimilis.* (c) Hinc *diverſæ naturæ* tùm in ſeipſis, tùm ad alia *collatæ*; (d) fitque ut quædam *corpora in hyeme morboſiora ſint, quàm in æſtate, & in vere quam in autumno.* (e) Porrò ſingularis hujus corporum indolis, quâ *alia ad æſtatem, alia ad hyemem* meliùs ſe habent aut pejus, rationem habes in vegetiori *ſolidorum tono*, unde habent regiones & gentes integræ, ut majoribus hyemis aſperitatibus ſanæ obſiſtant, cujus conditionis ſunt Septentrionales plagæ, ubi non paucos eſſe audias, qui medios inter brumarum & glacierum horrores, longævi ſeneſcunt: duratis enim ac quaſi cicuratis gelu corporum illorum fibris, firmitudinis tantùm ſibi fecêre cutis oſcilla, ut dedocta claudi, jugiter hiſcere diſcant, perennandæque tranſpirationi ſervire. Ex adverſo obſervabis Auſtralium gentium *naturas ad æſtatem benè conſtitutas*, quæ nempè aeris indigenæ fervoribus aſſuetæ, fervendo durant. Simile quid experieris in ſingularibus naturis, obſervando ex hominibus eſſe alios, in quibus præfervida viſcera ignitos cumulando ſuccos, flammeſcentes aut *inflammatorios morbos* maximè committunt; talia ſunt, in quibus ſuprà modum *evecta fluidorum ſulphurea* pars jugiter ardet, fulgurat, flammat; rursùs obſervando aliuſmodi homines, in quibus non ſecùs ac in piſcibus ignavus ſanguis, ad flammandum tardus adeò eſt, ut febrire nunquam illis pro naturâ ſit.

(a) *Ibid.* 28. (b) *De morb. ſacr. art.* 18.
(c) *De aere, locis & aquis art.* 34. *v.* 8. (d) *De diæt. III. art.* 1. *v.* 6.
(e) *De diæt. I. art.* 23. *v.* 12.

APHORISMUS III.

Τῶν νόσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι· καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας, καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

Morborum alii ad alia tempora *benè aut malè se habent: & ætates quædam ad tempora, & regiones, & victus.*

EX morbis comperies eos qui periodici sunt, ideſt, per certa temporum intervalla recurrere consueti, qui ad certa tempora benè aut malè se habent. Sic tertianæ febres quæ sub *vere*, *æstateve* satis commodè curantur, accedente *autumno* habendo se pejus in *quartanas* faceſſunt. *Tabes* vix ullâ tempestate anni sanabilis, adventante autumno lethalis fit. *Arthritis*, *anginа*, *apoplexia*, in *autumnum* non rarò, in *ver* frequentiùs cadunt. *Variolæ* quæ surgente *vere* sævire solent, anno progrediente mansuescunt.

Sed hîc admonenda duo se offerunt, ad medendi felicitatem facientia non mediocriter: si *vesica* secanda, vel si gravem aliam sectionem *chirurgia* meditatur, si narium *polypus* avellendus, si abscindendus mammæ *cancer*, si rescindenda *ani fistula*, has operas in *ver* dimitti vulgare est, sed quanto discrimine intelliges ex temporis illius conditione, sub quo totâ vegetante naturâ, corpus totum ebullit succis, unde ipſiſſimus ille fit temporis articulus, sub quo si recrudescere cuidam invaletudini solitum sit, revirescit certè, suasque renovat strages; catulientis enim sanguinis tempus est, unde fervoris, *phlegmones* & *febrium* pericula, quibuscum chirurgiæ opera funestari periclitantur; expendet artis sapiens, ideis potiùs quàm præjudicatis opinionibus mancipatus, nunquid non præstabilius foret, quia periculosum minùs, deferventi tempori illa committi.

Similiter, solemnia quædam remediorum genera sunt, quorum usum tempori verno reservari moris est; hujusmodi sunt *lac asininum*; ex *mercurio* fictus, ex *amaris* & similibus herbis jusculа: hæc enim omnia *vere* usurpari consuetudo jubet; nihilominùs tamen de *lacte asinino* observatur, non paucis, etiam *Phthisicis*, infeliciorem esse *vere*, quàm *autumno* illius usum, ratione non absimili propter quam nonnullis tam improsperum sub æstate est lac, quibus iisdem sub hyeme cedit feliciter. *Mercurium* facto *vere* affricandum esse corporibus venere impurâ infectis, alterum adhuc vulgi consilium est; verùm, quid si crebriora illius infortunia *ver* ipsum fortè committat? talia enim expectanda ratio docet ex remedio perniciſſimæ virtutis, quod eo sub cælo adhibebitur, ubi exerunt se aeris *elateres*, insimulque omnes naturalium motionum virtutes. Ejusdem discriminis sunt ex amaricantibus aut *hepaticis* herbis jusculа, quibus *vere* indulgeri ritus est, quibus vel cespitantem valetudinem firmari, aut cadentem restitui prædicant, malè memores omnia isthæc amaricantia, actuosa tantùm esse quantùm sapora, particulis proin motabilibus & agitatoriis turgidula, quæ *veris* cœstro excita, sanguinem in tantùm non sedant interdùm, ut moveant magis, turbentque, non purgent; hinc vigiliæ, calores, anxietates & turbæ, quibus ejusmodi jusculis æstuantes videas non paucos, quod imprudentes ceperit jusculorum

ver-

vernis (ut loquuntur) plantis medicatorum credula nimiùm cupido.

Suæ adhuc sunt *ætatum ad tempora*, *regiones & victum* mutuæ rationes, quæ ad se invicem collatæ, ut morborum naturas & *diagnosin*, ità & *indicationes* curationem & prognosin aperiunt ; quantò enim crescet periculum *inflammatorii* aut *bilioſi* morbi, si unà concurrant regionis calor, æstuatio aeris, ex vinis & exquisitis dapibus prægressa diæta ?

APHORISMUS IV.

Ἐν τῇσιν, ὥρῃσιν, ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης, ὁτὲ μὲν θάλπωσι, ὁτὲ δ' ὑ ψύχος γίνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα προσδέχεσθαι χρή.

In temporibus, quandò, eadem die, modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

EX *tempestatibus* (a) *optimæ quæ æquales sive frigidæ, sive calidæ : pessimæ quæ variant, quo fit ut autumnus plurimos opprimat* : character enim aut notaculum naturæ est ordo rerum, series, aut constantia, unde ad morbum accedit nihil tam proximè, quàm corporis rerum gravis & repentina mutatio. Sed *frigus & calor* graves in tantùm sunt *qualitates*, in quantùm corpus immutant potentiùs, & si repentinæ fiant, eò lædunt magis, quòd improvisò cadentes in corpus, incautam invadant naturam, quæ parata male, malè se tuetur. Ventura ex *caloris*, & *frigoris* mutationibus repentinis jam admonuerat in universum *Hippocrates*, (*b*) hîc autem singularem illarum subjungit effectum ; *autumnales morbos*, inquit, *expectare oportet*, hoc est naturâ difficiles, incertos motibus, & *judicationibus* ambiguos, ideòque fallaces *indicationibus*, exitu ancipites ; facit enim *caloris* in *frigus*, & vicissim, repentina mutatio, ut læsâ *transpiratione*, quæ *secretionum* domina est, suam extrà orbitam cæteræ disjiciantur ; hinc que ut *fluidorum* motus, sic *solidorum* vertuntur *oscillationes*, turbatoque circulationum sanguinis ordine, & mixtis succorum motibus, hærens, & incerta suos natura quærit, quos infidos experitur, exitus.

(a) *Cels. p. 42.* (b) *Aph. 1. sect. III.*

APHORISMUS V.

Νότοι βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοί. ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσιν. ἢν δ' βόρειον ᾖ, βῆχες, φαρύγγες, κοιλίαι σκληραὶ, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων· ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή.

Austri auditum gravantes, caliginosi, caput gravantes, segnes, dissolventes. Quum hic dominatum tenuerit, talia in morbis patiuntur. Si verò aquilonium fuerit anni tempus, *tusses, fauces* asperæ, *alvi duræ, urinæ difficultates, horrores, dolores, costarum, pectorum. Quum hic dominatus fuerit, talia in morbis expectare oportet.*

Qui (a) *artem medicam assequi volet, is primùm anni tempora in considerationem adhibere debet; deindè verò ventos calidos*. Missis enim quæ ad rem medicam non pertinent curiosis circà ventorum prosapiam indaginibus, de illis observari unicè jubet medendi magister, quales *ex regionum* (b) *& locorum situ, per quæ ad regiones quasque obveniunt, inter se differentes, quia frigidiores, calidiores* .... hincque *morbosiores & salubriores existunt*. Porrò multiplicia inter ventorum discrimina, *aquilonem & austrum* seligit, nam *quò huic vel illi propiores sunt cæteri venti, eò magis vicinos his illisve affectus* (c) *faciunt*. Quâ ratione? *compingendo*, (d) *spissando corpus aut astringendo*, (e) *vel solvendo*, (f) *liquando, laxando*. (g) Posthàc quod *austri gravantes sint & dissolventes*, intelligere promptum fit; hæc enim committunt molliores aeris humentis *elateres*, qui *solidorum* firmitudinem labefactando, *liquamina* isthæc pariunt, & *laxamenta*: similiter concipere datur, unde fiunt ab *aquilone tusses, horrores, alviduræ*, dolores costarum, urinæ difficultates; *spasmorum* enim modi sunt quibus *compinguntur* partes, spissantur, stringuntur. Sed quod majoris adhuc momenti est, annotat *Hippocrates, talia sub morbis expectanda esse*, cum talium ventorum dominatus fuerit, hoc est *stringi*, vel *laxari* corpus sub morbis, prout *dominatum auster, vel aquilo tenuerit*.

APHO-

(a) *Hipp. de aer. loc. & aquis.*
(b) *De vict. rat. p. 321.*
(c) *Cels. p. 24.*
(d) *Hipp. de morb. sacr. art. 10. v. 4. 21.*
(e) *Cels. p. 42.*
(f) *Ibid. 10.*
(g) *Ibid.*

APHORISMUS VI.

Ὁκόλαν θέρος χρήται ἦρι ὁμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλὺς προσδέχεσθαι χρή.

Quum æstas sit veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.

MEDENTIUM vulgi peccatum est, cogitasse in caloris vi *sudoriferorum* poni virtutem; contrarium hoc *Aphorismo* innuit *Hippocratis* observatio, quâ compererat, *multos febribus* adesse *sudores*, quandò æstivus calor similis verno fuerat, scilicèt non ardens nimiùm, non siccus, non urens, sed temperatus, vaporosus, & humens. Sic enim tepentis sub vere aeris suavi contactu & aspiratione, *transpirationi* assuefacta cutis, febrilibus effluviis potentiorem se præbet. Revera febribus sudores advenire solitum est, postquam remittendo calor, à siccitateque desciscens deferveſcere cœpit, tam parum cum caloris vi convenit fudor! sed hinc medendi documentum duplex, nempè temperandum esse *fluidorum* motum, quod diluentibus obtinetur; & laxandum esse *solidorum tonum*, ut *sudoris* bellè cedat excretio; hinc rationes, propter quas *diaphoresin* promovent aut adjuvant tam efficaciter *acida* & *narcotica sudoriferis* sociata: illa enim tumentem nimio fervore sanguinem deprimunt & moderantur, hæc *fibrarum spasticam diathesin* laxant; quod illinc *sudorum* materiem, *excretoriorum diametris* aptare est, hinc *secretoriorum* exitus referare.

APHORISMUS VII.

Ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται· καὶ ἢν μὲν ἐπὶ πλέον ᾖ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐὸν, οἷόν περ ἦν κατάστασιν ἐποίησεν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὰ νοσήματα τοιαῦτα δεῖ προσδέχεσθαι.

In siccitatibus febres acutæ fiunt. Et, si quidem annus pro majori parte talis fuerit, qualem fecit constitutionem, ut plurimùm etiam tales morbos expectare oportet.

SICCITAS duplex, altera corporis, aeris altera, quâ utrâque concurrente, *acutos* enascituros esse morbos consequens est; duplici enim illâ de causâ, evecta illa sanguinis pars, quâ actuosus est, coctiones accelerat, quæ breviori temporis intervallo absolutæ, *acutos* aut breviores faciunt morbos, at sæpè periculosiores: *sero* enim, quod ut nutrimenti vehiculum, ità & coctionis materies est, defectus sanguis, coctionem ad quam properat præcipitantiùs, attingere nequit; imò præ siccitate hærens tardatusve lentescit & stagnat, brevique, at infeliciter, morbum solvit. Porrò siccitas aeris obvia sensibus est, neminique non comperienda; alteram autem, quæ corporis est, ostendit *secretionum* defectio universalis, quâ sub morbo humoris vix hilum

est

est quod corporis quovis emissario excerni vides, sic ut nihil *madoris* per cutem, *pituitæ* nihil per os, nihil *seri* per urinas, *bilis* nihil per alvum evacuetur: hocque omne omine malo; ut ut enim brevis sit futurus morbus, præsentis maximè periculi est, vel enim factam jam *phlogosin* aperit, vel in procinctu esse viscerum inflammationem significat. Cæterùm undecunque veniat siccitas, *fluidorum*, vel *solidorum* noxâ, plena quidem periculi res semper est, maximi tamen si à solidis proficiscatur, quod monstrant *hypochondriorum* durities, tensio, renixus, linguæ scabrities, cutis fervor, ardor & ariditas, pulsus φλεγμονώδης; ex his enim omnibus *symptomatis spasmo* stringi ipsa vitæ stamina intelligitur, proindeque *stasin* latere in ipso nervorum meditullio, *lymphæ* nempè nervorum, hoc est, roralis illius succi, quo si madere semel desierint, vivere cessant aut vegetare partes. Grande ergò malum siccitas! tam obvium tamen quàm communis, patens & meabilis aer, cujus fervens & sicca frequenter constitutio, similem sanguini, hincque nervis, affricat *diathesin*.

APHORISMUS VIII.

Ἐν τοῖσι καθεστεῶσιν καιροῖσιν, ἢν ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, εὐσαθέες, καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται· ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν, ἀκατάστατοι, καὶ δύσκριτοι.

In constantibus temporibus, si tempestivè tempestiva reddantur, constantes & judicatu faciles fiunt morbi: in inconstantibus autem, inconstantes, & difficiles judicatu.

IN *bono tempestatum habitu certior* (a) *valetudo est*. Aer ergò vitæ norma est, regula sanitatis, potentiarum corporis *momentum*, *elaterum* fons, altor & principium, quas omnes vires quo agit ordine, *rythmo* aut moderamine, constantiâ pari moderatur vitæ causas: ut enim *spiritus* ille *fuit* qui à creatione *ferebatur super aquas*, quibus accubando creditorum illis à Creatore germinum fovebat seminia, hodie quoque durat *elaterum* naturæ promptuarium, motionum causa, vibrationum author, oscillatoriæ vis parens, *oscillationum* fomes, materies, instrumentum.

Posthàc à constanti tempestatum conditione pendere corporis constitutionem mirabere minùs, utriusque enim altor est aer: at mirabere magis posthaberi tantùm à Medicorum vulgo in curandis morbis, aut negligi penitùs aeris conditionem, qui sæpiùs etiam in acutis morbis castigari certè indigeret; faciendo, ut molliori modò, modò vividiori instrueretur elatere, morbi, ægroti, loci ingeniis accommodato, quo corporis potentias pro circumstantiis rerum moderando, coctionum artes & causas meliùs adjuvaret: vix enim concipias, quantùm sui immemor cura vitæ aut sanitatis amor omit-

(a) *Celsi p.* 43.

omittat in curandis morbis, quod in unis voluptatibus vitæ assidui usûs aut quotidiani est! indecorum impensæ studii & curæ tantùm adhiberi in odorum, vaporum, & effluviorum lenociniis, vel ut ferveat minùs aer, vel ut adulteratus nares feriat suaviùs, jucundiùs aut voluptuariè magis, dum curæ nihil aut industriæ impenditur à medentibus ut ægrotorum peccatori, pulmonibus, aut sanguini aerem accomodent, congruis quidem asperginum, flabellorum & suffituum præsidiis; jubendo imprimis, ut identidem cubiculorum refrigeretur, immutetur, verbo, renovetur aer, quod hinc pellendo antiquatum aerem, illinc admittendo recentem obtinebitur; commodum certè duplex, sed quod ex unâ, prudenti nec incongruâ locorum apertione redibit; sic fiet equabilis rationum aeris cum corporis *potentiarum* rationibus æquabilis commensus, succedetque meliùs motuum corporis aut naturæ sub morbis, ordo, series, constantia.

APHORISMUS IX.

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξέα αἱ νόσοι, καὶ θανατωδέστατα τὰ ἐπίπαν· ἦρ δὲ ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

In autumno morbi acutissimi, & pernicioſissimi omninò: ver autem salubertimum, & minimè exitiale.

AUtumnus *plurimos opprimit; nam ferè meridianis temporibus calor; nocturnis atque matutinis, simulque etiam vespertinis frigus est: corpus ergò & æstate, & subinde meridianis caloribus relaxatum, subito calore excipitur*: (a) tam inconditè *laxari, stringive* partes gravissimos post se trahere morbos concipitur, in eoque mortis minaces, quod tutelæ vitæ immediatiùs præsunt, quæ perperàm *laxantur, stringunturve* partes; *nervi* scilicèt, qui *secretoriorum* moderaminibus præficiuntur. Hinc *autumnum* præ cæteris anni tempestatibus *transpirationi* incommodum esse maximè manifestum est, *depurando* nempè aut defæcando sanguini contrarium; hinc observationis hujus ratio; *ex aliis etiam longis morbis plerique ad autumnum maximè moriuntur* (b). *Igitur in autumno fiunt omninò pernicioſissimi morbi*: at etiam *acutissimi*, si ad *Hippocratis* seipsum exponentis mentem referas *acutissimos* hosce morbos; *pereunt*, inquit, *homines hi*, (Phthisici) *ad autumnum*. (c) Si autem memineris *phthisicis* solitum esse perire *acutissimis* febribus, quas derepente accendunt pulmonum *phymata* aut *tubercula*, cùm *phlegmonem* conceperunt & in suppuratum properant, observasse sufficiet, autumno sæpiùs accendi istiusmodi *acutissimas* febres, sed reverà *autumno qui ceterâ parte* anni traxerunt phthisici, resolvuntur; (d) hincque intelliges *in autumno fieri acutissimos, & pernicioſissimos morbos*.

De

(a) *Cels. p. 42.* (b) *Hip. prædict. 2. art. 13. v. 4.*
(c) *Ibid. v. 3.* (d) *Cels. p. 72.*

De *vere* secùs est, si cum autumno sub ejusmodi respectu conferatur, sub vere enim cum jugiter laxus sit & mollis partium textus, *stringi* minùs periclitantur, premique vel densari; propterea suâ sic assertâ æquabilitate sanguinis circuitui, sua stat animalis œconomiæ legibus constantia, sanitatis integritas, vitæ tutela: enim verò ut ut incommodi quid phthisicis ipsum ver apportare queat, inde affert periculi minùs, quòd *transpirabilia* vel meabilia magis corpora faciat aut inveniat.

APHORISMUS X.

Τὸ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακόν.

Autumnus tabidis malus.

AUtumnus *tabidis malus*; temporis enim intervallum est quod ultimam affert tabidis perniciem, memoratum nempè modò *febris inflammatoriæ* genus, quo ultima absolvitur morbi illius scena. Iterùm malus est, cadentis enim naturæ tempus est, sub quo elanguens in orbe universo, in hominis corpore fatiscit. Autumno enim strictæ partes à *tono* suo desciscunt, densatæque, *secretoriorum* oscilla simul & *transpirationis* materiem comprimunt; ampliùs quæ à centro corporis ad cutem ibant oscillationes, à cute ad centrum reflectuntur, sicque ad unos pulmones confluentibus, qui multis partibus debebantur, succis, ad morbi sedem ruunt humores, impetuque facto cumulati, *stasin* densant; hincque lethalem *apostasin* inducunt, miserabilemque hujus morbi *catastrophen*.

APHORISMUS XI.

Περὶ δὲ τῶν ὡρέων, ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τοῦ θέρεος πυρετοὺς ὀξέας, καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γίγνεσθαι, μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας

De temporibus, si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluviosum & australe, æstate necesse est febres acutas fieri & ophthalmias, & dysenterias, maxime autem mulieribus, & viris naturâ humidis.

NATURÆ regulæ, *stricti* lex & *laxi*; sic corporis rerum regimen à rerum universitatis ratione pendet, quæ prout plus *stricti* habent aut *laxi*, seu plus minùsve elateris, hâc vel illâ ratione afficiunt humanum corpus aut moderantur. Hinc illa, quam usu recognovit *Hippocrates*, *necessitas*,

sitas, quâ post *borealem hyemem* quam excepit *australe ver*, *febres* colliquativas succedere oportet, tùm *lippitudines*, *ophtalmias*, *dysentherias* & similes humorum fluores aut colliquationes. Harum omnium materiaturas sub hyeme congerit à frigore facta constrictio cutis, hincque *transpirationis* compressio; partes autem laxando *australe ver*, concluſis tot succis vias aperit, quos effluere sinunt non satis *constricti ventres*; (*a*) inde *serosa colluvies* maximè in *pituitosis*, *humidioribus hominibus*, tum & in *mulieribus*; *molliora* (*b*) enim & laxiora *corpora* sunt quæ humorum libenter sinunt aut admittunt fluxus. At quod obſervabile, inde edoceberis, pro causâ *colliquationibus* esse, hinc *laxi* genus ab *atoniâ*, à debilitate *solidorum*, vel *fluidorum* refrigeratione diversum, quodque committit calor, quò pertinet *auster*; illinc anteactam constrictionem vel *elateris* vis augmentum; unde concludendum superest, in *colliquationibus* sæpè subesse plus *erethismi* quàm *atoniæ*, plus æstûs, quàm refrigerationis.

APHORISMUS XII.

Ἢν ὁ νότιος ὁ χειμὼν, καὶ ἔπομβρος, καὶ εὔδιος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὔχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες, ἢν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν· αἱ δ' ἂν τέκωσιν, ἀκρατέα καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν, ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτὰ καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα. τοῖσι δ' ἄλλοισι βροτοῖσι δυσεντερίαι, καὶ ὀφθαλμίαι ξηραὶ γίγνονται· τοῖσι δ' πρεσβυτέροισι καταῤῥοι σωτόμως ἀπόλλυσι.

Si verò hyems australis, & pluviosa, & tranquilla sit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres quidem, quibus partus in ver incidit, *ex omni occasione abortiunt: quæ verò pepererint, infirmos & morbosos pariunt pueros, ità ut vel statim* illi *pereant, vel tenues & morbosi vivant. Cæteris verò mortalibus dysenteriæ, & opthalmiæ siccæ fiunt: senioribus autem catarrhi brevi perimentes.*

Hîc habes inobservatas hodie, medentium vulgo saltem inexploratas, abortionum & infelicis parturæ causas; illarum imprimis quas interdùm *epidemicè* grassantes audis, adeò ut regiones aliquando sint aut anni, ubi gravidis abortire & puerperis interire publicum sit vel consuetum.

Malitiæ ejusmodi causam ponit *Hippocrates* in mutatis aut præposteris tempestatum anni conditionibus, ut si *hyemem australem* excipiat ver aquilonium, tum si in ejusmodi *ver inciderit pariendi tempus*. Reverà facit hyemis auster, ut sanguis intrà vasa gravidæ coactus congestusvè, eo insimul tempore quo corpora stringi magis assolent, æstuet & tumeat; sicque plus molis acquirat eodem tempore quo plus habet massæ, hancque ob causam

(a) *De aer. loc. & aqu. art.* 14. v. 10. &c. (b) *Cels. p.* 45.

plethoram gravidis consuetam suprà modum augeat: *fluidorum* pressionis status hic est, unde imminens jam & præsens abortûs periculum; sed advenit insuper *solidorum* pressus alter, quem infert veris *aquilo* constringens, ab illâque duplici pressionum potentiâ contractus in se nimis prægnantis uterus, fœtum extrudere cogitur, aut quem non maturiùs ejecerit fœtum, infirmum edit & *morbosum*. Rationem invenies in læso uteri *tono*, quem labefactans hinc *tonicus* fibrarum *spasmus*, quem induxit veris *aquilo*, illinc sanguinis ab hyemis *austro* æstuantis, *augescentis* (a) *sub vere*, & sub graviditate cumulati exuperans quantitas, quæ vasorum capacitates superans, *elaterum* lassat *resistentias*. Uterus enim fœtûs corpusculi typus aut forma est, utpotè cujus tenellulæ *solidæ* partes, fulcro hoc egeant aut stabilimento, quo suum *solida* forment firmentque *tonum*, suasque *fluida* instruant motuum directiones; unde fit ut si fortiùs pressæ sint, compactæ densiùs *solidorum* fibræ oscillare dediscant, factique angustiores vasorum diametri, sanguinis circuitûs initiamentis obices ponant; quæ omnia cum vitæ causis manifestè adversentur, ratio se prodit propter quam tam incommodè sic effictum infantis corpus, *morbosum* enascatur & vivat.

Indidèm venit ejusmodi puerperæ mortis causa, vitiatus enim sub graviditate uteri fibrarum *tonus*, suppar minùs est exercendis oscillationibus quæ opus sunt, absolvendis expediendisvè quæ superstant parturæ necessitatibus, unde *stases* sanguinis, *lochiorum* defectio, *lactis* stagnationes, *febres*, dolores, tormina, &c.....

Ceteris mortalibus ophtalmiæ... senioribus catarrhi.... colliquationum genera sunt, quæ inordinatis partium constrictionibus & laxitatibus succedunt, intereà *erethismi & ataxiæ* multùm hîc quoque subesse recordaberis.

APHORISMUS XIII.

Ἢν ὴ τὸ θέρος αὐχμηρὸν ᾖ βόρεον χρήσῃται, τὸ δὲ φθινόπωρον ὕωμβρον ᾖ νότιον, κεφαλαλγίαι ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται, ᾖ βῆχες, ᾖ βράγχοι, ᾖ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ ᾖ φθίσιες.

Si verò æstas ficca & aquilonia fiat, autumnus autem pluviosus & australis, capitis dolores ad hyemem fiunt, & tusses, & raucedines, & gravedines, quibusdam verò etiam tabes.

SIc ex præteritis futura prævidere discet Medicus, ex prægressis æstatis & autumni qualitatibus, quales futuræ erunt proximè sequentis hyemis qualitates præcognoscendo. Interim quantumvis ad observationem maximè pertineat hoc documentum, vel ideò spectabile, quòd usûs & experientiæ fructus sit, aliundè commendatione dignum est, tum quia rationi consentaneum est, tum quia innuit & rationem observandi & observationum rationem.

(a) *De nat. hum. art. 13. v. 20.*

nem. Nudam fieri *phænomeni* alicujus annotationem, observari vocatur apud *physicos*, idque contemplationi, cui studere scientia illis est, satis esse potuerit, secùs apud Medicos, quorum ars cùm ad actionem spectet, censetur observare in quantùm agere docet. Itaque curiosè aut eruditè minùs satagat erudiri Medicus de iis quæ aeri contingunt, unicè sollicitus de eo quod ex aeris immutatione corpori novum accidit. Observas tantùm *catarrhis* hyemem infestari, postquàm præcessêre *aquilonia æstas*, *autumnusque australit & pluviosus?* rationem observationis ecce tibi revelant prægressi aquilonis & austri in corpus humanum effectus & potentiæ; ille stringendo cutem, transpirationem reprimit, hujusque intrò actos succos congerit in corpore; hic laxat spiramina cutis, humorumque solvendo *cataractas*, aquarum aut seri committit eluvies. Tanti est *laxi & stricti* lex!

Verùm in *catarrhorum* censu quos hîc commemorat *Hippocrates*, locat *capitis dolores*; ideòne quia pectus aut altera capiti subjecta pars, impluvium cerebri foret, quô de capite ad inferas partes ruerent humores? hâc semotâ lite, adnotat observandi prudens, ad catarrhos præludia solita fuisse capitis *dolores*; & reverà vix ullum inter medendum reperias *rheumatismis* & *arthritide* perditum, qui antehàc *capitis doloribus* obnoxius non fuerit. Hujus autem observationis causas aperit adhuc corporis *mechanismus*; factâ corporis partium constrictione intrò rapiuntur humores, qui impetûs & directionum legibus, eò lubentiùs ferri debent, quò versùs sanguis confluit copiosiùs: sed nulla est pars quò abundantiùs sanguini ire consuetum sit, quàm cerebrum; illo igitur rapi necesse est exuperantes humores. In corporibus ergò, quæ refluis in dies humoribus turgidula sunt, pro aquarum promptuario cerebrum erit, hocque sensu *frigidi & humidi metropolis*, unde ad subjectas partes per *secretoriorum* arcanos elices derivando inutiles succi, in catarrhorum multiplicium materies facescunt.

APHORISMUS XIV.

Ἢν ὃ᾽ βόρεον ᾖ καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσιν ἐοῦσι τὰς φύσιας, καὶ ἤδη γυναιξὶ ξύμφορον· τοῖσι δ᾽ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραί, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ κόρυζαι χρόνιαι, ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι.

Si verò aquilonius & sine pluviis fuerit autumnus, *iis quidem quî naturâ sunt humidi, & mulieribus, commodus* erit: *reliquis verò erunt ophthalmiæ siccæ, & febres acutæ, & gravedines diuturnæ: nonnullis verò etiam melancholiæ.*

OPHTHALMIAS siccas (*Celso* aridas lippitudines) corporibus, quæ humida non fuerint advenire, ab autumni constitutione aquilonià siccâ, signum non obscurum est, non in una corporis *fluida* suas aerem exercere virtutes, cùm ipsa *solida* valeat impetere, si illi perdenda *fluida* desint. Sicca enim *ophthalmia solidorum* morbus est, ipso authore *Galeno*, qui ab

adnatæ imbecillitate & siccitate fieri illam agnoscit: alteraque ab eâ quæ legitur apud *Hippocratem ophthalmiæ* species, quam *fluidam* vocat, utpotè quæ comitem habet manifestum fluxum humorum: porrò qui *solidorum* morbus nobis est, *substantiæ* morbus antiquis erat, aut *sine materiâ intemperies* iis dictus, quoties partium *tonus* magis, quàm partium indigenæ aut adventitii succi labefactantur. Atqui ejusmodi est *ophthalmiæ siccæ* modus, fibrarum nempe stipatio vel constrictionis genus ab aquilonis aspredine inductum, à quâ mutatæ fibrarum series & habitudo, *adnatæ* tonum labefactant, inde *Lemæ*, quæ concretæ sunt sordes, à perversâ nutritii succi *assimilatione* degeneres reliquiæ. Ab illis servantur *ophthalmiis*, qui naturâ humidi sunt, tutante illos humore partium aut mollitudine, quæ aquilonis mordacitati fræno est & pabulo; ni fortè factus aquilo valentior præpolleat, fibrasque corrugando, *glandularum*, quibus instratæ membranæ sunt, oscilla premat arctiùs, harumque exprimendo succos, *fluidam vel catarrhalem ophthalmiam* accersat.

Nonnullis verò etiam melancholiæ solidorum aut *substantiæ* morbis adhuc accensendæ affectiones illæ sunt, tam parùm habent humoris aut materiæ unde alescant aut enascantur, totæ insuper in *spasticâ diathesi*, motuum *ataxiis*, anomaliis *undulationum* & oscillationum turbamentis positæ. Naturalis autumni est cum *melancholiâ* similitudo, ad hanc autem valet maximè aquiloniâ autumni siccitate adjuta, quæ in corporis partes humore exutas incidendo stipat fibras, corrugat, *tonum* corrumpit, molles exasperat, turbatque regulares illarum oscillandi rythmos.

APHORISMUS XV.

Τῶν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρίων εἰσιν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες.

Ex anni verò constitutionibus, in universùm quidem, siccitates pluviosis sunt salubriores & minùs lethales.

SICCITAS aeris, *Celso* (*a*) serenitas, puritatis argumentum est; aer enim ab humiditate liber sordescit minùs, *serenatus* nempè atque solutus ab eâ omni spurcitie, quam ab humiditatibus contrahit, nebulis potissimùm & imbribus, quæ utpotè aeri ascititia, peregrina jam sunt, hostilia mox futura. Imbrium enim materies, ut à terrarum, aquarumque fuliginibus emanant, varii saporis ponderisve varia sunt *miasmata*, momenta proindè varia corporum quæ premit & imbuit aer: hinc certè quantùm labefactari periclitantur rerum æquilibria, palàm fit, singulariterq; strui plurimas sanitati insidias; at exindè quoque patet non minùs quantùm insincerus est humidus aer, tantùm esse purum qui siccus aut serenus est, ætheri primùm creato

---

(a) P.42.

to similis tantùm, quantùm fert debita facta morti hominis conditio. Ex siccitate enim vel serenitate aeri redit aliquatenùs reviviscitque concreata illi mollis *elasticitas*, dulce pondus, amicumque *momentum*, à cujus moderamine pendebat primorum hominum, sanitatisque diuturnitas. Appressus ergò corpori serenus aer, hic idem ore ductus, utrobique mollis & amicus *elater* est, vitæ ideò utilis congruensque, quòd apportans secum crassi aut pinguis nihil, quod gravando pressiùs oblinat, vel obturet vasa, nec internæ nec externæ transpirationi obicem ponit, vasorumque, quos arctat fortè, non claudit nec impedit diametros, firmando, sanguinis circuitûs directiones protegit aut servat: aliquidne cogitabis *salubre magis aut lethale minùs? siccum ergò propiùs sano, humidum ægro.* (a)

APHORISMUS XVI.

Νοσήματα δ' ὧν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται, πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, καὶ ἐπίληπτοι, καὶ ἀποπληκτοι, καὶ κυνάγχαι· ὧν δὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, φθινώδεες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρῖτιδες, στραγγίαι, καὶ δυσεντερίαι.

Morbi autem, in pluviosis quidem plerumque fiunt, & febres longæ, & alvi fluxiones, & putredines, & epileptici, & apoplectici, & anginæ. In siccitatibus verò, tabidi, ophthalmiæ, arthritides, urinæ stillicidia, & dysenteriæ.

ALTERA autem à serenitate siccitas, quæ suos inducit morbos; hyemalis nempè & gelascens, quæ corporis *solida* stringendo fortiùs, *fluida*que pressiùs densando, *spasmos* in illis, in his eliquationes facit, unde *phthises*, *ophthalmiæ*, *arthritides*, *urinæ stillicidia*, *dysenteriæ*, sed frequentiores sunt à brumalibus & *pluviosis* constitutionibus morbi; peregrinis enim & hostilibus mille scatens nebulosus aer particulis, heterogeneis succis sanguinem infestat, unde hîc illic factæ *stases*, in *lymphaticis* aut sanguinalibus arteriis, sanguinis albæ vel rubræ partis committunt morbos; *febres*, *alvi fluxus*, *anginas*, *epilepsias*, *apoplexias*.

APHO-

(a) *Hipp. lib. de ulcer. p.* 898.

APHORISMUS XVII.

Αἱ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειοι, τά τε σώματα ξυνιστῶσι καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξεραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα, ἤν τι προϋπάρχῃ, μᾶλλον πονέουσιν. αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοΐας, καὶ καρηβαρίας ποιέουσι, καὶ ἰλίγγους ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

Quotidianæ autem constitutiones, aquiloniæ quidem, corpora compingunt, & robusta, & facilè mobilia, & benè colorata, & meliùs audientia faciunt, & alvos siccant, & oculos mordent, & dolorem circà thoracem, si quis præexistat, majorem faciunt. Austrinæ verò, corpora dissolvunt, & humectant, & auditus graves, & capitis gravitates faciunt, & vertigines in oculis, & corporibus motum difficilem, & alvos humectant.

HACTENÙS quidem de constitutionibus statariis, quæ has vel illas anni tempestates integras occupant, nunc de fugacibus & transitoriis, quæ in aliquot dies incidunt, quibus exactis, finiri solent: de ejusmodi constitutionibus admonet *Hippocrates*, etiamsi aquiloniæ fuerint, incommodi ferè plus illis esse quàm periculi, demptis enim quibusdam *catarrhalibus* doloribus præexistentibus quos exacerbant, de cætero, acuunt sensus, roborant nervos & corpora firmant, cùm qui paucorum dierum est aquilo, *systalticam* partium exuscitet virtutem, quare *coloratæ meliùs* fiunt aut *faciliùs mobiles*, agilioresvè. Contrarii sunt effectus, si austrinæ fuerint dierum constitutiones; humentes enim tunc & laxi aeris *elateres*, partium corporis laxant *tonum*, unde *sensuum*, *artuum*, *organorum* difficultates, hebetudines, gravitates, quæ austrino calore mollescentis aeris solita sunt incommoda.

APHORISMUS XVIII.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος, καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες, καὶ οἱ τουτέων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν, ἄριστά τε διάγουσι, καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα. τοῦ δὲ θέρεος, καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μέν τινος οἱ γέροντες. τὸ δὲ λοιπὸν τοῦ πθινοπώρου, καὶ τοῦ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

Secundùm tempora autem, vere quidem, & primâ æstate, pueri, & his ætate proximi, optimè degunt, & maxime sani sunt. Æstate verò, & autumno ad aliquam quidem partem, senes. Reliquo autem autumno, & hyeme, qui medii sunt ætate.

UT aeris ad morbos, sic illius ad ætates rationes & *analogiæ* sunt; talis est vernum inter aerem, & puerorum ætatem in eo posita similitudo, quòd

quòd ut veris, ineuntisque æstatis mollis tepensque aer est, sic temperatè calens est puerorum sanguis, qui proindè aeris spiritu amicabili jugiter afflatus, vitali flammâ ditescit in dies, familiariaque sibi aptat sanitatis & vitæ semina, hancquè ob causam *vere & prima æstate, pueri, hisque proximi, optimè degunt, & maximè sani sunt.*

Alia est senum ad æstatem ineuntemque autumnum ratio; his temporibus gaudet senum sanitas, utpotè cùm decrescens in senibus *transpiratio* illis indiget auxiliis quæ se sustentent aut promoveant; hujus autem generis sunt æstatis calor aut energia, quæ sub autumni ingressu pergit adhuc, sub quo meabilia facta solida simul & *fluida* corporis senilis, transpirationis negotio faciliùs vacant & uberiùs, unde illius tutela sanitatis. Vix cogitasses aliquam dari ætatem, cui cum autumno, & hyeme convenire potuisset, ità tamen est cum ætate mediâ aut juvenili, quæ hyeme viget; & reverà (quod Creatoris sapientiæ erat) sic temperari decebat lascivientis in sanguine caloris ignes; quemadmodùm enim quandò defuit hyems, insectis tota ebullit natura, quæ fructus & herbas miserè depascuntur; ampliùs non secùs ac hyemis defectu, plures & maligni morbi grassari videntur, similiter febrium aut ægritudinum emersisset densa cohors ex sanguine juvenili, qui hyemis moderamine caruisset.

APHORISMUS XIX.

Νοσήματα δ' πάντα ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται. καὶ παροξύνεται.

Morbi autem omnes quidem in omnibus temporibus fiunt: nonnulli verò in quibusdam ipsorum magis & fiunt, & exacerbantur.

PLEBEIUM aut tritum vulgò monitum, sed non vulgare consilium, imò *Hippocrati* singulare, solitumque & ejusmodi, ut ex rebus quæ quasi ad pedes hominum sunt, eliciat ea aut elicere edoceat, quæ medendi artem adjuvant mirabiliter aut promovent. Naturæ ut ille est spectator assiduus, quem in morborum *genesi* servari solitum à naturâ ordinem observavit traditurus, à simplici re, confessâ omnibus & naturali, morborum historiam auspicatur, quorum series cùm à temporum ordine pendeat multùm, hoc *aphorismo* cæteris proximè sequentibus, qui de temporibus sunt, præludit, monendo primùm medentem, pro temporum modo enasci morbos aut exacerbari; non ideò tamen quasi daretur aliquod temporis genus, sub quo morbis non obnoxius homo sit, at quædam sunt temporum naturæ, quæ recentes educunt morbos, vel sepultos exuscitant. Posthàc quæ apud *Hippocratem* simplicia aut vulgatiora viderentur, thorematum loco erunt, quæ apud *Geometras* à confessis procedendo ad arcanas ducunt veritates.

APHO-

APHORISMUS XX.

Τῷ μὲν γὰρ ἦρι, τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἱματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κορύζαι, καὶ βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ λέπραι, καὶ λιχῆνες, καὶ ἄλφοὶ, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσται, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

Nam vere quidem, insaniæ, & melancholiæ, & epilepsiæ, & sanguinis fluxiones, & anginæ, & gravedines, & raucedines, & tusses, & lepræ, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ ulcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.

DOCET hic *Aphorismus* duplicis generis esse morbos, quos parit ver, alios qui jam præextiterunt, sed qui consueverunt recurrere, quales sunt *insaniæ, melancholiæ, epilepsiæ, hæmorrhagiæ, arthritides*, &c. quæ omnes suos habent *paroxismos*, quibus vere regredi solitum est: alios qui cutis ægritudines aut vitia sunt, ut *lepræ* (tunc temporis, & in illis regionibus) hodie & apud nos *scabies, psoræ, herpes, impetigines, vitiligines, pustulæ, tubercula*; quod autem hos & illos ver proferat morbos, causa est veris aeris constitutio: totus enim ille *elateribus* imprægnatus, ductus ore, pulmonum vesiculis exceptus, in harum capacitatibus evolutus pandit se, enitendoque vesicularum vellicat fibrillas & ad contractionem aut oscillationem stimulat. Veris ergò aeris virtute, exuscitatâ omni vesicularum pulmonis *systole*, innumeræ sunt potentiæ *musculares* vel *machinulæ* oscillantes, aut agitatoriæ, quæ præterlabentem sanguinis molem mille punctis feriendo, tuditando, terendo, comminuunt illius succos, quassant digeruntque, hosque vel subigendo coadunant sanguini, vel adunari ineptos aut inhabiles ad *secretoria* pellunt, amandant, extrudunt. Sub hoc autem universali eluctantis se naturæ nisu concipere obvium est, ex succis eos primùm esse prodituros, qui in januis veluti sunt, & in secretoriorum primis liminibus positi; sed hoc loco sunt ii qui transpirationi debiti, hyeme prægressâ, intrà cutis *secretoria* retenti cumulati sunt, hi ergò erunt, qui adventante vere confestim erumpent in *pustulas & tubercula*.

Verùm abs re nè fuerit pustulas has & *tubercula* verna de *morbillis* & *variolis* nostratium interpretari; veris enim constantes adeò affectæ sunt variolæ, ut ad illius veluti odorem, ipsomet mense Januario, caput exerant, sequentibus mensibus immaniùs sævituræ?

APHO-

APHORISMUS XXI.

Τῷ δ' θέρει, ἔνιάτε τυτέων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τεταῖοι πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ ἀφόρροιαι, καὶ ὀφθάλμιαι, καὶ ὤτων πόνοι, καὶ στομάτων ἕλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἴδρωα.

Æstate verò, & horum nonnulli, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, & vomitus, & alvi fluxus, & ophthalmiæ, & aurium dolores, & oris exulcerationes, & pudendorum putredines, & sudamina.

ANNI temporum modos Chymicorum artibus comparabis; hæ enim ut calorum gradus & moderamina sunt, qui à cæcis ignibus, *cinerum, arenæ, vaporum*, ad apertos qui *carbonum* sunt, & *reverberii* ignes ascendunt; similiter qui sub vere tepentes sunt & vaporosi calores, æstate factâ in siccos & ardentes sese accendunt. *Vere sanguis augescit, ab imbribus videlicèt & calidiorum dierum tepore* (a) *æstate sanguis* viget, *bilis in corpore elevatur, & corpus possidet.* (b) Igitur à bile per æstatem erectâ, *continuæ febres, ardentes & tertianæ*, tum inflammatorii affectus, ut *ophthalmiæ, auris dolores*, producuntur: *sudamina* tandem quæ ab exprimentibus se *solidis* facta eliquamina sunt: efficit enim bile æstuans sanguis, ut tumens pressusque nimiùm in arteriis sanguinalibus, lymphæ suæ partem solito majorem eructari cogat in *lymphaticas* arterias, ceu arteriacos cutis *secretoriorum* tubulos, qui sic spissiori succo, loco roralis aut vaporosi oppleti, pro transpirationis fumo aquam expuunt: unde quæ unis *fluidorum præcipitationibus* vulgò attribuuntur colliquationes, stringentium se *spasmo solidorum* pressuræ sæpè sunt & expressiones.

(a) *Hip. de nat. hum. art.* 13. *v.* 5. (b) *Ibid. ar.* 14. *v.* 1. 5.

APHORISMUS XXII.

Τῷ δ' φθινοπώρῳ, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι, καὶ πλάνητες, καὶ ἀπλῶες, καὶ ἴδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λεπτυρίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰχιάδες, καὶ κωλάγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἴλεοι, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά.

Autumno autem, & multi ex æstivis, & febres quartanæ, & erroneæ, & lienes & hydropes, & tabes, & urinæ stillicidia, & lienteriæ, & dysenteriæ, & coxa dolores, *& anginæ, & asthmata, & volvuli, & epilepsiæ, & insaniæ, & melancholiæ.*

IN hoc cum vere consentit autumnus, quòd cum illo similes excitet morbos, illos nempè qui paroxysmorum reditibus renovari solent, hi enim vere & autumno regredi consueverunt: de hoc numero sunt, *insaniæ, melancholiæ, coxæ dolores* vel *arthritides*, quibus qui obnoxii sunt, vere & autumno iis conflictari solent: vere quidem, tunc enim resurgens veris calor, succos sanguini insepultos provocat; autumno verò, tunc enim ab immutatâ transpiratione iisdem malè sanis humoribus repressis cumulata vasa morborum, quos condunt, congerunt causas: Morborum imprimis qui ab *atrâ bile* fiunt, quæ *autumno plurima & fortissima est*. (a) Interim *atræ bilis* nomine ne intelligas unorum *fluidorum* delictum, in partem enim venit *solidorum* vitium, in quo ponitur *melancholicæ diathesis* non mediocris ratio. Cogites ergò licet, sub autumno *melancholiâ* exustum esse sanguinem, hincque *spiritibus* & *balsamo* suo exutum salsedinem, acorem aut acrimoniam induisse, hæc enim omnia innuit bilis ab æstate deflagrantis conceptus; at eâdem mentis operâ concipito, deflagrationem illam esse nihil aliud præter abnormem particularum tumentis æstu sanguinis, seu *elaterum* illius expansionem, quorum dilatatione, pulsu pressuque fortiori & assiduo densatæ vasorum fibræ induruerint, sed hinc vitiatio *toni*, *fluidorum* enim *solidis appressu* tardatæ, aut impeditæ oscillationum *undulationes*, *spasticam* formant & alunt *diathesin*, quæ *melancholiæ* modus aut ratio est; posthàc facilis fit *melancholiæ* vel *atræ bilis* sub autumno conceptus, causaque propter quam sub hâc tempestate enasci videntur *quartanæ febres*, *lienes*, *insaniæ*, *melancholiæ*, *hydropes*, &c.

Et verò *hydropes* bis autumnales sunt, duplici respectu autumnum, ceu sanguinem ustum, sapientes; præterquamquòd enim sub autumno oriri, proindèque æstatis ardoribus succedere solent, docet frequens artis usus, vix ullum primò & per se enasci *hydropem*, aut cui non præiverit vel *acutus* morbus à quo descendit, vel aliquis alius à sanguinis tarditate, morâ aut lentore incalescentis, flammativè profectus, cujus sunt sortis qui à *mensium*, *lochiorum*, *hæmorrhoidum & hæmorrhagiarum* suppressione committuntur hy-

(a) *De nat. hum. art.* 14. v. 13.

hydropes. Hinc à sanguinis ardore, unà concurrente *solidorum spasticâ diathesi*, venire non infrequenter *hydropes* non temerè judicabis, teste sanguinis statu, qui tusâ venâ sub hydrope eductus *phlegmonodes* aut *pleuriticus* sæpè est. Interim ab aquâ, frigefactisque visceribus fieri *hydropem* vulgi conceptus est; hincnè prodiret infelicium hydropis curationum causa?

APHORISMUS XXIII.

Τῷ ὑ χιμῶνι, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων, καὶ πλευρέων, καὶ ὀσφύος, καὶ κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι.

Hyeme verò, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectorum & laterum, & lumborum, & capitis dolores vertigines, apoplexiæ.

A Frigoris constrictione fieri tot pectoris & pulmonum morbos obvium est, sed vulgata minùs ratio est, propter quam tam certò tam constanter, tam directè pulmones invadit frigoris vis; illam rationem aperit tamen pulmonum positura, & corporis partium *mechanismus*. Frigore repressi *transpirationis* succi ad quaslibet quidem partes regrediuntur; at ut suis non paucæ fulcris firmantur, stabiliunturvè, singulæ habent unde firmiùs oscillent, suumque tueantur *tonum*, quo robore instructæ, vim habent repercutiendi, à seque amovendi frigoris insultus; pulmonis longè positus est, libera pars & soluta est, pendula aliundè, mobilis nec circumfulta, in illum ergò insiliens succorum frigore repercussorum impetus, ut cadit in partem undequàque improtectam, *tonum* illius, *diametros & resistentias* facilè vincit, violat, frangit, sicque *stasi* sanguinis & inflammationi aperit & asserit vias. Ostendit adhuc idem ille *mechanismus*, quapropter tam contumaces, tam difficiles & tam exitiales sunt pulmonum affectus; ex partibus enim *solidis*, cum pulmones habeant firmitudinis minùs, utpotè compaginis laxæ & mollis, adjunctis insuper defecti sunt stabilimentis; ab unis ergò illorum propriis viribus expectandum illis est, unde suas exerceant *coctiones* aut *digestiones*; sed hæ *digestiones* ab oscillationum aut trituræ potentiis pendent, quæ in pulmonibus infirmiores sunt, tardas ergò & difficiles esse debere pulmonum *coctiones* consequentia est. Hincque liquet quam ob rem ad flaccescendum tam facilè propendent pulmones; fibrarum enim suarum fabricâ dissimiles à cæteris visceribus, quæ pendula quoque nec circumfulta videntur (qualia sunt *cor & ventriculus*, quæ universæ tamen corporis œconomiæ *coctionum* parentes sunt) non brevibus simul & crassis *muscularibus*, ut *cor*, donantur fibris, quæ in illo, *vectis* exemplo, tantò vegetiores, quantò breviores sunt; neque *ventriculi* more, crassis instruuntur fibris; quarum elevant operas circumpositæ, pressuræque *diaphragmatis & abdominis musculorum* potentiæ; sed tenuibus, longis & mollibus fibris instruuntur, assidentibus nullis, quæ adjuvarent, potentiis.

APHORISMUS XXIV.

Ἐν δ' ἥβῃσιν ἡλικίῃσι τοιάδε ξυμβαίνει. τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλῶν φλεγμοναὶ, ὦτων ὑγρότητες.

In ætatibus autem talia eveniunt. Parvis quidem & recens natis pueris aphthæ, vomitus, tusses, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

IN observando rerum ordine sedulus semper *Hippocrates*, quam morbis ætates faciunt seriem hîc enarrat & historicè tradit, de suo addens nihil præter diligentiam, medentem assuefacturus ordini naturæ, cujus suo exemplo calcanda docet vestigia. Igitur hoc Aphorismo, nascentem ponit infantem, ut in inchoamentis naturæ, naturam discat Medicus, & in nascentibus illius operibus, modos ejus, rationes & mores expiscetur. Ad hanc *Hippocratis* mentem, infantem à matre recentem hîc habes non secùs ac evolvendum filorum glomeramen, sed filorum canalitiorum, capacitatibus, & diametris pertusorum, meabiliumque succis, quibus turgidula opplentur. Verùm quæ unius fortè pedis est glomeraminis illius longitudo, ad sex pedes cretura est, hocque nato augmine, quod aliquot ulnarum erat filum, illud in ulnarum milliaria elongabitur; sed hîc habes crescentis infantis corpusculi imaginem, in quâ perspicies, quales & quantæ filo illi servandæ erunt rectitudines, ut ad debitum sibi terminum pertingat. Jam verò cogites filum illud esse, vas aut tubum circumvolutum mille modis, unde exurgit corporis partium textus; adde succos quibus turget, sanguinem esse, qui intrà filum præterlabitur; confestimque intelliges dictas fili rectitudines, itinera esse quæ sanguini peragranda sunt: & cum per vortices, gyros & circumvolutiones innumeras pergat vas illud, per easdem distantias, flexus & plicas circumferri sanguini necessum erit, sub hocque conceptu intueberis *solidorum & fluidorum directiones*, ad quarum ductum & normam, ut sanitas se & vita tuetur, ita ad illarum deflexum nascitur morbus, æquilibriique in quo vita sita est, ratio se prodit.

Itaque ingressus in vitam, ad morbum gressus erit, si statim ab utero teneri partium infantis texto imparis *momenti* vis admoveatur; hinc *aphthæ*, *vomitus*, *tusses*, &c. . . quæ lactis nutricis effectus sunt, utpotè quod plus habens substantiæ aut molis, quàm *animi* succus aut *lympha*, plus quoque habet gravitatis quâ premat stomachum; plusque *restistentiæ* quâ impediat vasa circulantique sanguini obices ponat, unde *inflammationes umbilici*, *vigiliæ*, *pavores*; ut enim morando lac in stomacho acescit, acrique fuligine fauces & palatum rodit, pondere suo molestum vomitu extussitur; quâ de causâ *stomachales* ut plurimùm esse putabis infantium tusses, in quantùm ab *adiphagiâ* committi solent puerorum morbi, in tantùm est ab ingluvie lactis soboleſcere infantium ægritudines, idque malè sanâ nutricum arte, quæ ut lactentium componant fletus, compescantque lacrymas, suam illis prodigunt mammam.

Hæc

Hæc quidem incommoda lactis etiam materni incurrunt infantes ; quæ certè crebriora & deteriora à conductitiâ nutrice erunt , quæ cùm proprii infantis causâ lac confecerat suum , miri nihil est , si alieno oggerens illud, pro lacte porrigat sepè venenum .

APHORISMUS XXV.

Πρὸς ὃ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν ἥλων ὀδαξισμοὶ , πυρετοὶ σπασμοὶ , διάῤῥοιαι , καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας , καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παιδίων , καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι .

Ad dentitionem verò accedentibus , gingivarum pruritus , febres , convulsiones , alvi profluvia , & maximè ubi caninos dentes producunt , & iis qui inter pueros sunt crassissimi , & qui alvos duras habent .

DENTITIO , læsi partium æquilibrii altera causa ; pressus enim est eâ parte quâ corpus sentit maximè , gingivarum nempè , quarum tam firmæ , densæque sunt partes , quàm solidum esse convenit solum intrà quod figendus palus est , qui sustinendæ gravi potentiæ destinabitur . Sed hujus conditionis sunt dentes , qui , attestante musculi temporalis insigni robore, exercendæ totius corporis potentiæ maximæ dicantur : ejusmodi carnium textus est qui dentitionis tempore denti fovandus venit ; cui si addas tunicæ *alveolum* succingentis , quæ quoque cogenda est & dilatanda, exquisitissimum sensum, intelligitur quantum violationis sub dentitione illis partibus inferatur ; idem autem est ac solidis partibus *spasmum* accersiri , harumque elateres intendi , hocque mutationis partium *momenti* genus est ; quo *solida fluidis* prævalentia , utriusque fluidi , albi nervorum vel arteriarum rubri motus turbant ; inde *febres* , *convulsiones* , *alvi profluvia* ; certa hæc pericula sunt, si crassissimi sunt *puerì* , majori proin succorum copiâ turgiduli , pluribus ergò morborum fomitibus ; potissimùm si *alvos duras* habent , ut enim alvus publicum est sanguinis emissitiis effugium , corpori impendet periculum majus , quod morbidis aut evagantibus succis fartum , hoc emissario carebit ; porrò tanti hæc observatio est , ut maximam *convulsionum* , quibus infantes conflictantur , partem ab *alvo durâ* profectam comperias .

APHO-

APHORISMUS XXVI.

Πρεσβυτέροισι δὲ γενομένοισι παρίσθμια, σπονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον εἴσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατύριασμοὶ, (στραγγουρίαι,) χοιράδες, καὶ τἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Iis autem qui ætate sunt majores, tonsillæ inflammatæ, *verticuli in occipitio introrsùm extrusiones, asthmata, calculorum generationes, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmi, (stranguriæ,) strumæ, & alia tubercula, maximè verò suprà dicta.*

T*Onsillæ, satyriasmi, strumæ, tubercula*... observabile maximè est, infantibus & pueris veluti proprios esse *glandularum* morbos, indeque colligere datur puerorum morbos *lymphæ* peccamina esse, seu illius succi, qui *glandulis* proprius est; unde hoc duces argumentum, partem esse sanguinis albam, quæ sub puerorum morbis singulariter & præcipue delinquit. At, inquient, quid *satyriasmo* cum *glandularum* morbis? scilicèt lasciviæ morbo, quem in pubentibus faciunt carnis stimuli præcoces, cum affectibus à pituitâ durescente natis, qui ante pubertatem oriuntur?

Sed à vocis sono venit error; *satyriasmus*, non *satyriasis* est, turpis ille morbus quem nescit puerorum innocens ætas, sed colli glandularum tumores, vulgò *orillons*, pueris familiares; tales autem *circà aures* locati *quales satyri habent*; quibus ipsis *Hippocratis* (a) verbis, de *glandularum* morbis, *satyriasmum* interpretaberis, sic nominatum, quòd illo laborantibus non secùs ac *satyris* aures indecorè prominere videantur. Sed propiùs ad rem.

Quòd sanguinis alba pars aut *lympha* sit morborum infantium materies, ratio est *lymphæ* jugis & omnis usus ad infantis corporis functiones; quidquid enim harum causâ natura moliatur, cum id omne ad corporis nutricationem spectet aut accretionem, alterutrius gratiâ insumendam, tractandamque suscipit lympham, cujus ergò operis error morbus est. Hinc tantùm in fœtu inferas partes magnitudine vincit cerebri moles, *pituitæ* enim seu *lymphæ metropolis* est aut promptuarium & *nervorum* radix, quorum funiculi, quasi elices, quam à cerebri medullari substantiâ combiberint roralem *lympham*, ad omnes nervosas partes, undulando transmittunt, cùmque à nervis veniat nutricationis felicitas, evidens fit perpetuus ad alendum infantis corpus lymphæ usus.

At ecce revelatum hîc habes naturæ mysterium; nascendo infans, natum in se, secumque animalculum affert & complectitur, suis nempè visceribus hospitantem *lumbricum*, quo gravidatum fuisse inventum infantem, post *Hippocratem*, historiæ tradunt: posthàc ergò mirabere minùs, quòd lumbricis obnoxii pueri vivant: minuiturque *lumbricorum* in humano corpore ge-

(a) *Epid. lib. VII. art. 51. v. 16.*

generationis prodigium, hinc enim suspicari convenit suum cuique materiæ creatæ portioni concreatum fuisse vermem, aut vermis seminium; interim ne temerè effutitum id arbitreris, meminisse juvabit, suis cum herbarum seminibus creatam esse terram, hujusque proindè portionem quamlibet, fœtam eodem fuisse seminio. Atqui lutum fuit aut terræ pars, unde creatum est hominis corpus, insimul ergò terræ germinibus gravidatum tam evidenter, ut terra quæ tumulata condit mortuorum cadavera, qualia cæmeteria sunt, herbarum lætè pullulantium ferax sit. Denique *arborum, herbarum, fructuum, cerealium* sua insecta esse, singularesque vermes, comperta & confessa res est, quæ germina vel ova sunt, quæ factâ quâdam anni aut cœli tempestate excluduntur; verùm illa inter, alia quoque concipito ova aut semina, quæ nullibi nisi corporis calore incubata excluderentur, in illis habebis lumbricorum primordia; insectorum videlicèt corpori humano tam propriorum, quàm *pisis, fabis* & *cerealibus* cæteris singulares sui sunt vermes: porrò ab illis vermium generibus, inquilinas corporum depastûs causas repetere absonumnè fuerit aut incongruum?

Nihilominùs tamen si naturæ penitiores recessus sic violari putaveris, obvias magis intuebere lumbricorum causas in *amnii* succo, qui eduliorum matris germinibus gravidatus, suctusque à fœtu, hujus visceribus sua inseverit semina, quorum fota calore, lacteque enutrita, in teretes *lumbricos rotundos* & *ascarides* egerminant, omnis fortè lumbricorum generis materiaturas aut seminaria.

Verticuli in occipitio introrsùm extrusiones. Rachitidem hîc innuit *Hippocrates*, quæ *spinæ subversionem* (a) *& spirandi difficultatem* (quam hîc *asthmata* vocat) inferre solet; *rachitis* autem pueris ideò familiaris est, quòd *lymphæ* morbus sit, cujus circulationis vitiatus tenor aut perversa *directio* in puerorum ossibus, horum inducit curvaturas, &c. ...

APHORISMUS XXVII.

Τοῖσι δὲ ἔτι πεσβυτέροισι, καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, τουτέων τε τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες.

Ætate verò adhuc provectioribus, & ad pubertatem accedentibus, & multa ex illis, & febres diuturnæ magis, & ex naribus sanguinis fluxiones.

HACTENÙS, idest, usque ad pubertatem ab albâ sanguinis parte prodierunt infantium morbi, pubertate autem accedente, eâ parte, quâ rubet sanguis, & eâ ætate quâ rubendo floret, alios inducit morbos; itaque primo ab ortu annos in elaborandâ lymphâ insumptos existimabis, toto enim illo temporis intervallo subacta, purpuram induere suescens, in sangui-

---

(a) *Coac.* 311.

guinem demùm evehitur. Hinc febres & *ex naribus sanguinis fluxiones*, quæ ut rubentis illius succi effrænem motum, copiam quoque testificantur. Corpori ergò pubescere, vegetare est, tunc temporis enim ut *solidis* accedit plus *elateris*, *fluidis* fit plus *elasticitatis*, hinc præcipites magis sanguinis ad corporis habitum cursus, ubi ab impetu hærens, vel stagnat, *flasimque* committit, vel à sanguinalium arteriarum tramite dejectus ad *lymphaticas*, quæ ab eodem exeunt trunco, ad *secretoria* excurrit, prosilitque foràs.

Cæterùm, de his *hæmorrhagiis* non temerè monet *Hippocrates*, qui suo doctus usu quanti sint ad artis felicitatem, de his erudiri medicos voluit, utpotè cum tanti sint ejusmodi sanguinis motus, excursusvè, ut futurorum quos præsagiunt morborum prodromi, vel ad illos tesseræ sunt, adeòut frequens est gravibus morbis obnoxios fieri senescentes, qui adolescentes *hæmorrhagiis* fuerint obnoxii. Itaque Medici muneris pars non minima est, ineunte morbo sciscitandi ab ægrotante, *hæmorrhagiisne* fuerit sub juventute obnoxius, hinc enim ad medendum utilia multa revelari sibi sentiet, ad eliciendas formandasvè *indicationes* & definienda præsidiorum genera.

APHORISMUS XXVIII.

Τὰ δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθεα κρίνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι· τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ μησί· τὰ δὲ, ἐν ἑπτὰ ἔτεσι· τὰ δὲ πρὸς ἥβῃ ἰόντα προσάγεται. ὅσα δ' ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι, καὶ μὴ ἀπολυθῇ καὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ τῇσι θήλεσι καὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.

Plurimæ quidem affectiones pueris judicantur, aliæ in quadraginta diebus: aliæ in septem mensibus: aliæ in septem annis: aliæ ipsis *ad pubertatem accedentibus. Quæ verò pueris permanserint, neque solutæ fuerint circà pubertatem, aut fœminis circà menstruorum eruptiones, perseverare solent.*

Hinc rationes se produnt, propter quas in *chronicas* ægritudines desinunt *plurimæ affectiones puerorum*, *plurimæ* quippè *judicari* amarent, quas præposteris medicationibus torquendo medentes, utpotè alienis à naturæ tramitibus, in affectus ambiguos, difficiles, & diuturnos convertunt. Enimverò pueritia naturæ labor est in dilatandis corpusculi partibus, elongando vasorum tractu, pandendis illorum *diametris*, replendis capacitatibus; ideòque in terendis, distribuendis & componendis succis, hisque sua ad *secretoria* singulatim ordinandis; sub quo labore, qui à destinatis sibi locis deflexerint succi, hos vel illos inferent affectus *catarrhales*, *spasmodicos* aut *febriles*; hi ut curarentur tempus oporteret indulgeri, quo natura viarum vincendo ambages, *secretoriorum* ingredi posset & sequi ductus, sic enim *judicarentur affectus*, alii *quidem in quadraginta diebus*, *in septem mensibus alii*, *alii in septem annis*; equidem longum doloribus ferendis temporis intervallum, brevius tamen insanabili affectu quem post se trahit non infrequen-

quenter incondita & inopportuna curatio. Quin imò affectus morosiores sunt, quibus decem & quatuor circiter anni opus sunt, obstinatè aliundè insanabiles, usque dùm pubertas accedat; sub hâc enim ut nova se pandunt in maribus & *fœminis secretoria*, morborum causis aperiuntur exitus novi: præterea tunc temporis in *solidis* oscillationes novæ, in *fluidis* novæ directiones & impetus contingunt novi, quorum operâ subacti, mutati, emendatique morbidi succi, indebitas deserendo sedes, proprias occupant, suisque legibus reddito sanguinis circuitu, redit sanitas.

Intereà tamen morbum toto hoc tempore sævire non sines, illum à remediis linquendo securum. Hæc enim inter ea usurpabis, quæ morbum leniendo naturam adjuvabunt, eamque quò vergit ducendo semper, aliò quàm quò tendit, per invios illi calles, contendere nusquam tentabis.

APHORISMUS XXIX.

Τοῖσι δὲ νεωτέροισιν, αἵματος πλύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τἆλλα νοσήματα, μάλιστα δὲ τὰ προφρημένα.

Juvenibus autem, sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, epilepsiæ & alii morbi, maximè verò suprà nominati.

A DOLESCENTE puero adolescit sanguis, qui ætatum progressu & repetitis circulationibus *cohobatus exaltatur*, tenuatur, evolvitur, factoque sibi *elatere* plurimo fervet motu, æstu tumet; hinc quod magnis fluminibus contingit qui aquarum copia tumidi in laterales fluvios exundant, hoc ipsum sanguinalibus arteriis evenit, quæ ubi tument uberiori sanguine, partem hujus in laterales *limphaticas arterias* exonerant, quæ hâc de causâ pro *lymphâ* cruorem excernunt; cruor enim sivè rubra sanguinis pars (ex quo accedente pubertate *evehi* cœpta est) imposterùm erit, quæ morborum strages *edet*, quales hîc sunt *febres acutæ*, *sanguinis spuitiones*; porrò quòd *ecclampsi* percitus sanguis per pulmones prosilire proclivis sit, causa est pulmonum in sanguinem effectus, qui particulas illius tenuando, pandendo, rarefaciendovè, promovet & auget illius *fervores*; tum pendulæ illorum molis positura, ceu undequàque fulcimine defecta illorum vasa, impetui sanguinis patent magis, semelque ingurgitatum sanguinem necessariò eructant.

APHORISMUS XXX.

Τοῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην ταύτην, ἄσθματα πλευρίτιδες περιπνευμονίαι λήθαργοι, φρενίτιδες, καῦσοι, διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λειεντερίαι, αἱμοῤῥοΐδες.

Ultrà hanc ætatem verò progressis, *asthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides, febres ardentes, alvi profluvia diuturna, choleræ, dysenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides.*

Hîc habes *inflammatorios* aut *congestionum* morbos, qui cumulati sanguinis & alicubi hærentis fœturæ sunt, quousque profert *consistens* ætas, juventutem inter & senectutem media. *Consistentis* autem nomine intelligitur, parta quædam partium firmitudo, *solidorum toni* gradus quidam, *fluidorum* tenoris ratio, stabilitusque oscillationum rythmus, ultrà quæ progredi cessat corpus, sub quibusque illi ad senectutem eundum est. At progressûs finis, recessûs initium est, unde de juventute minùs habens consistens ætas, senectutis autem incommoda delibans, debilitatem sapit, sub quâ vivaces aut alacres minùs partium *elateres*, pigriùs oscillant, cumulatoque sub consistente ætate sanguini pellendo serviunt segniùs; cadente sic corporis rerum statu sanguinis *congestiones* fieri in dies, proclive est, quâvis enim ex causâ excandescens sanguis, elanguente *solidorum* pressu à partium loculamentis ut deceret expelli nesciùs, arcanis mille locum dat succorum à circuitu superstitum reliquiis, quæ *stases* inchoando in *stagnationes* crescunt & *congestiones*. In pectore autem factæ *stases*, *asthmata*, *pleuritides*, *peripneumonias* faciunt; in cerebro *letargos* & *phrenitides*; in vasis sanguinalibus *febres ardentes*; in intestinis alvi *profluvia*, *choleras*, *dysentherias*, *lienterias*, *hæmorrhoides* accersent.

APHORISMUS XXXI.

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι δύσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης, καὶ ὀφθαλμῶν, καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι.

Senibus autem spirandi difficultates, catarrhi tussiculosi, stranguriæ, dysuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, mali corporis *habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi & oculorum & narium humiditates, visûs hebetudines, glaucedines, auditûs gravitates.*

Senescere siccescere est; quæ enim corporibus adolescentibus molles & flexibiles partes erant, senescentibus iis durescunt & rigent; hinc senum marcor & rugæ, perdito enim partium humore, nitor carnium pe-

perit & pulpamentum. Hujus detrimenti causam habes in transpirationis, quam minuit senectus, decremento: quemadmodùm enim in juvenibus elabens jugiter per cutem qui emeritus est nutritius succus, scilicèt animalis œconomiæ muniis defunctus, allabenti in dies recenti chylo concedit locum, unde sanguini juvenescere datur aut renovari; contrà in senibus ab imminutâ transpiratione remeantibus continuò veteranis succis, efficitur, ut sanguis veterascentibus succis in dies cumulatus, renovari cesset, unde *acores*, *acrimoniæ*, *salsedines*, quibus imbutus senum sanguis debito humore defraudat partium fibras, quæ hâc de causâ stringuntur, arent, contrahuntur. Naturalis veluti *spasmus* est quo spiramina cutis connivere necessum est; at præterea cùm universalis sit hæc constrictio, depleri malè penitiores illorum loculos concipitur, sicque sua intrà *secretoria* coercitis, tardatis & lentescentibus succis, sanguinis *stases*, *congestionesque* humorum inchoantur, in senibus tantò periculosiores, quantò segnior in illis est partium evibrandi vis aut *systaltica* virtus, quâ viscera ab illis humorum superamentis expedire se potuissent. Hinc autem se prodit propria senum morborum aut singularis ratio, horum imprimis quos enarrat hic *Aphorismus*, quorum pars maxima ad *solida* pertinet, seu ad ipsam partium substantiam, cui inhærendo seniles affectus longiùs durant, contumaces, nec rarò insanabiles: exemplo erunt *asthmata*, *catarrhi*, qui in *senibus difficilè* coquuntur, *arthrides*, *stranguriæ*, *dysuriæ*, *scabies*, *pruritus*, *cachexiæ*, *visûs hebetudines*, *auditûs gravitates*, morbi omnes qui ipsa afficiunt organa; in eo à morbis alteriùs ætatis differentes, qui ab humorum fluidorum temporariis & casualibus vitiis, aut *spasmis* volaticis & prætereuntibus nati, deferi se sinunt, dum alii, qui ipsa occupant partium stamina, seu ipsum partium *habitum*, medicinis in tantùm obsurdescunt, in quantùm sarciendæ partium substantiæ par minùs omnis medendi industria est. Sed alteram adhuc senilium morborum in curando pervicacitatis causam exhibet sanguinis senum conditio, qui veteranis succis, ut modò dicebatur, cumulatur in dies; recoctus ergò compactusque factus, acriorem tantò, fortioremque de se promit calorem, quantò præ flammis acriùs urunt accensi carbones, quippè qui cum plus habeant massæ, plus edunt ignis; hinc quæ senes depascit acrimonia, flammante juvenum sanguine ideò deterior, quòd cum plurimo & solidiori insideat materiæ, plus quoque habeat virtutis aut energiæ.

SECTIO QUARTA.

APHORISMUS PRIMUS.

Τὰς κυήσας φαρμακόειν, ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν· ἧσσον δὲ ταύτας· τὰς δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα, διαφυλάσσεσθαι χρή.

Prægnantes purgandæ, si materia *turgeat, quadrimestres, & usque ad septimum mensem: hæ verò minùs. Juniores autem, & seniores* fœtus, *cautè vitare oportet.*

INTERDICTUM non consilium hic Aphorismus est; conscius enim *Hippocrates* periculi, quod in purgandis prægnantibus grave incurritur, admonet illam ipsam hîc adhibendam esse cautionem, quam acutorum morborum purgationi necessariam definivit, (*a*) utrobique enim *turgentem* requirit *materiam*; hujus autem interdicti vîs in eo patet quòd solemni illi ad purgationem conditioni, alteram gravidarum purgationi addit clausulam, sint nempè *quadrimestres* vel *septimestres*, unde sponte fuit consequenti, purgatione interdici prægnantes, in quibus materia turgebit, nisi aliundè *quadrimestres* fuerint. Reverà, cùm in hâc sectione, purgationis doctrinam & usum exponere prefiùs aut retractare suscipiat *Hippocrates*, ab illa, quam tradere cœperat, cautione præcipuâ rem auspicatur, ut omissam illîc hanc purgationis clausulam in gravidis hîc adjiciat; ne in definiendo graviori totius medicinæ puncto aliquid desiderari videretur in eo, cujus religio fuit, ne falleret, diligentia ne falleretur.

Opinantes sunt purgationem hanc ad tuendam ab humorum cumulo gravidarum sanitatem pertinere, qui si audiendi sunt, concipiendus veniet graviditatis status, ut naturæ labor in humoris coctionem incumbentis, medentique purgandi occasionem proferentis, quoties ex acceleratâ humoris cumulati subactione, evacuandi illius necessitatem ostendit & facilitatem:

at

(a) *Sect. I. aph. XXII.*

at diversa longè est prægnantis conditio, quæ in fovendo, alendo, maturandoque fœtu versatur, sub quâ si materiam aliquam identidem *turgere* observaveris, moto nempè singulis imprægnationis mensibus non promoto sanguine, unde non pauca gravidis eveniunt mala, non in purgandum humorem cadet hujusmodi *orgasmus*, quem quippè tam feliciter sedat venæsectio, quàm certè exasperat *catharsis*. Igitur ad mentem *Hippocratis*, juxtàque rei veritatem, purgationem hanc interpretari congruit magis, de illâ quæ debetur febrium gravidarum *orgasmo*, cui purgationem concedit in iis quæ *quadrimestres* vel *septimestres* erunt; subjungendo, (adeò proxima putabat aut imminentia proximè purgationis scandala) *purgandas esse minùs quæ septimestres sunt*, ideò certè quòd tunc temporis fœtûs mole distentus nimiùm, lassusque uteri *elater*, fatiscere periclitetur magis; magis iterùm si *senior* fuerit fœtus, tunc enim maximè urgetur uteri potentia; interim periculo quoque à *catharsi* patet junior fœtus, quem elabi proclive est, quandiù tendi recens adhuc uterus retendi promptus est.

APHORISMUS II.

Ἐν τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος, ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα· τὰ δ' ἐναντίως ἰόντα, σταλύειν.

In purgationibus talia è corpore sunt ducenda, qualia etiam sponte prodeuntia utilia sunt, contrario autem modo prodeuntia sistenda.

APHORISMI, specilegia sunt; medicinæ quippè principis aurea dicta, quæ quis legendo illius libros decerpens, in unum volumen congessit; cumque frequentia sint apud illum aurea dicta, maximè quæ ad graviora artis puncta pertinent, isthæc pronuntiata, repetita sæpè in *Aphorismorum* codice reperiri debent; inde ratio propter quam quæ ad purgationem spectant divini senis effata, inter illius *Aphorismos* repetita leguntur, leguntur enim in illius libris disseminata frequenter. Prætereà totus est *Hippocrates* in suadendis medico naturæ moribus & exemplis, de quibus illum vult erudiri, unde investiganda illi jubet quæ & qualia secernit natura, ut ex iis, quæ excernenda habet securè discat. Posthàc obvium se dat singularis & proprius hujus *Aphorismi* sensus; quasi diceret *Hippocrates*, in tantùm purgatio juvat, in quantùm iis similia *excernit*, quæ in sui tutelam sponte *secernit* natura, sic v.g. gravidæ damno fluit alvus, non ergò *catharsi* illi ducenda, sistenda potiùs, quia contrarius naturæ modus *laxi* est, quæ tueri se in prægnantibus non suevit natura nec amat, quibus è contrà *stricti* ratio congruit, quâ uteri servatur *tonus*, aut firmatur *elater*.

APHO-

APHORISMUS III.

Ἢν μὲν, οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ ἀφόρως φέρεται· τὰ δὲ ἐναντία, δυσχερῶς.

Si quidem, qualia purgari oportet, purgentur, confert, & facilè ferunt: contraria verò, difficulter.

DE illorum numero hoc effatum est, quod medentium mentibus inculcatum voluit *Hippocrates*, qui benè gnarus medentis officii, quo naturæ rebus sedulus parcere debet, illum admonet, ab iis abstinere purgationibus, quæ alia quàm quæ evacuari convenit, evacuarent. Ut autem aliena non eliminet purgatio, curabit medicus, ea usurpare medicamina non solùm, quæ solum, qui peccat, deturbent humorem, sed & quæ per vias familiares aut consuetas eum educant. Hoc in genere delicti, gravis & evidens illorum error est, qui in virginum mulierumque morbis, quos plurimos committit sanguinis circuitûs erratum, *menſium* nempè, aut *lochiorum* defectus, qui inquam *mochlicis*, *ſudoriferis*, *purgantibus* insontes lacessunt humores, quos miserè deprædando, vexant sanguinem, siccant, pauperant.

Verum traditas jam in exponendis his naturæ mistæ eloquiis nostras repetere nugas dedeceret tantùm, quantùm repetitis gravibus illius sententiis meditando immorari decet.

APHORISMUS IV.

Φαρμακεύειν μὲν θέρεος μᾶλλον τὰς ἄνω· χειμῶνος δὲ τὰς κάτω.

Purgandum, æstate quidem, magis ſuperiores ventres; *hyeme verò, inferiores.*

PRÆCEDENTIS *Aphoriſmi* consequentia est: æstate non sunt humores, quales *catharsi* convenit, ad habitum enim corporis pulsi, à viis purgationum tam alienantur, quàm ab habitu corporis intestina; hæcque *centri* à *peripheriâ* abalienatio est. Similiter hyeme non sunt humores quales convenit remediis quæ *ſuperiores purgant partes*, ad intestina enim tunc temporis descendentes, ad superiorum partium *ſecretoria* flecti recusant: itaque medentem in curando meminisse oportet, sublimes esse sub æstate humores, ideòque ad superiorum partium *ſecretoria* ducendos esse, ad ea nimirùm quæ non imò abdominis cavo conduntur, sed quæ superioribus seu superveſtientibus partibus insident, talia sunt cutis spiracula, quò sub æstate duci humores faciet Medicus; hocque *diapnoicæ* diætæ beneficium erit sic instituendæ, ut diluendo *fluida*, *ſolidaque* mulcendo, molles ad habitum corporis faciat, alatque humorum *directiones*.

APHO-

APHORISMUS V.

Ὑπὸ κυνὸς, καὶ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακίαι.

Sub cane & ante canem, difficiles sunt purgationes.

PURGANTIUM abusus aut infelicitas est operatio cassa, quæ dùm *fluidorum* bono perit, *solidorum* malo vertitur, de illorum quippè copiâ delibando pauca, de horum *eutoniâ* detrahit multùm: sed illud discrimen est, quod à *catharsi* impendet quæ *sub cane* instituetur; hoc enim tempore, quo ferunt omnia, ut sanguis tenuatus multum à centro corporis ad hujus peripheriam effertur, ad cutis potiùs quàm abdominis *secretoria* sua secum aufert purgamina. His igitur ab intestinis reddi jussis, ad ea quæ non habent concedenda, cogere ea est; fortassis faciet *cathartici* stimulus, ut purgantium illorum ope sanguinis aliquantula pars ad ima corporis præceps detur; at quàm periculosè! quàm difficulter! evincit canicularis fervoris in corpus effectus, qui æstatis calore ad cutem *diriguntur* humorum motus, *canis* ardore eodem impetu feruntur, firmanturque eò versùs illorum *directiones*, quas illinc ad intestina revocare labor est, plenumque opus aleæ.

APHORISMUS VI.

Τὰς ἰσχνὰς, καὶ δημέας, ἄνω φαρμακεύειν, ὑποτελλομένους χειμῶνα.

Graciles, & facilè vomentes, sursùm purgandi vitantes hyemem.

SEMEL aut bis (*a*) vomere singulis mensibus familiare veteribus erat, hancque juxta consuetudinem, *gracilioribus vomitum à cibis* (*b*) vel à cibatu consulit *Hippocrates*, addendo hîc *graciles illos* oportere esse *ad movendum faciles*; in quibus omnibus adhibitas ab *Hippocrate* ad purgandum cautiones observari decet, usu enim compertâ sibi *graciles* purgandi difficultate, ejusmodi vomitum iis concedi præoptat. Veteris quippe medicinæ ritus erat jubendi vomitum *naturis humidioribus*, (c) *pituitæque* (*d*) obnoxiis, cujusmodi *intemperiem* aut ingenium innuere videtur in *gracilibus* putandi consuetudo, hancque ob rationem vomitum iis præcipere convenit, maximè si *facilè vomentes* erant, hoc enim ad ejusmodi medicationem naturæ admonitio est; maxime iterùm sub æstate, ubi sublimes facti humores, ad superiora efferri postulant. Reverà edoceret *gracilis* constitutionis status, quem comitatur ad vomendum proclivitas, aliquâ evacuatione opus esse ejusmodi *naturis*, in quibus alibiles succi, qui in pinguedines & carnes abire debuerant

(a) *Lib. de salub. vict. rat. p.* 340. (b) *Ibid.*
(c) *Ibid. p.* 347. (d) *Coac.* 556.

rant versi in humores, *purgationibus* pabula cumulare videntur; *vomitionem* præfert *Hippocrates*, at perperàmne aut temerè? in iis qui ad *vomendum facies* aut proclives sunt, in quibus illæ vomituritiones ventriculi fœdas proferunt digestionis reliquias, quas eliminando vomitus, futuris inde malis præscindit seminia: saltem nunquid non vomitionis ejusmodi potior ratio est ad antevertenda *causariorum* incommoda, quàm menstruæ aut crebrioris adhuc purgationis, quâ ad illorum tuendam valetudinem, heu nimiùm & diligentiùs abutuntur!

APHORISMUS VII.

Τοὺς δὲ δυσημέας, καὶ μέσως εὐσάρκους κάτω, ὑποστελλομένους θέρος.

Difficulter autem vomentes, & mediocriter carnosi deorsùm, vitantes æstatem.

VOMENDI facilitatem facit obsequibilis fibrarum elater, quo qui deorsùm moveri solebat ventriculi *peristole*, confestim sursùm reflectitur; unde difficultas vomendi, rigidioris aut *spastici* fibrarum toni argumentum est: sed ad inferiora firmata sic *peristole*, naturæ documentum est, ad inferas partes *vergere* humores, invitamentum ergò & ratio illos eò ducendi; quod per inferiora purgare est. Illam naturæ proclivitatem ostendunt adhuc apertiùs mediocriter pulposæ partes, seu *carnosæ mediocriter*, unde cùm fibrarum flexibilitatem intelligis, inde quoque *cathartico* fibrarum obsequentiam sponderi putabis.

APHORISMUS VIII.

Τοὺς δὲ φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω (φαρμακείας).

Tabidi verò, vitantes (purgationes) sursùm.

IN curandâ *tabe*, alvum moveri adeò vetat *Hippocrates*, (a) ut medendi illius rationi adversari planè videretur hic *Aphorismus*, si de *tabe* ipsâ intelligeretur; tabidorum ergò nomine hîc accipies naturas ad tabem proclives aut inclinantes, humorum colliquationi natas; corpora nempè tota sero eluxuriantia, in quibus vasa exuberantia succis qui copiâ magis quàm feritate delinquunt, levari indigent aut exonerari. *Tabidi* ii sunt, quibus *cathartica* consulit hic *Aphorismus*, ædaces enim & crudi sæpè sunt ejusmodi ægrotantes, ideòque de illorum numero, quorum sanguinem *depurari* sic, aut defæcari convenit, ne malè saturus, in viscera tandem despumet.

APHO-

(a) *Lib. II. de morb. p. 472.*

APHORISMUS IX.

Τὸς δὲ μελαγχολικὸς ἀδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τἀναντία προσιθείς.

Melancholicos autem uberiùs deorsùm purgabis : *eâdem ratione contraria adhibens.*

MELANCHOLICI rigido, firmo saltem partium *tono* donantur, unde cùm veniat vomendi difficultas, unà exurgit facilitas ad purgationem. Hanc adjuvat facilitatem *fluidorum* vel humorum in *melancholicis* status ; succi sunt non rarò à bile degeneres (quæ adusta, *à volatili* nempè fixior facta & à levi gravis) qui sic in salsos & ponderosos abiêre succos ; igitur quâ ratione hyems cogendo humores, eos ad inferiora inclinat ; simili ille humorum in *melancholicis* status deorsùm pellendos eos esse docet.

Uberiùs purgabis. Uberiùs quàm vomitione, quæ *melancholicis* minùs convenit, & cedit infeliciùs. *Uberiùs* adhuc ; hoc enim discriminis est *vomitoria* inter & *purgantia*, quod illa operentur mutando invertendoque oscillationum *directiones*, quæ cùm ante vomitionem descendebant, à vomitione ascendunt ; sic *secretoriis* factâ vi, ad excretiones quoque parata hæc minùs sunt : *purgantia* verò de oscillationum *directionibus* mutando nihil, *secretoria* juxta illorum directiones stimulant, ideòque suos lubentiùs, & uberiùs fundunt, conceduntque succos. Cave tamen putes innui hîc ab *Hippocrate* fortiùs aut vehementiùs purgandos esse *melancholicos*, præterquàmquòd enim qui illos infestant succi, tenaces veteribus habebantur, indigi proinde qui per *epicrasin* educerentur ; insuper de *lympharum* genere recentibus sunt, qui ipsi partium substantiæ adnati, tractari fortiùs recusant, ne lacessiti duriùs, ipsa quassent *solida*, in *spasmumque* conjiciant.

Eâdem ratione contraria adhibens. Hæc clausula præcedentium Aphorismorum his respondet clausulis ; *vitantes hyemem, vitantes æstatem* : hyems enim & æstas *contraria* illa sunt, ad quorum rationem purgantium in *melancholicis* usum dirigi commendat. Quasi diceret parciùs aut *uberiùs*, feliciùs aut infeliciùs corpora melancholicorum *cathartica* movebunt ; pro variâ hyemalis aut æstivæ aeris constitutionis conditione. Quæ ad Medicos admonitio est, eos erudiens de corporum *melancholicorum* ad aeris qualitates singulari teneritudine, quâ *nervosum genus*, quod in illis maximè sentit, juxtà varias aeris affectiones variè afficitur, stringitur, vel laxatur.

APHORISMUS X.

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐτημερόν· χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι, κακόν.

Purgandum in valdè acutis, si turgeat materia, *eâdem die: morari enim in talibus, malum est.*

PRINCIPES quædam sunt artis veritates, quibus tota nititur artificis sapientia, nusquam commendate nimis, quia nusquam non commendabiles. Ejusmodi est *orgasmus*, primarium medendi dogma, purgandi punctum, occasio igitur, quæ utpotè præceps & fugax, data semel, illicò corripi vult & usurpari. Itaque quâ die *turget materia*, hâc ipsissima purgari debet. In morâ periculum eò majus, quod *peracutis morbis* proprius sit *orgasmus*, sub quibus cùm celeres & accelerati sint humorum motus, præcipitem postulant medentis manum, ubi illi motus, coctionum motus erunt, cujusmodi sunt *orgasmi* motus, ut enim sunt præcoces properantis & in agendo diligentis naturæ fructus, præcociter quòque & properanter Medico decerpendi veniunt: prætereà infrequentes motus sunt, in veniendo rari, in redeundo nulli, quos præteriisse semel, defuisse illis semper est.

APHORISMUS XI.

Ὀκόσοισι στρόφοι, καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, μὴ λυόμενον, μήτε ὑπὸ φαρμακείης μήτ' ἄλλως, ἐς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

Quibus tormina, & circà umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque purgante, neque aliter solvitur, in hydropem siccum firmatur.

RECOCTI in arte judicium & admonitio, quæ ut usûsfructus est, hujus quoque est consilium. Hic enim *Aphorismus* medentibus documento erit in cognoscendis sagaciter, feliciterque curandis ejusmodi *colicis* doloribus, quorum cum vulgaris non sit *ætiologia*, singulares instituendæ sunt *prognosis* & curatio. Plebeius error est, ab humorum saburrâ enasci omnes *colicos* dolores, omissis *solidorum spasmis*, qui alterum constituunt *colici* doloris genus, quod *spasmodicum* est. Testes *hystericæ pictorum*, figulorum & è plumbo fictorum *colicæ*, quæ tam *spasmodicæ* sunt, ut *narcoticis* maximè curari ament; si aliundè indebitis tractatæ medicationibus, vel debitis obsurdescentes remediis insanabiles evadant, in *paresin* desinunt.

Similis sortis sunt hoc *Aphorismo* adnotati *intestinorum*, *umbilici*, & *lumborum* dolores, (*a*) eos enim facit *spastica diathesis*; unde *purgantibus* & si-

---

(a) *Coac.*

& similis farinæ remediis curati, non tantùm non saneſcunt, ſed & *in hydropem ſiccum firmantur*, ideſt, confirmantur in *ſpaſmodico* cauſarum genere, qui enim *à ſpaſmodico ſolidorum* vellicatu inchoati fuerant illi dolores, in firmatum conſummatumvè deſinunt ſpaſmum.

APHORISMUS XII.

Οἰκόσοισι κοιλίαι λεντερικώδεες, χειμῶνος φαρμακεύειν ἄνω, κακόν.

Quibus alvi ſunt lientericæ, eos hyeme ſurſùm purgare malum eſt.

ALVI *lientericæ.* Intellige ſtomacho crudos, in quibus *inabſoluta* digeſtio ventriculi, malè ſubactos aut imperfectè tritos dimittit cibos, eoſque ab aſſumptis non adeò diſſimiles. Sub æſtate fieri poteſt hæc affectio ab evecta bile, quæ tunc temporis facta ſublimis, proinque ad ſuperiora *vergens* ſurſùm evacuari amabit: ſub hyeme ſecus eſt, quo tempore ab acidâ *lymphâ* ad inferiora tendente hæc ægritudo venit; hanc ergò purgantibus evacuandam tentare, iratâ naturâ agere eſt, aut illam cogere, à viis illius illam detorquendo; à purgantibus ergò in hyemalibus *lientericis* affectionibus abſtinebit naturæ prudens.

APHORISMUS XIII.

Πρὸς τὰς ἐλλεβόρους, τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα, πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει.

Ad helleboros, qui non facilè ſurſùm purgantur, iis ante potionem corpora præhumectanda, copioſiore alimento & quiete.

TRADITUM aliàs hîc repetitum habes effatum, repetique certè digniſſimum, utpotè cui fulta tota eſt purgandi felicitas, rationes ſuo loco exploratæ ſunt, hîc ergò ſilendæ; at medendi regulam adjungit hic *Aphoriſmus*, illius ad artem momenti, ut illam præterire deeſſe ſit purgandi doctrinæ: attinet hæc norma ad rationem *medicamenti in alimento* exhibendi, quæ priſcis medicinæ temporibus conſueta, medendi magiſtris poſthàc cordi fuit & laudi, unde vel ipſis recentioris ævi medentibus, quæ actuoſa ipſis viſa fuêre remedia, alimentis præmittenda eſſe decreverunt: ſic de *volatilibus ſpiritibus*, à Medicorum Batavorum coryphæo (*a*) pronuntiatum; ſic *de cortice peruviano inſtitutum* ab Anglo nobili febrium flagello

(*a*) *Sylvius de le Boe.*

obſervabis, alimentorum enim benignitate cicurata remediorum vis major, lædendo nihil, innocua prodeſt. *Illud enim ſcire oportet, omne medicamentum, non ſemper ægris prodeſſe; quiſquis ergò daturus illud erit, id agere ante debet, ut accepturi corpus humidius ſit*: (a) *præhumectandumque* vult *Hippocrates potione, copioſiore alimento, quiete*: potione *ex aquâ aut mulsâ calidâ; ſero, lacte aſinino, ſorbitionibus, pinguibus, dulcibus*; (b) at verò cùm ad purgationis facilitatem faciat non ſolùm *fluxilitas fluidorum*, ſed inſuper *ſolidorum* flexibilitas, non ſolùm recenſita modò adhibet, ut *corpus præparatum ſit ad pharmacorum potum*, (c) quibus addit *dulces & pingues potiones* (d), quæ lubricent humores; *fomenta* adhuc imperat & *ex aquâ calidâ lotiones*, (e) ut *ſolida* laxentur, *corpuſque magis pharmacis obediat*; (f) in quibus omnibus ſi obſerves frequentem *Hippocrati potionum* uſum, commendata ab illo intelliges *diluentia*, quæ ad purgationum felicitatem tam laudabilis ſunt uſûs, tamque utilis eventûs, *copioſiùs* addit *alimentum & quietem*. Enimverò *ubi ſolvere alvum quis vult, plurimo tempore cibis immorari confert*. (g) His artibus catharticis quaſi accubando natura, ea cicurat & ſibi devincit: imprimis quo tempore oſcillando mitiùs partes & pacatiùs, purgantium ſtimulos ſentiunt minùs: porrò commemoratæ hîc ab *Hippocrate quietis* memoriam his temporibus refricant *pilulæ ante cibum* nuncupatæ, utpotè que *aloeticis* fœtæ, ciborum pulpis mulceri indigent atque frænari.

APHORISMUS XIV.

Ἐὰν πίῃ τις ἑλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγει. πρὸς δὲ τὸν ὕπνον, καὶ μὴ κινήσιας ἧσσον. δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

Ubi quis biberit helleborum, ad motiones quidem corporum magis ducit. Ad ſomnos verò & quietem, minùs. Declarat autem etiam navigatio, quòd motus turbat corpora.

ATQUI, hîcne *bonus dormitaret Hippocrates?* qui cautus & ſapiens in *Aphoriſmo* proximè præterito, quietem purgationis facilitatis causâ jubendo, in proximè ſequenti *Aphoriſmo* deſiperet, quietem vetando facilioris purgationis causâ? quin imò, non aliundè elucet medicinæ prudentis in tradendis purgandi præceptionibus ſedulitas major, quâ purgationis diſcriminum non ignarus, cautiones exhibere voluit: quæ tùm ante, tùm poſt purgationem adhibendæ ſunt; illas quidem, ut *euphoria*, has ut ubertas purgationi afferatur. Vis ergò ut *catharſin* facilè ferat ægrotans? id procurabit corporis quies aut ſomnus, ſub quibus otians aut indormiſcens partium *ſyſtole* ca-

(a) *Celſ. p.* 87. (b) *Hip. de loc. in hom.* 29. 10. *de diæt. ll.* 36. 23. *de morb. ll.* 13. *XIII.* 14.
(c) *De intern. affect. XXIII.* 31.
(d) *De diæt. ll. art.* 36. *v.* 23. (e) *De morb. ll.* 13. *v.* 11.
(f) *De intern. affect. art.* 29. *v.* 41. (g) *De diæt. ll. art.* 36. *v.* 23.

cathartici vim moderatur, adeout clam & tacitè vellicatæ partes aut lacessitæ, de quibus vacuandis admonentur, ultrò concedant succos: vis autem uberiùs procedit & celeriùs evacuatio? ab epoto *cathartico*, corpus moveri jubeto; sic enim duplici ratione provocatæ partes, succos ubertim illico fundunt. Hoc autem temerè prolatum ne putes, navigationis exemplum promit *Hippocrates*, quæ inexpertis tam atroces parit vomitiones, ut in argumentum veniat evidens præsentissimæ ad ciendam accelerandamvè *hellebori* ceu vomitorii medicaminis virtutem.

Ex hâc autem *Hippocratis* observatione elicitur maximi ad artis usum momenti consilium; cavendum nempè in usurpandis *mochlicis*, vehementioribusque *catharticis*, ne illorum intrà viscera pigrescat operatio, suâ enim morâ illic hospitando diutiùs, *fluida* venenant; ampliùs factâ sic sibi copiâ, ipsamet *solida* afficiendi, labefactandivè, ipsa deterunt infestantque vitæ stamina; unde quæ *fluida* sola infestabat morbida lues, adrepens ad *solida*, ipsammet depascitur partium substantiam, *fluidorumque* vitiis accedente *solidorum* culpâ, humorum turbationibus *spasticæ* adduntur *solidorum* turbæ, à quibus ut plus laboris ægrotanti venit, Medico quoque crescit difficultatis plus aut crucis. *Mochlicorum* enim ut deest exhibitorum tolerantia in festinatâ illorum operatione consistit, utpotè quorum laus est partium oscillationes, directioneque oscillationum urgere solùm non miscere, adeout exstimulando naturæ motus, illius accelerent opera, nec mutent consilia.

APHORISMUS XV.

Ἐπὶ μὲν βάλλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἑλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα· ἐπὶ δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει.

Quandò vis magis ducere helleborum, moveto corpus. Quando verò cessare, somnum facito, & non moveto.

MOVETO *corpus*. Cùm moris fuerit *Hippocrati*, veratrum exhibere in morbis *chronicis*, ubi à lecto abstinere ægrotantibus licet, motûs nomine vel egressum è lecto, frictionem, deambulationem aliquam, fortè equitationem aut vectionem in rhedâ intelligi hîc nihil vetat, dum illis temporibus Medici quidam, *Herodici* exemplo quem damnabat *Hippocrates*, (a) *febricitantes, tum multis obambulationibus, tum multâ luctâ* conficiebant. Igitur de leni quâdam corporis exercitatione accipies ejusmodi motum, qui ab epoto *helleboro*, aut aliquot post horis institutus, operationem illius augere sueviſſet aut adjuvare. Verùm ex hâc interpretatione colligitur evacuantium energiam in *fluida* minus quæ eliquent, quàm in *solida* quæ stimulent, exerceri; quandoquidem *solida* sunt quæ agitari oporteat aut provocari, ut evacuantia uberiùs agant. Nihilominùs tamen *moveri corpus ab helleboro*, intelliges adhuc de *cathartico* quodam, quod antiquis *ab epoto hel-*

(a) *Epid. VI. sect. 5. text. 9.*

helleboro exhibere solitum fuerit, non secùs ac medentibus hodiernis in more positum est, diluta ex *mannâ*, *cassiâ*, *sennâ*, aut *ptisanis*, quas *laxativas* vocant, ab exhibito *emetico* propinare, quâ arte *stibii* feritatem colluendo, remedii vim pandunt, ubertatemque illius evacuationis innoxiè promovent.

Somnum facito. Idest, somnum inducito illis medicaminibus quæ *sanguini quietem præbent*, (a) quæ *sedativa* & *narcotica* dicuntur; hæc enim (*theriacâ* teste quæ *hypercatharsi* singulariter medetur) *spirituum ataxias* compescunt mirabiliter; cùm ergò purgationis *veratri* potissimùm operationem aut operationis molestias *cessare volueris*, *narcotica* adhibeto; horum enim successùm quotidie felicem experiuntur artis magistri, iis qui *stibiata* sumpserint, vespertinis horis offerendo, *eâdem enim fidelià*, eorum operâ fit non solùm ut à medicamine orti tumultus cessent aut antevertantur, at insuper arceatur qui immineret prægressi morbi regressus. Hæc sapientia illorum adhuc est, qui in usurpandæ *Ipecacuanhæ* peritiâ versati sunt, qui *narcotica* ex *diascordio*, eâdem purgationis die sub vesperam exhibendo, *dysenteriæ* recursum prohibent. Iterùm prudentia eadem est in purgandis *hysterícis* & *spasmodicis* affectionibus, ubi si sic *narcotica* exhibere omiseris, mali *paroxismos* illicò repullulare videbis.

APHORISMUS XVI.

Ἕλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι· σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

Helleborus periculosus est sanas carnes habentibus: convulsionem enim inducit.

CAVENDUM *ne in secundâ valetudine adversæ præsidia consumantur*. *Latini* (b) *Hippocratis* consilium est, æquum ex eo quòd expugnandæ morbi causæ debitum sit remedium; quæ proin si absit, ut reverà abest à *sanis carnibus*, deleterium illud evadit; nimirùm illam quam morbidæ materiæ intentabat vim, in partium substantiam convertendo, quòd certè sævire, non curare est. Enimverò *quæ medicamenta sursùm aut deorsùm aut utroque modo purgant, omnia valde urunt, & ex his valentia, si fortè mollem aliquam corporis partem contigerint, eam exulcerant*. (c) Sed hic status *carnium* est quæ *sanæ* sunt, quæ utpotè morbido humore nullo vestitæ vel imbutæ, totæ, ut natæ sunt, molles & teneræ *veratri* feritati objiciuntur, quod cùm humorum pabulo defraudatum se sentit, partium depascit substantiam. Interim *si leniora medicamina turbationem in corpore excitant* (d) *à veratro*, quod valentissimum certè est, *convulsionem induci*, numquid miraberis?

Verùm *sanas carnes* adhuc dicito partes, cùm in eo sanis similes erunt, quòd humorum puræ niteant adhuc non sordeant, laborant tamen, sed à nu-

(a) *De affect. p. 540.* (b) *Cels. p. 21.*
(c) *Lib. IV. de morb. p. 524.* (d) *Ibid.*

nudâ scholæ veteris *temperie*, idest, à penitiori *solidorum spasmo*, à quo strictiores facti vasorum diametri, præterfluentibus succis liberos itus reditusque negant: ejusmodi sunt *spasmodicorum* morborum origines; reipsâ enim plurimorum sic ægrotantium florent facies, quorum præcordia rigent; posthàc talibus *veratrum* & similia offerre stimulantia medicamina, *convulsiones inducere* est aut educere.

APHORISMUS XVII.

Ἀπυρέτῳ ἐόντι, ἀποσιτίη, ἐς καρδιωγμὸς ἐς σκοτόδινος, ἐς στόμα ἐκπικρούμενον, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι, σημαίνει.

Non febricitanti, appetitus dejectus & oris ventriculi morsus, & tenebricosa vertigo, & os amarescens, sursùm purgante opus esse indicat.

Hîc observabilia habes ad vomitum præludia, sed quæ incautis solis ad *vomitoria indicationes* erunt aut invitamenta, iis nempè qui *contraindicantis* illius fuerint ignari, quo dato, tuta minùs *Hippocrati* videntur *sursùm purgantia*. *Contraindicans* illud febris absentia est, quàm ad *sursùm purgantis* usum pro clausulâ necessariâ apponit *Hippocrates*; hinc eruitur, non ad *acutos morbos* spectare hunc *Aphorismum*, sed ad *chronicos* affectus, meliùs adhuc ad ejusmodi causarios homines, quibus *si per plures dies non vomuerint*, dolor præcordia infestat. (*a*) Insuper illa fuit apud veteres vomendi consuetudo, ut etiam *luxuriæ* (*b*) causâ à quibusdam institueretur, cui licèt morem gerendum nusquam præcepisset diætæ magister, cum tunc temporis erant, qui interdùm *valetudinis causâ recte* sibi à vomitu *fieri experiebantur*, (*c*) sapientium monitum erat, *ne quis qui valere & senescere vellet*, *hoc* quotidianum (*d*) haberet remedium. Igitur ad ejusmodi *vomitoria* pertinet hic *Aphorismus*, quo docentur quos tenet vomendi facta necessitas aut consuetudo, *vomitorium* non usurpare, quilibet molestet oris amaror, nisi absit febris; tunc enim *appetitus dejectus*, *os amarescens*, &c. cumulati succis ventriculi signa sunt. Itaque *sive plus sit quàm concoquere possit*, *periclitari*, *ne corrumpatur*, *non oportet*: *sive jam corruptum sit*, *nihil commodius est*, *quàm id*, *quâ viâ primùm expelli potest*. *Itaque ubi amari ructus*, *cum dolore & gravitate præcordiorum sunt*, *ad* sursùm purgans *protinùs confugiendum est*. (*e*) Porrò cùm nondùm apud homines nostros absoleverit penitùs valetudinis causâ facta identidem vomendi consuetudo, hinc docebuntur, quâ cautione huic obtemperabunt, vel etiam abstinendo si adsit febris.

APHO-

(a) *Cels.p.30.* (b) *Ibid.*
(c) *Ibid.* (d) *Ibid.*
(e) *Cels.p.29.*

APHORISMUS XVIII.

Τὰ ὑπὲρ τῆς φρενὸς ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσιος δέονται, ἄνω φαρμακείης δέεται σημαίνει· ὁκόσα δ' κάτω, κάτω

Suprà septum transversum dolores, qui purgatione egent, sursùm purgante opus esse indicant. Qui verò infrà, deorsùm.

DOLORES *ad superiores partes transeuntes perniciem minantur*; (a) qui cum *acuti* alicujus affectûs soboles sint, de horum non sunt numero, quos purgationi, huicque sursùm debitos pronuntiat *Hippocrates*, sed de illorum sorte adhuc qui *chronicos* stipant morbos qui absque febre molestant, & in crudos humores cadunt. Humorum præ copiâ eluxuriantium argumenta sunt, quos minuere coquere est; parti enim à purgatione superstiti, ut minus sit molis, plus sit ad coctionem facilitatis, pondere enim levata vasa alacriùs oscillant, terendoque meliùs, penitiùs subigunt. Hi autem humores ad evacuationem eò paratiores sunt, quòd ad vomitionem sint accomodatiores, desidiæ non rarò vel luxuriæ infelices fœturæ, quæ quia vi eluctantis naturæ ad superiora *vergunt*, per superiora evacuandos se monstrant.

APHORISMUS XIX.

Ὁκόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι καθαιρόμενοι, ἢ παύονται, πρὶν ἢ διψήσωσιν.

Qui in purgantium potionibus non sitiunt dum purgantur, non cessant, priusquam sitiverint.

PURGATIONIS miserabile solatium! cujus *novissima prioribus pejora sunt*, illius enim initium dolor; progressus labor; finis consumptio; indigenæ nempè partium *lymphæ* deprædatio, à quâ *sitis*, quæ cessanti purgationis evacuationi succedit, certè *cessante lucro quasi damnum emergens*! ut enim in morbis eò atrociora *symptomata* sunt, quò propiùs *solida* contingunt, eò exitialior sitis à *catharsi* superstes, quòd *solidis* inustæ siccitatis indicium sit, spasticam inducentis *diathesin*, utpotè cùm imminentem proximè *convulsionem* non rarò præsignificet: unde sitis hæc purgationis evacuationi comparata plus mali spondet, quàm illa pollicebatur boni. Sed hic *Aphorismus* admonitio erit adversùs valentissimorum purgantium usum, cujus sortis erant Priscorum medicamina, urentia adeò, acria & *colliquativa*, ut inquilino, nativoque uvore exuendo partium stamina, primigenium ipsum absumerent humorem.

Equidem temporariæ sitis genus est, quo sub ipsâ molliorum etiam pur-

(a) *Coac.* 70.

purgantium operatione molestari ægrotos non infrequens est; sed hùc non spectat hæc admonitio, ab exustis enim, quo madebant uberiori *sero*, partibus fit isthæc non duratura sitis; spectat verò ad situm à *catharsi* illâ relictam, quæ ipsam invadendo partium substantiam, exhaurit, siccat, pauperat.

APHORISMUS XX.

Ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γίνηται στρόφος, καὶ γουνάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Non febricitantibus si fiat tormen & genum gravitas, & lumborum dolor, deorsùm purgante opus esse indicat.

CERTE in decipulam multis venisset *Hippocratis* nomen, si in iterandis multiplicibus purgationum casibus, necessariis ad artis prudentiam defuisset cautionibus: quam ergò ad purgationes per superiora apposuit clausulam, hîc iterat ad purgationes per inferiora. Utrobique de *chronicis* morbis aut causariis hominibus loquitur, utrobique *febrem abesse* commendat: posthàc causariis *catharsin* concedit, *si fiat tormen*, vel intestinorum molestia, *genuum gravitas*, *lumborum dolor*; in quibus omnibus factas à naturâ humorum ad inferiora *vergentias*, ut inspicere, sic sequi convenit, quamdiù ex *absente febre*, suis à *directionibus* aut semitis dejectam nondùm naturam augurari licet, juxta quas eò tendentes eluxuriantes succos, ubi publica sunt & plura *secretoria* ad *abdomen* nempè, ubi condita sunt universi corporis colluviaria, eò versùs ducere illos oportet.

APHORISMUS XXI.

Ὑποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπὸ αὐτομάτου ἰόντα, καὶ ξὺν πυρετῷ, καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα. καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον· ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον, καὶ, ὁκόσῳ ἂν χρώματα πλείω, οὐ πονηρά.

Dejectiones nigræ, qualis sanguis niger, spontè prodeuntes, & cum febre, & sine febre pessimæ. Et quantò colores dejectionum plures fuerint pejores, eò deteriùs: cum purgante verò meliùs. Et quantò colores plures, non mali sunt.

IN evacuationibus pejus nihil quàm excerni succos qui ad evacuationem instituti non sunt; tunc enim jactura fit non allevatio, quò tamen unicè natura contendit; ejusmodi autem est sanguis, quem iis natura coercuit vasis, eâ arte sibi continuis, ut hæc nullibi hiantia, nullos habeant exitus, seu

nullibi in *secretoria* desinant; sic enim se habent vasorum sanguinalium ductus, qui ab *arteriis* cœpti in *venas* reflexi continuantur, adeout ex *arteriis* in continuas *venas* transire coactus sanguis, suis nullibi exiliens vasis, continuus sibi ad cor regrediatur. Hæc de rubrâ sanguinis parte, secus de albâ, quæ quia pro communi *secretionum* omnium materiâ esse debet, arterialibus tubis ceu *arteriis lymphaticis* contineri eam curavit natura, quæ ubique in *secretoria* desinunt. Atqui *nigræ dejectiones, qualis sanguis niger*, cruoris ipsius seu sanguinis rubræ partis ejectamenta sunt, proindèque malæ; ideò dices, quòd profundant vitæ fontes? addito, quòd non *secernendorum* excretiones sint, ampliùs, quòd devii violati & rupti sanguinis circuitûs sint argumenta; adactæ nempè sanguinis rubræ partis intra arteriacos *lymphæ* tubulos, ideſt, ab *arteriis* sanguinalibus in *lymphaticas* arterias, sanguinalium *venarum* loco, transiisse rubram sanguinis partem, quæ harum arteriarum ductu *secretoriis* illabens excernitur. Adsit itaque vel absit febris, utrinque malæ sunt ejusmodi *dejectiones nigræ*, utpotè quæ factam alicubi arcanam sanguinis *stasin* indicant semper, hujusque originem invenies vel in narium hæmorrhagiis, (*a*) quibus puer obnoxius fuerit ægrotans, vel *hæmorrhoidibus* cæcis aut silentibus, quæ sanguine manare consueverant, vel *mensibus* mulierum perperàm compressis; nisi forte membro aliquo curtus homo, otiantem sanguinis portionem, quæ in resectæ partis alimoniam cessura fuisset, alvo profundat.

Dejectionum vel nigror unus, mali ominis est, sed pessimi fit, si præter nigrorem, vel omisso nigrore, multis simul hisque fœdis coloribus tinctæ prodeant dejectiones, ut *viridibus, porraceis, fuscis, cinericiis*, qui si à morbo veniant, exitiales magis erunt, minùs verò si à medicamento: si enim priùs, pluribus *secretoriis* aut visceribus offensam esse factam argumentum est, quæ omnia suis plorantia succis multigenam illam contribuunt morbo materiem; si posteriùs, plura purgari viscera indicium est, feliciùs autem, si plures fuerint & deteriores purgaminum illorum colores, perfectiùs enim sic & penitiùs elui sentinam & siccari, testimonium erit.

APHORISMUS XXII.

Νουσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων, ἢν χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω, ἢ κάτω ἐπέλθῃ, θανάσιμον.

Morbis quibusvis incipientibus, si bilis atra vel sursùm, vel deorsùm prodierit, lethale.

ATRA *bilis*, morbidi minùs quàm venenati humoris nomen, omnium sanguinis vitiositatum summa, succorum capitale crimen, humorum pernicies; *sulphuris* ustulati, igneſcentis *olei*, lixivii *salis*, *calciformis* ma-

te-

(a) *Coac. art.* 3.

teriæ, aquæ stygiæ, denique spiritûs urentis promens ideas, vires referens, aut condens malitias. In illâ *intemperiei* omnis cumulum poni, scholæ veteris dogma fuit, *frigida* illa fuisset aut *calida*, inficiens *sanguinem* aut spiritus infestans, morsùs enim, *acetositatis*, acoris vel uredinis sensus, *atrabilarii seri* effectus illis erat: igitur *bilem atram* ineuntibus morbis sursùm deorsùmve excerni, argumentum est sub illorum initiis eum contigisse sanguini *fluoris*, *exaltationis*, resolutionis aut malitiæ gradum, qui solis diuturnis morbis succedere solet; unde mortem instare intelligitur, perditâ non minùs ineunte quàm finiente morbo, sanguinis *crasi*.

APHORISMUS XXIII.

Ὁκόσοισιν ἐκ νοσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως πως λεπτυνομένοις, χολὴ μέλαινα, ἢ οἷον αἷμα μέλαν ἐπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι.

Quibuscunque ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, vel qualis sanguis niger, prodierit, postridiè moriuntur.

HIc habes *Hippocratis* in observando vera dicentis argumentum, quod enim hoc in *Aphorismo* tradit augurium, hoc ipsum verum adhuc quotidie experitur medendi usus. *Extenuatis* hominibus *sanguinem nigrum prodire*, mortem ad *januas* esse significatur; sed hanc confirmat observationem *hydropisi* extenuatorum interitus, quem proximum ostendit, sub hoc expirante morbo hâc vel illâ parte excerni solitus sanguis. Enimverò hîc commemorata *atra bilis*, *qualis sanguis niger*, sanguinis fex est aut sanguis fæcatus & reses, qui diù stagnatus sub morbis, his finientibus inopinatò foràs prorumpit. Gravis enim longus morbus, genitus naturæ diuturnus, *solidorumque* continuus pressus est, quo in lentescentem sanguinis circuitum natura contendit: posthàc si memineris, *arterias* esse sanguinales, intrà quas primùm fit sub morborum principiis sanguinis circulationi hæsitantia, animadvertisse est, à sanguinis parte rubrâ committi primam morbi causam, in illâque poni primum sanguini obicem, cui allidendo cæteri appellentes succi, restagnando pariunt, qua inde exundant, *serosas colluvies*: itaque ut ut lymphis aut aquis mergi totæ videantur partes, recordaberis arcanam subesse sanguinis rubræ partis in arteriis sanguinalibus moram, quam principaliter natura eluctari conatur, usque dùm certamini facta impar, fatiscat tandem, quamq; materiem premendo partes, in venas sanguinales exprimere non potuerunt, fatiscentes & exolutæ in *lymphaticas arterias* dimittunt, ab oscillationibus quippè nativis deflectendo, alias sequuntur *directiones*, aliisque necessariò serviendo *determinationibus* suos aliò quàm conveniebat, ferunt aut ructant succos, & pro *sero* sanguinem excernunt.

APHORISMUS XXIV.

Δυσεντερίη, ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

Dysenteria, si ab atrâ bile inceperit, lethale.

AD naturæ mores, & institutum saporata bilis flavescit, ascititiis infecta saporibus atratur; illam *essentiali* aut absque igne expresso oleo comparabis, utpotè quam tritus naturalis, aut simplex pressus expressit, hanc stillatitio, nigroque oleo quod genuit una ignis tortura, illam enim edit *spastica* vis, aut vehementior partium tritura. Itaque *ab atrâ bile dysenteriam incipere*, idem est ac in tantùm profeciſſe statim ineunte morbo *solidorum elateris* vehementiam, ut omne illud vitii, quod post multos tantùm dies bili contigisset, illicò & statim nascente morbo illi comparetur: unde consequitur omne quod à *dysenteriâ* mali moris impenderet periculi post exactos plurimos dies, totum illud ineunti malignæ *dysenteriæ* affidere. Si fuerit hæc *atra bilis*, quasi *sanguis niger*, qui interdùm inchoante *dysenteriâ* profunditur, tunc exolutionem partium, quæ longo morbo succedere solet, eandem vel primis morbi diebus absolutam intelliges, seu factam illicò vasorum diametris violationem, unde *atoniæ* quoddam genus, quod *solidorum* medicabile minùs vitium est.

APHORISMUS XXV.

Αἷμα ἄνω μὲν, οἱονοῦν ἐὸν ἧ, κακόν· κάτω δὲ, ἀγαθὸν, μέλαν ὑποχωρέον.

Sanguis sursùm quidem, qualiscunque sit, malum. Deorsùm verò, bonum, niger subtùs secedens.

DOCET hic *Aphorismus*, ex sanguinis *excretionibus* nullas esse innoxias ex illis quæ sursùm fiunt, nonnullas verò esse bonas ex iis quæ deorsùm feruntur, illas nimirum quarum niger sanguis est. Sanguis enim per superiora excretus per os, nares, aures, oculos exit, quàm autem omine malo ostendit sanguinis ploratus & exitus per aures, qui læsi vehementiùs cerebri, aut abnormis omninò facti sanguinis circuitûs sunt indicia. Terroris quidem minùs incutit narium *hæmorrhagia*, sub eo quippè invadens ætatis articulo, juvenilis nempè, ubi longè abest metus periculi aut mortis cogitatus; interim naturæ spectatoribus sanguinis cursûs aut motûs *gnomon* fit: hinc se prodit ad excursiones adnata sanguini proclivitas, auguriumque venit, quàm multis evagationibus imposterùm obnoxius futurus erit ille sanguis, qui tener, mollis & ferè lacteus adhuc, evehi tamen promptus est, suique impotens sponte sævit aut furiatur: inde documentum, illius indolis esse ejusmodi sanguinem, qui emissario quodam opus habet aut effugio, musti

sti vinivè ferventis vel furentis exemplo, cui *epistomium* laxari necessarium adeò est, ut hâc ventilatione omissâ dissilire dolio necessum sit. Atqui à sanguine sic desultorio nato, quantùm animali œconomiæ turbarum impendeat & periculi, edocet ventura ætatum progressu partium texturæ mutatio, quâ durescentes fibræ, hincque strictiora facta *secretoriorum* oscilla, sanguinis pullibus dehiscunt difficiliùs, unde hic ad viscera refluus, maximi morborum numeri hîc illic seminia ponit, succorum *stases* mille inchoando, quæ sensim in morbos adolescunt.

Ominosæ non minùs sunt sanguinis *hæmoptyses*, ut enim sanguis in pulmones cadens non tramite brevi & recto præterlabitur, sed per cuniculos transeundo penitiora illorum invadit loculamenta, ubicunque hæret, stagnat, acet, ipsamque visceris substantiam labefactando, ipsa *solida* depascitur.

Intereà aliquid boni præ se fert *sanguis niger subtùs ceu deorsùm secedens*, præterquàm quòd enim ampla est, lubrica & declivis intestini canalis capacitas, quâ dejicitur ille sanguis, unde fit ut facilè descendendo, difficiliùs hæreat, aut moretur, nigror testatur *hæmorrhoidalem* illum esse, de illius genere quem inoffensa natura & ultrò dimittere solet. Ater enim ille sanguis reses & inutilis materies est subacta, domitavè, quam ad publicum colluviarium trudendo natura foràs eliminat; *criticâ* veluti ratione, quâ universi corporis *secretionum* superamenta cogendo & adunando, sanguinis fluento reddit, sordium instar, quæ ut eluantur meliùs, currentibus fluvii aquis advolvuntur.

APHORISMUS XXVI.

Ἢν ὑπὸ δυσεντερίης ἐχόμενῳ οἷον σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.

Si à dysenteria detento velut caruncula cesserint, lethale est.

EX *symptomatis* ut graviora sic exitialia magis, quæ *solida* afficiunt, his iterùm periculosiora sunt quæ *solida* deterunt, utpotè *solutæ partis* vitia, quæ & ægroto exitium & Medico laborem parant. Ejusmodi sunt putida illa strigmenta, *Hippocrati caruncula* dicta, quæ cum *à dysenteria detento* excernuntur, mortem portendunt: observabis tamen morbi tempus, sub quo isthæc strigmenta excernuntur, simul coloris genus quo inficiuntur & quocum egeruntur *doloris* modum. Enimverò ut ut mali semper ominis sic sub *dysenteria* reddi veluti intestinorum ramenta, ominosa minùs erunt sub illius ferè reddita initiis, cruentata imprimis si fuerint aut purpureo infecta colore, unaque comite atroci dolore; tunc enim pungentis quidem, secantis, urentisque succi opera sunt, detritarum quoque & lacerarum tunicarum segmina, sed vigentis adhuc, ut ut vehementiùs, *systaltica potentia* testimonia; secùs si ultimis morbi temporibus livida aut atra, nec multo stipante dolore prodeant, tunc enim flammati penitùs, *sphacelati*; putris & colliquescentis intestini deciduæ particulæ sunt, veræ, quæ mortem significant *caruncula*.

APHO-

APHORISMUS XXVII.

Οἱσὶν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν αἱμορραγίη πλήθεϊ ὁκοθενοῦν· ἐν τῇσιν ἀφαλήψεσι, τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quibus per febres sanguinis copia undecunque eruperit, in refectionibus his alvi humectantur.

Dum à morbo revalescunt, sub quo magna fuerit sanguinis jactura, alvi profluvio, observante *Hippocrate*, obnoxii sunt. Hinc admonitio fit, parcè & ad artis leges, illos esse cibandos; sponte enim imprimis si factæ fuerint magnæ illæ sanguinis jacturæ, conjectura est non levis, eâ sui parte minutum sanguinem, quâ rubet, calet & excandescit, illa enim in *hæmorrhagias* propendet, at hæc ipsa est digestionum & coctionum parens, tritûs quippè subactûs & oscillationum author, quâ proindè perditâ aut labefactatâ non mediocriter, oscillationes, tritus, coctiones elanguere necessum est. Sed inde resolutum iri alvum ultrò consequitur, actuosâ enim sui parte viduatus, qui *ventriculum & intestina* alluit sanguis, fibras horum molliùs erigit, *systalticam* malè alit virtutem, tritûs denique deprimit potentiam; efficaciores alvi laxæ causas aliundène meliùs elicies?

Hujus ergò Aphorismi fructus erit erudiri, hujusmodi convalescentium sanguinem suâ parte rubrâ exutum sæpè esse, in hocque ponendam in illis exhausti rationem, quòd illorum sanguis parte rubrâ minutus, albâ suâ superet; cum autem rubra sit quæ *sanguificat*, seu quæ chylum rubore, proprioq; donat coctionis gradu, alturâ paucâ aut fomite parvo indiget, ne pro sanguine serum elaboret, cruditatibusq; cumulet omnes corporis officinas. Spretâ hâc aut ignoratâ cibatûs curâ, sero turgidulam non rarò vides in convalescentibus corporis habitudinem, aut à *serosa colluvie* profectitias non uniusmodi humorum fluxiones, *catharros*, *rheumata*, & *hydropicos* affectus, quibus omnibus sæpè occurreret parca diæta.

Exhaustæ aut perditæ in convalescentibus sanguinis rubræ partis causam in *hæmorrhagias* unas refundere videretur *Hippocrates*, unde hoc exemplo disces, quàm sæpè defecta sint in convalescentibus rubrâ sanguinis portione vasa: enimverò cum in arteriis sanguinalibus prima fiant *obstructionum*, quæ *stases* sunt, initia; accidit non infrequenter, ut in convalescentibus, nedùm restituto rubræ partis sanguinis in venas transitu, parte suâ albâ magis quàm rubrâ in illis circulet sanguis, unde illos cibandi parcè necessitas fit medentibus, qui à colliquationibus aut humorum deliquiis tueri illos voluerint.

APHORISMUS XXVIII.

Ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος ἐπιγινομένης, παύεται καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων ἐπιγινομένων, παύεται.

Quibus biliosæ sunt egestiones, surditate superveniente, cessant. Et quibus surditas, biliosis supervenientibus cessat.

ALIQUANE *bili* foret cum *aure* necessitudo? arcananè quædam familiaritas? tanta *bilis* est in *auditum* potentia! suaderet ferè aurium ceruminis cum *bile* similitudo, flavum enim ut est & amarum, non inconcinnè *bilem* repræsentaret. Ideòne quòd ejusdem *diametri*, fabricæ & *mechanismi* forent aurium *glandulæ* aut *secretoria* cum *secretoriis hepaticis*? inde saltem pateret utrumque inter organum similitudinis arcanæ ratio, sed quam scrutari, *in alienam esset messem falcem mittere*. At quantalibet sit *bilis* cum aure affinitas, illius si fiat ad aures major raptus, facit eadem isthæc familiaritas, ut in penitiores cryptæ illius labyrinthos admissa bilis, in ipso organi centro sedem figens, *stasin* faciat, auditumque gravet. Hujus effectûs exemplum est & argumentum, bilis, quæ per alvum ibat, suppressa egeries, hinc enim succedit surditas, quæ restitutâ illâ egerie, cessat. Quod ergò de *ophthalmia* exploratum tradidit *Hippocrates*, nimirùm hoc morbo laborantes alvi profluvio corripi bono esse ad surditatem commodè transferes, utpotè solutâ alvo, quæ bilem egerat, cessare soleat. Argumento sunt fugaces febrium malignarum surditates, quas levat fluens alvus; ideò felicis factæ ominis, quod illis febribus surditas adveniens, ad *catharsin* felix sit augurium, sic nempè factum ostendens locum aut proximè venturum portendens, hanc ob causam, quòd ejusmodi surditates invehat bilis, quæ à sanguine separari cœpta, fugere gestit, vel fugari, cui aperiendo effugia *catharsis* auxilio fit.

APHORISMUS XXIX.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ἐοῦσι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

Quibus per febres sextâ die rigores fiunt, difficulter judicantur.

ORDINIS exemplum! ut morbis ità & *symptomatis* sua tempora sunt loca, opportunitates, juxta quas prosperantis aut cadentis naturæ labores æstimabis. Ejusmodi est *rigor*, à quo si auspicatur morbus, nihil est formidinis, tunc enim conatus naturæ est, aut *solidorum* nisus, in ordinandis, parandisque ad coctionem humoribus; aliusmodi est qui progrediente morbo contingit *rigor*, qui à coctione proripientis se succi signum est; ille ergò *rigor* ad coctionem incessus est, hic autem à coctione recessus; sub illo *fluida solidorum* labori subjecta mitificantur, sub hoc *solidis* laborem *fluida* faces-

faceſſuut. Poſthàc difficiliorem *judicationem* conſequi neceſſum eſt; ſic enim laboriosè ſe habentibus *coctionum* inſtrumentis, tardari *coctiones* aut turbari oportet.

APHORISMUS XXX.

Οἱ κόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἢν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν τὴν ὥρην ἢν λάβῃ, δύσκολα.

Quibus exacerbationes fiunt, quâcunque horâ dimiſerit febris, poſtridiè eâdem horâ ſi corripuerit, difficulter judicantur.

ET ſunt ordinata quæ mala ſunt; quò ſpectant *exacerbationes* illæ quæ iiſdem horis recurrendo, ut mali conſtantiam & imperium, in aggrediendo, ſic in ſuſtinendo laborem naturæ oſtendunt aut afflictationem; impotentem nempè in *ſolidis* oſcillandi virtutem, *fluidorum* moli aut inſultibus ſupparem tantùm, quæ arcere debuiſſet aut diſturbare. At quantùm in terendo tardant aut elanguent *ſolida*, tantûm in ſubigendo morantur, difficiliùs ergò coquunt & ægrè judicant. Igitur morbos, quorum iiſdem temporibus redeuntes exacerbationes videbis, diuturniores ſaltem judicabis, metus enim aliundè eſt ne *ſolidis* inſidens altiùs morbi cauſa, longiùs naturæ faceſſat negotium.

APHORISMUS XXXI.

Τοῖσι κοπώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἐς ἄρθρα, ἢ παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα, αἱ ἀποστάσιες γίγνονται.

Laſſatis per febres, ad articulos, & circà maxillas maximè, abſceſſus fiunt.

AD præſagium in morbis valet maximè corporis ſenſus, ut enim in bonis ducitur qui nullus eſt, doloris qui eſt aut *laſſitudinis*, caloris aut ſiccitatis (utpotè cùm in ferendo alacritatis naturæ ſignum ſit) humoris quoque morbidi gradum aut veſtigia docet ſimul & ingenium. Hinc quò natura vergit aut quò ſe vertit humor diſcit Medicus, exque ſenſûs modo eruitur qualitas humoris. *Laſſitudinis* ſenſum obſervandum hîc exhibet *Hippocrates*, qui in morbis *acutis* (de his enim hic locus accipiendus eſt) humorem *in articulos* aut *in maxillas*, quæ articuli quoque ſunt decubiturum oſtendit. *Staſis* enim eſt laſſitudo, quam nempè infert hærens partibus ſanguinis circuitus, unde humorum *ſtagnatio*, quam ſub morbis laſſitudinis ſenſu monſtrantem ſe, ni avertere natura curet, aut ſi omiſerit medentis cura, abſceſſum illic expectare oportet, quò *apoſtaſin* aut decubitum invitat maxi-

mè

mè partium motio jugis, cujus sortis articuli sunt, parata illa semper factaque ad motum organa, igitur *ad articulos* venturi *abscessus* expectandi sunt.

APHORISMUS XXXII.

Ὁκόσοισι δ' ἀνισταμένοισιν ἐκ τῶν νούσων τι πονέει, ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίγνονται.

Quibus ex morbo resurgentibus aliquid dolet, ibi abscessus fiunt.

ALASSITUDINIS sensu ad sensum *doloris* pergit *Hippocrates*, à quo post morbos alicubi superstite, abscessum illuc venturum pronuntiat. Læsi enim necdùm planè restituti *solidorum toni* argumentum dolor ille est, tum *spasmi* notaculum, quo stringi, crisparivè pergentes vasorum fibræ, morando succos in se comprimunt; hi autem hærendo acent, spiculis fodicando partes, pungunt, secant, lacerant, viâque & loco factis, exitum affectant, ut coctæ sic morbi infelices reliquiæ exterminentur. Tanti ad medicinam est *coctionis* necessitas! abscessus enim subsidiaria coctio est, aut coctionis supplementum, quo utitur natura, ut quem morbi laboribus distracta pellendo tantùm humorem vincere potuit, coquendo penitùs domandum postliminiò suscipiat.

APHORISMUS XXXIII.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονηκός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσέειν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος.

Sed & si quid doluerit antè morbum, ibi se figit morbus.

NEQUE prætereundus qui absque morbo erit *doloris* sensus, inæqualis enim partium roboris signaculum est venturi illùc morbi prodromum. Re quidem ipsâ dolor morsus est, aut facta partis corrugatio, obex eunti sanguini vel redeunti assiduus, quò sæpiùs allidendo succi fatiscunt, tardatique putrent; hinc obstructionum incunabula, non infrequentes morborum origines. Doloris autem nomine hîc accipies quoslibet molestiæ sensus, qui ex *chronicis* morbis non paucos præsignificant. Sic capitis dolores, gravitates, *vertigines apoplexiam* præsagiunt; spirandi difficultas, *asthma*; tussis assidua, *phthisin*; spiritus in ascendendo difficilis, *chlorosin* prænuntiant; hepatis gravitas, tumor, dolor, *icterum*; vomitiones, *hydropem*; *iscuriaque* calculum minantur: singulares morbos ex singulari alicujus dolentis partis sensu sic interpretabêre; ex dolente autem universo corpore, qui lassitudinis est sensus, morbi quodvis genus portendi intelliges.

APHORISMUS XXXIV.

Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγι, πνιγμὸς ἐπιγίγνεται, θανάσιμον.

Si à febre detento, tumore in faucibus non existente, suffocatio ex improviso superveniat, lethale.

ANGINÆ *horrendissimæ sunt, & citissimè accidunt, quæ neque in faucibus quicquam conspicuum faciunt . . . . hæ eodem die suffocant* (a) &c. Ejusmodi *angina* est, quam hîc intelligit *Hippocrates*, quæ duplici de causâ lethalis est; indolis quidem ratione quia *apostasis* est, tum ratione sedis, utpotè cùm occupet non tantùm pulmonum viciniam, quod periculi plenum est, sed ampliùs illam obsideat partem, quâ fauces pulmonem contingunt. Altera enim angina est, cui superveniens febris bono fuerit, demoliendæ enim illius causæ instrumentum naturæ aut conamen est; altera angina est, quæ febri supervenit, cùmque illa per *abscessum crisis* sit aut sine *crisi abscessus*, malo est, gravissimo autem si (ut hîc) inevidens ideò sit tumor, quòd non solùm partium interiora occupet, sed & illarum loca partium, quæ respirationi immediatè famulentur.

APHORISMUS XXXV.

Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

Si à febre detento collum derepentè inversum fuerit, & vix deglutire possit, tumore non existente, lethale.

IN *febribus derepentè suffocari . . . . citrà tumorem collum convertere non posse, neque deglutire, ut plurimùm lethale* (b) *est*. Compertæ enim *Hippocrati* erant *anginosæ affectiones*, in quibus *partes inflammatis non affines erant . . . . non febricitabant . . . . omnes superstites fuere*, (c) ad quas pertinet commemorata hîc *colli inversio absque tumore*, quæ *spasmodica* colli contractio est, febri superveniens ideò periculosissima, quòd plena periculi *metastasis* aut *epigenesis* facta sub febre ad partem nobilem, insuper ad ipsos partis nobilis nervos, fauces enim nobilitat non mediocriter pulmonum vicinia.

APHO-

(a) *Hip. prænot. art. XXIII. v. 3.* (b) *Coac. art. II. v. 221.*
(c) *Epid. lib. II. sect. 2.*

APHORISMUS XXXVI.

Ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἰῶ ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τεταῖοι, ἢ τριταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐνατταῖοι, ἢ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ εἰκοσταιδεκαταῖοι, καὶ μίη ἢ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμη ἢ εἰκοστῇ, ἢ τριακοστῇ πρώτη, ἢ τριακοστῇ τετάρτη· κρίνουσι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν. οἱ δ' μὴ κρίνουσι γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου, καὶ ἀποτροπιασμούς.

Sudores febricitantibus si inceperint boni sunt die tertiâ, & quintâ, & septimâ, & nonâ, & undecimâ, & quartâ decimâ, & septimâ decimâ, & vigesimâ primâ, & vigesimâ septimâ, & trigesimâ primâ, & trigesimâ quartâ. Hi enim sudores morbos judicant. Qui verò ità non fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivas.

SUDORES *optimi sunt & celerrimè febrem sedant, qui in judicatoriis diebus fiunt, & febrem perfectè summovent. Boni sunt qui per totum corpus oborientes, morbum faciliùs ferre faciunt.* (a) Sudores ergò *judicatorii* sunt qui vel *levant* vel *solvunt* morbum; *optimus enim sudor qui solvit, commodus qui levat* (b). Sub hoc respectu sudores hîc notat *Hippocrates*, qui *judicatorii* sunt, etiam ineunte febre, tertiâ nimirùm die, tum ex aliis quibusdam diebus, ut *undecimâ*, quas inter verè *criticas* non numeraverat; (c) observando enim noverat, sub ejusmodi diebus oborientes sudores, in quibusdam febribus, illis videlicet, quæ fermè cum sudoribus incipiunt; noverat, inquam, utiles esse & *judicatorios* (quia *levantes*) ejusmodi sudores, & in ejusmodi morbis qui in sudores naturâ suâ proclives sunt: non ideò tamen quasi etiam sub illis febribus semper *judicatorii* fuerint sudores, at observationis hujus vis est, in docendo, qui utiles prodierint sub illis febribus sudores, eos fuisse, qui in commemoratos hîc dies inciderunt. Porrò felices antiquæ in medendo virtutis reliquiæ! ad quarum normam instituta medendi methodus, vel ex *excretionibus* quæ *unà cum febre in acuto morbo malæ sunt*, (d) criterium habet, unde tutas à fallacibus, à damnosis utiles discat aut internoscat.

(a) *Hip. de judic. art. I. v. 2.* (b) *Coac. art. IV. v. 36.*
(c) *Aph. XXIV. sect II.* (d) *Coac. IV. 41.*

APHORISMUS XXXVII.

Οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες, ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γινόμενοι, θάνατον· ξὺν δὲ χρηϋτέρῳ δὲ, μῆκος νόσου σημαίνουσι.

Sudores frigidi, cum acuta febre evenientes, mortem: cum mitiore verò, morbi longitudinem significant.

CALOR sanguinis ad partes circulantis allapsûs signaculum est, frigus sanguinis in circulando resîdis indicium. Hinc pestiferus sub acutâ febre frigidus sudor, præterquamquòd enim unà sæpè præcordia uruntur (unde reflexi uberiùs ad interiora sanguinis circuitûs ducitur argumentum) confusæ sanguini & remistæ sudorum materiæ signum est. Sudor ergò frigidus sub acutâ febre furentem in majoribus vasis & auctam mirabiliter in corporis centro sanguinis circulationem indicat, dum hæc cadit aut languet in minoribus, quibus instratus est corporis habitus; sed hinc mortem imminere vides, superante enim suprà modum, in imo corporis, *fluidorum momento*, quod in habitu corporis minuitur, viscerum premi potentias, habitûsq; simul labascere *tonum* consequentia est, partiumq; interire æquilibrium.

De *sudore frigido chronicorum* morborum comite aliud sit judicium; sub his quantumvis pigrescat sanguinis circulatio, infractus illi pergit motûs tenor, unde sudoris frigiditas defecti minùs est aut extincti sanguinis appulsûs, quàm elanguentis illius teporis argumentum. Igitur *frigidus sudor* sub *acutis* ut naturæ cadentis signum ad mortem præludium est, sub *chronicis* verò ut laborantis aut afflictæ naturæ testimonium, futurorum morbi tædiorum signaculum erit. Enimverò tunc temporis duo ostendit *frigidus sudor*, materiæ nempè simul copiam & cruditatem; tardatas ideò coctiones, seram proindè judicationem.

APHORISMUS XXXVIII.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος ἱδρὼς, ἐνταῦθα φράζει τὴν νόσον.

Et quâ corporis parte inest sudor, ibi morbum esse *indicat.*

TRADITÆ modò de sudoribus doctrinæ consectarium hic *Aphorismus* est, ubi morbi nomine *stasin* intelliges; quasi diceret *Hippocrates* ibi *stasin* aliquam subesse unde stillat sudor, impediri quippè illic sanguinis circuitum unde stagnatus sanguis serescit, aut in serum eliquatur; illâ partium *mechanismi* necessitate, quâ impeditâ intrà sanguinales arterias rubra sanguinis pars, ad laterales & *lymphaticas* arterias, aut sudorifera *excretoria ser osam* aut albam partem eructat.

APHO-

APHORISMUS XXXIX.

Καὶ ὅκῃ ἔνι τῷ σώματι θερμὸν, ἢ ψυχρὸν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος.

Et quâ corporis parte ineſt calor, aut frigus, ibi morbus eſt.

ANIMALIS œconomiæ miraculum! calente admodùm ſucco, ſanguine nimirùm, allui corpus univerſum, unde nihilum illi affricetur caloris incommodi; adeout factus alicubi caloris ſenſus, inibi nidulantis cauſæ morbi ſit notaculum; ratio ducitur ex æquâ viarum ceu vaſorum æquabili commenſu & rectitudinibus, mollitudine partium, ductili ſanguinis fluiditate; quibus attemperatis cordis *embolo ſolidorumque* jugi preſſu & impulſu molli, imperturbatè vaſa meari ſe ſinunt. Hujus rationis ratio eſt arteriarum ſanguinalium fabricatio, quæ gracileſcendo in *conum* deſinentes, attegrando ſanguini inſerviunt, ſicque cuneatæ arteriarum capillarium *diametri*, attegrum ſanguinem partibus advehunt, quas proindè nullâ fermè mole premendo, ſanguis moleſti nihil illis affert aut ſenſiferi. Oboriens ergò alicubi caloris aut frigoris ſenſus, illam omnem *harmoniam* verti ſignificat, quod morbum committi eſt; vel enim impenſiùs oſcillationes accelerari ſignum eſt, unde caloris ſenſus; vel illas pigreſcere, quod erit frigoris incommodum, partium moleſtia, morbus.

APHORISMUS XL.

Καὶ ὅκῃ ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, ἢ ἐὰν τὸ σῶμα καταψύχηται, ἢ αὖτις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται, μήκεος νόσου σημαίνει.

Et ubi in toto corpore mutationes, & ſi corpus perfrigeretur, aut rurſus calefiat aut color alius ex alio fiat, morbi longitudinem ſignificat.

A SINGULARIBUS mutationibus quæ partibus nonnullis obveniunt, ad illas progreſſus hîc fit, quæ per totum corpus contingunt; mutationes autem intellige *caloris*, *frigoris* & coloris non tantùm, quæ hîc commemorantur, ſed quidquid præpoſterè ſe habet in morbis, mutationem dicito, ſi nempè malo bona, bono mala vertant; ex quibus omnibus morbi longitudinem prænuntiabis, ſcilicèt *qui morbi ex malis ſignis levantur, & qui ex bonis non remittunt*, difficiles (*a*) ſunt, hæc enim naturæ dubitantis indicia ſunt, triumphantis modò, modò triumphatæ. Reverà tam mutabilis *ſymptomatum* facies, hinc morbidorum *fluidorum* exuperantiam oſtendit, illinc caducariam *ſolidorum* virtutem prodit, unde coctionum inconſtantiæ, pullulantibus enim alicundè, diætæ forſitan, forſitan medicinæ culpâ, morbi fomiti-

(*a*) *Hip. coac. v. 73.*

tibus, succorum nempè copiis, aut *spasmorum*, *erethismorumvè* insultibus, nihil miri est, si opera sua retractanda pluriès natura habeat, utpotè quò illam adigunt recrudescentiæ quæ mansuefacta fuerant symptomata recidivæ quasi sunt particulares, quæ extincta resuscitando *symptomata*, recidivarum totius morbi exemplo, morbos producunt.

APHORISMUS XLI.

Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ φανερῆς αἰτίης γινόμενος, τὸ σῶμα σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι οὗτο γίγνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

Sudor multus à somno citrà causam manifestam factus, corpus uberiori alimento uti significat. Si verò cibum non capienti hoc fiat, evacuatione indigere significat.

SOMNUS *visceribus confert*, (*a*) coctionibus enim præficitur, quas operatur, conficit, absolvit, eâ fide ut quam in se suscepit stomachus per diem alimentorum quantitatem, totam à somno reddat *transpiratio* insensilis, quod coctionum complementi testimonium habetur & argumentum.

Multus ergò *à somno sudor*, evacuatio sensibilis est, insensibilis loco suffecta; tanto œconomiæ animalis harmoniæ damno, quantæ perniciei est humorum cruditas sanitati. *Sudor enim ille multus à somno*, in coctorum succorum superamentum erit, si uberiùs ingestum fuerit alimentum; vel si non præcesserit alimonia uberior, sanguinis ipsius in inutiles succos eluxuriantis erit ejectatio: si priùs remedio erit victus aut parcimonia, aut emendatio, vel utraque; quod enim superfluum fuerit illâ resecabitur, dum hâc mitescet omne quod *acre* fuerit, fundens aut *colliquativum*; si posteriùs, ut in causâ erit succorum luxuries, auxiliabitur evacuatio, sed humoris conditioni & loco accommodata, unde cùm in vasorum capacitatibus primùm hincque in corporis habitu conclusa sit aut insideat sudorum materies, illam adhiberi evacuationem curabitur, quæ vasa imprimis exoneret, purgationi ergò locum facere oportet, nec venæsectionem omittere.



APHO-

(a) *Epid. VI. sect. V. text. 9.*

APHORISMUS XLII.

Ἱδρὼς πολὺς, ψυχρὸς ἢ θερμὸς, ἀεὶ ῥέων, ὁ μὲν ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσω νόσον σημαίνει.

Sudor multus, frigidus aut calidus, semper fluens, frigidus quidem majorem, calidus verò minorem morbum significat.

SUDOR *multus* .... *semper fluens*, humorum *colliquatio* vel fusura est, à *præcipitatione* manans, si *calidus*; ab *exolutione*, si *frigidus*. *Præcipitatio* superantis potentiæ opus est, exolutio potentiæ delinquentis vel *deliquii* effectus. Pressio illa aut astrictio est, hæc laxatio; *calidus* ergò *sudor multus*, ut ut gravem, *minorem* tamen morbum significat, *majorem* verò qui *frigidus* est. Scilicèt, ad gravitatem morbi facit nihil magis, quàm *solidorum* virtutis occasus, principis enim corporis potentiæ jactura aut ruina est, quam exolutio prodit, aut *systaltica* virtutis resolutio. Porrò exsolutionem concipito fractum *toni* partium *elaterem*, unde ignavè hiantia *excretoriorum* oscilla, pulsum ad se à corde succum non expuunt, sed sinunt elabi, huncque frigescentem, solo enim cordis impetu huc advectus, ad tubulos inertes aut elatere cassos, torpet illicò & alget.

APHORISMUS XLIII.

Οἱ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ ἀφιλέπουσι ἀφ' ἡμέρης ἰσχυρότεροι γίγνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι· ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ ἀφιλέπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres quæcunque non intermittentes tertia die *vehementiores fiunt, magis periculosæ: quocunque autem modo intermittant, quod sine periculo* sint, *significat.*

QUÆCUNQUE *febres non intermittentes*, ideſt, quæ de intermittentium numero esse desinendo, *continuæ* factæ sunt, unà cum nomine ingenium mutant; quantùm enim periculo vacabant quandiù intermittentes fuêre, tantùm discriminis acquirunt in *continuas* facessendo; discrimen incurrendo eò gravius quòd febres sic degeneres, in *tertianas* transire soleant, unde fit, ut cùm jam periculosæ sint, ex eo quod factæ sint continuæ, in eo evadant ominosiores, quòd tertiâ quâque die exacerbari solitæ, suum tertiâ quâque die aggravent periculum; tam frequentes enim insultus novi sunt, quibuscum si imparibus armis dimicare naturæ contigerit, morbo victoria paratur. Enimverò *exquisita* febris tertiana est, à fervente bile nata, ideſt, ab eâ *evectâ* sanguinis portione, quâ exaltari maximè potest, aut evolvi sanguis, quod accendi & flammare est; talem ergò febrem tertiâ quâ-

quâlibet die exacerbari, novas est tam sæpè exsuscitari flammas, proferrique novos ignes naturæ ferendos & vincendos arti.

APHORISMUS XLIV.

Οἱ κόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τυθέοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα, ἢ πόνοι ἐπίνονται.

Quibus febres longæ, his tubercula ad articulos, aut dolores fiunt.

LONGÆ *febres*, malè aut præposterè *judicatæ* febres sunt, spuriæ soboles naturæ allucinantis, vel audaculæ artis fœtus abortivi; licèt enim suâ cadere causâ naturam aliquandò contingat in morbis solvendis, undè miserabiles morborum appendices, frequentiùs est cassa fieri insana temerè medicantium ausa, unde arti minùs quàm artifici indecora succedunt morborum consectaria. Hinc probro sæpè & opprobrio Medicorum *phymata*, tumores, *abscessus apostases*, similiaque dolorum aut ægritudinum genera, quæ morbis malè *judicatis* succenturiantur, utpotè cùm sint non rara imperitiæ medentium aut audaciæ notacula.

Licèt enim *abscessus* aberrantis fortè naturæ, aut suis defraudatæ coctionibus, infelices fortè fœturæ sint, faciet præcipitantia medentis, ut inopportunè stimulatus humor, aliò quàm decebat asportatus, indebitas *stases* cumulet aut *congestiones*, seminia dolorum & *tuberculorum*, *tumorum*, abscedentium primordia. Inde medendi lex, eniti Medicum oportere, in dirigendis semper, præoccupandis nusquam *coctionibus*, ne pro coctionibus cruditates, *abscessus* aut *phymata* pro *crisi* aut *solutionibus* misere committat, aut obtineat.

APHORISMUS XLV.

Οἱ κόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα, ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν μακρῶν γίγνονται, τοῦτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula ad articulos, aut dolores ex febribus longis fiunt, hi pluribus utuntur cibis.

CERTE non naturæ, sed medentis erratum vel ægroti commissum intemperies gulæ aut alimentorum eluxuries, *cibus* nempè *inopportunè datus*, à quâ admissâ culpâ manant plurima ægrotantium mala, nec pauca convalescentium incommoda. Horum aperit causas mutatus sub febre *digestionis* instrumentorum modus, *solidorum* nempè *tritus*, partium oscillatio; quæ à naturâ sub morbis tantùm recedens, quantùm à sanitate morbus, *fluida* aliter tractat, diversè subigit, comminuit variè; aliusmodi enim

enim elaboratur *coctionum* genus ; ſub hoc ergò temporis articulo plura ingerere alimenta, ut potentiæ peregrinæ, quæ febrilis eſt, pabula eſt oggerere, peregrinarum coctionum materiaturas ſuppeditare eſt, ceu cruditatibus fomites ſubjicere. At *tubercula & apoſtaſes quæ ad articulos fiunt ex febribus longis, cruditatum* fœturæ ſunt, proindè uberioris alimoniæ effectus.

APHORISMUS XLVI.

Ἢν ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ ἀφιεμένῳ, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον.

Si rigor incidat febri non intermittenti, debili jam exiſtenti ægro, *lethale*.

TOLERANDUS rigor qui ad *criſin* luctа eſt, culpandus quo ad morbum fit progreſſus, morbi enim gravitatem prodit aut admonet malitiam. Sub eo qui ejuſmodi eſt morbo ad nervos fit humoris morbidi raptus, qui à coctionum ſemotus viis, in *ichorem* malignum evadit ; hic verò *ſyſtaltica* virtutis mutando *rythmos*, *digeſtionum* perdit potentias; ſed hæ labefactantur maximè, ubi à febre continuâ attritæ fuerint ægrotantis vires, quo tempore adveniens rigor, impotentis naturæ conatûs nota eſt, ſuperantis autem morbi vis teſtimonium: illum ergò rigorem habebis, ut expirantis *ſyſtaltica* potentiæ ſignum, accedentis proximè exitii argumentum.

APHORISMUS XLVII.

Αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι μὴ ἀφιεμένοισιν πεπελιδναι, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες, πᾶσαι κακαί· ἀποχωρέουσαι δ' καλῶς, ἀγαθαί. καὶ κατὰ τὰς ἀφιξίας, καὶ κατὰ τὰ ἕρα ὧν δ' μή τι τῶν ξυμφερόντων ἐκκείνηται ἀπὸ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

Exſcreationes in febribus non intermittentibus lividæ, & cruentæ, & graveolentes, & biliosæ, omnes malæ ſunt. At probè ſecedentes, bonæ. Et eadem ratio eſt *quod ad* alvi *egeſtionem, & quod ad urinas. Si verò nihil ex conducentibus excernatur per hæc loca, malum.*

OBSERVABILE medendi dogma! præclarum medentis judicium! in æſtimandis evacuationibus *quantitatem & qualitatem* humorum obſervare vulgare eſt, ex his enim vacuationum fructus aut utilitas definitur ; excernendi modum addit hic *Aphoriſmus*, quem tanti faciendum admonet, ut *exſcreationes lividæ, cruentæ, graveolentes, biliosæ*, quantumlibet naturâ ſuâ & ad ſpeciem *malæ*, bonæ fiant, *ſi probè ſecedant*, ideſt, ſi cum *euphoria*

excernantur, ceu eâ ferendi facilitate, quâ pateſiat eâ ratione fieri illas *excretiones*, quæ naturam non frangit aut ſuperat. *De urinis & alvi egeſtionibus* idem pronuntiat, eas utut ad ſpeciem malè moratas, judicando tolerabiles, modò de illorum ſint ingenio quæ ſub aliquo reſpectu *conducunt*, ideſt, quæ bonis ægri rebus contingere poſſunt.

Inde magnum artis documentum & ad evacuationes maximè ſpectabilis obſervatio; in evacuationibus enim modus ergò eſt, qui illarum emendat peſſimos colores, aut damnabiles qualitates. Ille modus pendet à viarum naturis & generibus per quæ fiunt evacuationes, ſi viæ illæ naturâ ſuâ *ſecretoriæ* ſint, aut ad *ſecretionem* facta vaſa, quæ proindè naturâ ſuâ dehiſcant, quæ per illa prorumpent evacuationes, erunt aliud nihil præter erumpentium eò ſuccorum eluvies, eorumque ſuccorum, non ſolùm qui illàc abire conſueverant, ſed & aliorum à fæcoſo ſanguine illò versùs exundantium, cruentorum fortè, fortè *ichoroſorum*, *puriformium*, *chyloſorum* aut graveolentium, interim probè in eo *ſecedentium*, quòd hiantes & apertas nacti vias, non lacerant partes, nec loca frangunt: ſecùs ſi naturâ ſuâ *ſecretoriæ* non fuerint evacuationum viæ, tunc enim impetus irruentium humorum concipere erit, qui mole ſuâ aut copiâ rumpunt quæ gravant vaſa, aut *acore* rodunt; *rexin* & *diabrſin* dixêre Majores, inemendabiles partium culpas, à quibus quæ manant evacuationes *probe ſecedunt* nuſquam, effractas enim oſtendunt partes, neque pertinent ad ea quæ conducere poſſunt; labefactato non ſolùm, neque ſolùm perdito partium *tono*, ſed detritâ ipsâ illarum ſubſtantiâ. Si inſuetis ſuccis obſequia ſua præſtiterint, quæ nata ſunt *ſecretoria* vaſa, excretionem facilè feret æger; ſed ſi in ea incidendo irruentes humores vaſa, quæ exitibus, aut oſcillis carentia, effringendo ſe fuderint quibus turgebant ſuccos, vis illius illatæ partibus violentiam non ferente naturâ, difficilè feret ægrotans.

APHORISMUS XLVIII.

Ἐν τοῖσι μὴ ἀλλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δ' ἔνδον καίηται, καὶ δίψος ἔχῃ, θανάσιμον.

In non intermittentibus febribus, ſi externa quidem frigida ſint, interna verò urantur, & ſitim habeant, lethale.

HIc pingi vides *Lypiriæ* febris imaginem, malignæ ſcilicèt febris *inflammatoriæ*, quam fovet viſcerum inflammatio, à ſanguinis circuitu illic coercito nata; ſed hinc ceſſante ad habitum corporis ſanguinis partis rubræ pulſu, hujus calore afflari ceſſat *lympha* ſuis in arteriis contenta, quam proindè in cute frigere in tantùm neceſſe eſt; in quantùm à corporis centro longiſſimè diſtat cutis, hâcque de causâ à caloris ſede remotiſſima. Hæc frigoris cauſa, quod externas afflictat partes, dum interiores uruntur; indidem fluit origo ſitis, quam ab impeditâ vel morante *lymphæ* circulatione enaſci conſequitur, ſiccatis quippè ſic humoris omnis fontibus: porrò hinc

ſtagna-

stagnatâ in corporis centro rubrâ sanguinis parte, illinc in habitu corporis morante illius albâ parte, à *calce* ad *carceres* sanguinis motum intercipi est, duplicemque insimul suffocari vitæ causam ceu geminos partis albæ & rubræ sanguinis motus. Aliquidnè datur *lethale* magis, magisvè proximæ mortis præsagium?

APHORISMUS XLIX.

Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ (ὤματος, ὁ, τι ἂν τουτέων γένηται), ἐστὺς ὁ θάνατος.

In febre non intermittente, si labium, aut supercilium, aut oculus, aut nasus pervertatur, si non videat, si non audiat, corpore jam debili existente, quicquid horum fiat, in propinquo mors est.

PRÆTER cætera quæ arti tulerunt commoda *Hippocratis Aphorismi*, observandi rationis moduli erant & exemplaria, ad quorum normam instituta inposterùm medendi ars, pluribus hodie locupletata superbiret, quibus defecta mœret. Sic inter desiderata medicinæ hodie jacent instantis proximè mortis præsagia multis in morbis, quæ jam comperta forent, si hujus *Aphorismi* exemplo propria quæque morbis adnotata fuissent prænuntia mortis signacula. Talia sunt *labium*, *supercilium*, *oculus*, aut *nasus perversus*, quæ in febribus continuis irremediabilis *solidorum*, stabilis & confirmati *spasmi* signa sunt, à quo extremè stricti vasorum *diametri* tam arctè connivent, ut *fluidis* ad organa denegetur appulsus: imprimis *corpore jam debili existente*, fractâ nempè *systalticæ* virtutis potentiâ, adeout æger *videre* cesset & *audire*. Hæc autem proximam indigitant mortem, principem enim perire functionem ostendunt, quæ nervorum est, qui *spasticè* arctiùs constricti, morbi omnem in se imbuisse malitiam testificantur.

De cætero inde docebitur non incuriosus in prædicendo morborum eventu Medicus, unde non levem eruet venturæ citò mortis conjecturam, nimirùm ubi nervis irrepsisse morbi causam cognoverit, ex collapsis unà cum corporis viribus, nervorum potentiis & operibus.

APHORISMUS L.

Ὅκου ἂν ἐν πυρετῷ μὴ ἀπολείπουσι δύσπνοια γίνηται, καὶ παραφροσύνη, θάνασιμον.

Ubi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium fit, lethale.

AD nervos aut cerebrum pertinet *delirium* unde hîc ut aliud adhuc mortis signum in febribus continuis observatur; indicat enim in se morbi vitium suscepisse cerebrum, sive à parte sanguinis rubrâ, quæ in *meningibus* stagnata *phlogosin* illùc accersiverit, sive ab albâ illius portione, quæ morbidâ ebria lue cerebri infecerit *lympham*, aut turbaverit motum.

Pulmo, altera corporis pars princeps, à cujus statu, conjicies eventum morbi: præcipuum enim est & publicum tritûs & circuitûs sanguinis organum; ut autem proditur functionum integritas ex æquabili & alternanti facilè pulmonis motu, qui laudabilis tritûs & integræ sanguinis circulationis criterium est, sic tardatæ alicubi circulationis, stagnatique aut malè comminuti sanguinis testimonium est, febri superveniens spirandi difficultas, quæ in pectore cumulans morbi malum, pulmoni apportat vitium inemendabile & proximum morti.

APHORISMUS LI.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἀποστήματα, μὴ λυόμενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νούσου σημαίνει.

In febribus abscessus, qui non solvuntur ad primas judicationes, morbi longitudinem significant.

ABSCESSUS à morbo erumpentes, qui ad coctionem properando, confestim in suppuratum non eunt, *crisimi* sunt non *critici*, *judicatorii* sunt non *judicantes*, in crudum enim desinunt, unde morbi diuturnitas aut pervicacia. Quod autem crudi fiant *abscessus*, in causa est humoris indoles, tum locorum natura; *abscessus* enim nomine concipito sanguinem, qui aliquò abscedit sui parte *alba* vel *rubra*, ad arterias sanguinales vel ad *lymphaticas*, hoc autem sub conceptu ponito, abscedentem sanguinis portionem *albam* esse, quæ ad *lymphaticarum* capillamenta amandetur, intelligere promptum erit tum ex *lymphæ* inertiâ, tum ex *lymphaticarum* ignaviâ vel mollitie, ad coctionem tardum esse futurum istiusmodi abscessum: è contrà posito abscedentem illam sanguinis portionem rubram esse, ex globulis constantem, ideòque volubilem totam, agitabilem & impatientem quietis, hancque susceptam, coercitamve intrà sanguinalium arteriarum capillitiem, quæ *systaltica* vis sedes & causa sunt, obvium menti fit ad *orgasmum* propendere illam materiem, coctioni paratum esse hujus sortis *abscessum*, pro-

pronumque ad suppurationem. Intereà disjungi sic sanguinem & in partes dispesci, adeout hinc illinc diffiliant, huc rubra, illuc alba pars, ad *crisin* malè comparatum illum esse argumentum est. Utut enim *apostasis* omnis, vel cujuslibet generis abscesûs materies aut basis *lympha* sit, ceu sanguinis alba pars, à rubra hæc habet, unde suas conficiat coctiones, in hosque vel illos coquatur succos. *Criticos* ergò *judicantes abscessus* expectabis ex sanguinis portione, ex albâ simul & rubrâ parte adunatâ, ablegatâque naturæ vi, ad istiusmodi vasa, quæ *excretoria* sunt, hujus instituti sunt *arteriæ lymphaticæ*, seu *secretorii* tubuli qui arteriaci sunt, quibus excepta isthæc sanguinis portio in via est, quæ ad partis habitum sponte ducit, ideòque ad exitum & *secretionem*. Hos autem abscessus recognosces ex apice aut insigni prominentiâ quam vel enascendo proferunt; materies enim illis turgescens vasis, quorum faciles sentit exitus, ad quam properat excretionem monstrat oculis.

APHORISMUS LII.

Ὁκόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἢ ἐν ἄλλῃσιν ἀῤῥωστίῃσι, κὴ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον. ὁκόσοισι δ' μὴ κὴ προαίρεσιν, ἀτοπώτερον.

Quicunque in febribus, aut in aliis infirmitatibus, ex proposito (ideſt, ob causam) oculi lacrymantur, nihil inconveniens. Qui verò non ex proposito, magis inconveniens.

Sub *acutis* morbis, ubi dolor aliquis urget aut molestia quævis, fundi lachrymas, afflictationis magis quàm periculi indicium est; sub *infirmitatibus* seu *chronicis affectionibus* lachrimari, exigui aut mœrentis animi est argumentum. Non sic de involuntariis *lachrymis*, quæ inconscio ægrotante, sub *acutis* stillant ab illius oculis; duplici enim titulo malæ sunt, tum quòd, utpotè malignis febribus propriæ, morbi arguant malitiam, tùm quòd facto jam multo morbi progressu erumpendo, ut illis assolet ægrotantibus, lugentis naturæ testes erunt. Re quidem ipsâ, pressoriæ & *spasticæ* constrictionis sunt effectus, domitæ proin *systalticæ* virtutis signa, unde victo *secretoriorum* oculi *elatere*, exolutio quædam aut *atonia* succedit, quâ plorat propria partis *lympha*. Hinc majoris periculi ratio, ut enim laboris aut morbi signum est pro insensibili *transpiratione* fusus *sudor*, similiter gravis mali testimonium erit pro siccis factos esse humentes oculos, scilicèt vi morbi labefactatum esse organi *tonum*; dùm qui tenuissimi roris aut *transpirationis* formâ abire illàc debuisset uvor, sub lachrymarum vultu diffluit.

Interim quantumvis hæc vera sint de invitis lachrymis mala, non illicò spes nec omninò abjicienda, si enim *spastica* magis sit pressio, quæ elicit lachrymas, unde victæ *systalticæ* virtutis nondùm appareat argumentum, cùm *aliunde cætera perniciosè non habeant*, (a) superstitis adhuc tantilli naturæ co-

(a) *Hip. epid. lib. 1. art. 11. v. 176.*

conatûs reſiduum in illâ preſſione potueris ſuſpicari, quæ ſalutarem fortè *ſanguinis à naribus eruptionem* (*a*) proferet: verùm ſi exoluti *elateris* vel *atoniæ* partium ſe dat argumentum in eo, quòd aliundè cætera *malè habeant*, (*b*) non *ſanguinis eruptionem*, *ſed mortem ſignificari* (*c*) putaveris.

APHORISMUS LIII.

Ὁκόσοισι ἢ ἐπὶ τῇσι ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι φλέγματα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίγνονται οἱ πυρετοί.

Quibus in febre ad dentes viſcoſa circumnaſcuntur, his *febres fiunt vehementiores*.

IN morbis inuſta *ſolidis* noxa, infelicitas eſt; illam in oculis modò obſervabat *Hippocrates*, eandem hîc in dentibus annotandam admonet; dentibus enim viſcoſa adnaſci, *dentes reſiccari eſt*, (*d*) ideòque denſari illorum ſtamina, unde negatur nutritiæ lymphæ appulſus. Sed ut viſcoſus ſudor, *tranſpirationis* peſſundatæ ſuſpicionem inducit, adnatæ dentibus viſcoſæ ſordes, compreſſæ in dentibus, ex hiſque malè exudantis tranſpirationis materiæ ſigna erunt. Atqui iſthæc reſiccatio *dentium* qui de *ſpermaticarum* partium ſodalitio ſunt, *membranacei* totius & nervoſi generis *phlogoſin* & reſiccationem ſignificat, cerebri ergò inflammationi ſic condolere dentes ultrò concludes. Reverà *comatoſos* & delirantes eſſe ægrotos, quibus dentes ſordibus atris & viſcoſis obſiti ſunt, obſervatur, tum de ardentium numero eſſe illas quibus urgentur febres; poſthàc *vehementiores* has eſſe futuras meritò pronuntiat *Hippocrates*.

APHORISMUS LIV.

Ὁκόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ, βραχέα ἐρεθίζουσαι, ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὔ πάνυ τοι διψώδεες εἰσίν.

Quibus diù tuſſes ſiccæ, paulùm irritantes, in febribus ardentibus, non admodùm ſiticuloſi ſunt.

NON *ſiticuloſum* eſſe ægrotum, quem urit febris ardens, quemque tuſſis diuturna fatigat aliquid habet prodigii, tuſſire enim, ardere & uri ſiti certè proxima ſunt: prodigii autem cauſam aperit tuſſis natura, quæ nonnullas ex ardentibus comitatur *febres*, tùm & ejuſmodi febrium indoles; hæ febres ſunt quæ à fervore pendent magis quàm ab humore, quod à *ſimplici* aut

(a) *Ibid.* (b) *Ibid.*
(c) *Ibid.* (d) *Hip.coac.l.153.*

aut *sine materiâ intemperie* febrire antiquis erat, tuncque quæ venit tussis lenis & pauca est *paulùm irritans*, à *spiritu* enim fit, ut ait *Hippocrates*, (*a*) non à *feritate*, seu à sanguinis ferventis vapore, non à *stasi* illius, *stagnatione* aut *colliquatione*. Hinc ut idem ille (*b*) habet, sub illis febribus *non torrefactæ sunt linguæ*, is enim effectus morantis lymphæ acris præsentiæ est, non sanguinis urentis *spiritûs*, quo interim malè afflatæ nerveæ partes, *spasticè* se contrahunt, siccasque dant tusses, sed absque siti, ut enim in pectore fervet maximè sanguis, illic vaporescit magis, minùs autem versùs linguam, utpotè distantem magis, cujusque sitûs sunt & *directionis* aliûs vasa.

Neque pro commento ficto ad arbitrium habebis expositam hîc illam tussiendi rationem, præterquamquòd enim siccam & merè *spasticam* tussim exhibent *hysterici* affectus & *chlorosis*, quò spectat adhuc irritæ tussis genus, fœminis quibusdam sub imminente *mensium* tempore consuetum, solitumque illicò silere, statim atque erupère *menses*, observare quotidianum & vulgare est, sub *ardentibus* & *acutissimis* febribus à tumultuante in pulmonibus sanguine, irritis tussibus importunè vexari ægrotantes, quæ defervente sanguine compescuntur.

APHORISMUS LV.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι φυσεροὶ πάντες κακοὶ, πλὴν τῶν ἐφημέρων.

In bubonibus febres, omnes malæ, præter ephemeras.

Quæ *judicantur aut judicata sunt perfectè finere oportet*, nec *medicaminibus movere*; similiter *critica* si verè sit *apostasis*, cum cæteris morbi malis, febrem quòque cessare oportet, adeout non recurrat; hanc enim reverti, morbidam materiam retractari est, recoquendamque ad incudem quasi revocari, unde *symptomaticam* esse, vique morbi protrusam *apostasin* apparet, non *criticam*, neque naturæ consilio excluſam. Jam verò *bubo criticus* tumor est, victam in se condens materiem morbidam, quàm ut penitùs expediat natura, levi tantum & brevi (qualis *ephemera* est) febre opus habet, quæ ex dolore, aut simili molestiâ febris sit, instrumentumque quo molestantem succum discutiendo, fundendoque amoliatur, ne quemquam offendat *crisis* nomen tumori datum, qui sæpè præeunte morbo nullo, imò florente, ut videtur, sanitate erumpit; nùm enim, inquient, cum sanitate benè convenit *crisis* nomen? victoriæ titulus ille sola post bella debitus. At ut militia hominis vita est, pugna est illius sanitas; conatus naturæ jugis, in iis omnibus amovendis, quæ hostilia forent vel inimicantia.

Indigena corpori humano *concreata* medicina illa est, quæ sanitatis tutelæ præfecta à Creatore, facit ut suo singulis partibus attributo *lymphæ nutritiæ* demenso, cætera quæ vacarent succi illius superamenta, sua quæque per propria *secretoria* excernantur: id officii *glandularum* est, quæ exiles, in-

(a) *Epid.VI.art.II.v.5.* (b) *Ibid.*

innumeræ per viscera universumque corporis habitum respersæ, si huic operi desint, ampliores hîc illîc & capaciores locatæ sunt, ad quas quidquid uberioris aut crassioris per exiliores *glandulas* non potuerit excerni, confertim amandatur; hinc in infantibus quo crescunt tempore, omnia *glandularum, strumarum, scrophularum* genera; in adultis *scirrhi, carcinomata & tuberculæ* pulmonum. Itaque *bubonum* loco *glandularum* tumores intelligi non ineptum fuerit, maximè cùm confirmet artis usus, quantum *glandularum* tumoribus periculi afferat febris, *scrophulis* verbi causâ, *carcinomatibus, scirrhis*, & pulmonum *tuberculis* accedens, quæ cum *phlegmone* dolorem, exindè suppurationem accersit, miserabilem illorum metam malorum: miserabilem, inquam, si attenderis *glandulas* plures, quæ ejusmodi tumoribus serviunt, de *conglobatarum* familiâ esse, illarum proindè, quæ uno vasorum circumplexu compactæ propriis secretoriis defectæ sunt, exitibus ergò, quorum ductu coercita materies suppurando ad exitum posset invitari: unde fit, ut si suppuratio ejusmodi tumoribus contigerit, effringi oporteat glandularum vasa, quarum sic deperditâ substantiâ, *dysepulotica ulcera*, multiplicesque, duros & *callosos fistularum* irremediabiles cuniculos succedere necessum sæpe est.

APHORISMUS LVI.

Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγιγνόμενος, μὴ ἀπολείπων δὲ πυρετὸς, κακόν· μηκύνει γὰρ ἡ νόσος, καὶ ὑγρασίαν πλείω σημαίνει.

Febricitanti sudor superveniens, febre non remittente, malum. Prolongatur enim morbus, & copiosiorem humiditatem incitat.

SUDOR (a) *optimus qui in judicatorio die contingit*, utpotè qui febrem levat aut solvit; unde si à sudore nequidem *remittat febris*, de illarum genere hæc habebitur quæ sudoribus solvi non amant, & quæ prondè *citiùs judicantur, si ægrotus non sudarit*. (b) Itaque cruditatis signum istiusmodi sudor est, proindè diuturnitatis augurium, perit enim in dies ille humor qui ut succorum *vehiculum*, digestionum simul *menstruum* est, cujus defectu lentescens sanguis suas tardat coctiones. Insuper sudor ille inutilis *copiosiorem humiditatem indicat*, idest, *colliquationem*, à quâ cum dissolutæ sint sanguinis partes, coctionis tardatur omne negotium, dissociatis scilicèt succis, quos ad coctionem misceri convenit & adunari, cùm mixtura & subactus coctio sit, quam proindè morabitur divisio rerum: eapropter ad malignas febres maximè pertinet illa quæ *colliquativa* est, sub hâc enim à cæteris sanguinis partibus disjuncto seroso latice, succorum subactus & mixtura impediuntur; hincque coctionis tarditas & defectus, in quibus ratio malignitatis consistit, febrium gravitas, & periculum.

APHO-

(a) *Coac. art. IV. v. 36.* (b) *De morb. lib. II. art. XXXVII. v. 13.*

APHORISMUS LVII.

Ὑπὸ σπασμοῦ, ἢ τετάνου ὀνοχλεμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸ νόσημα.

A convulsione, aut tetano (ideſt, rigore) vexato febris ſuperveniens ſolvit morbum.

FIDAS hîc habes veteris medicinæ reliquias, cùm enim artis illius diſciplina in annotandis naturæ veſtigiis veteribus erat, curandi, ac obſervandi eadem erat illis ſapientia; eapropter tam multa in *Hippocratis* monimentis commemorata reperias, quæ hodie ideò obſoleta ferè videntur, parùm ſaltem cum hominum noſtrorum medicinâ convenientia, quòd cùm morbis diverſus illos teneat medicandi ritus, quam aliam à temporibus *Hippocratis* fecerunt, naturam experiuntur. *Convulſionem*, *tetanum*, *rigorem*, alternè ſe invicem ſolventes vix in medendo tibi comperire licet; in causâ primùm eſt mutata tibi, alienaque ab *Hippocratis* in uſu remediorum temperantiâ curandi methodus, tum conſueta ſanis hodie ægriſque juſſa cibandi ratio, his enim de cauſis mutata morborum facies, diverſa exhibet ſymptomata. Porrò *tetanum* & *convulſionem* febre ſuperveniente *ſolvi*, *talia ſunt quæ per nullam Medicorum ignorantiam* aut ſcientiam fiunt & non fiunt, *ſed ſuâ ſponte ac fortuito caſu contingentia*, *& proſunt & nocent*, *juxta eandem rationem*; (*a*) hâcque de causâ vera ea ideòque ſpectabilia, ſed à naturâ magiſtrâ, non ancillante, non coactâ expectabis.

Itaque ejuſmodi *ſolutionum* morbi aut *judicationum* ſuprema ratio, naturæ ſuprema lex eſto, hancque exhiberet ſemper niſi turbaretur animalis œconomiæ rerum ſeries & neceſſitas, quæ ſic ſe habet. *Tetanus*, *tonicus* eſt *muſculorum ſpaſmus*, ab æquabili factâ in alternantibus *muſculis* ſuccorum *ſtaſi*, commiſsa à fortiùs adacto illùc ſanguinis impulſu: hujus autem qui *fluidorum* eſt impulsûs vim totâ ſuâ quâ valent *reſiſtentiâ* tolerando, *ſolida* ſtimulantur, *elaterem* erigunt, unde *ſolidorum* in *fluida* niſus, conamen, febris, quæ *ſtaſin* ſanguinis ſolvendo, *tetanum* ſolvit. *Tetanum* fortè comitabitur jam accenſa febris? ſimili ratione *tetanum* hæc *exacerbata* (*b*) ſolvet, nùm *eâdem vel poſterâ*? ſaltem *tertiâ die*. (c)

(a) *Hip. de morb. lib. I. art. VI. v. 15.* (b) *Coac. art. III. v. 84.*
(c) *Ibid. art. I. v. 232.*

APHORISMUS LVIII.

Τῷ καύσῳ ἐχομένῳ, ἐπιγινομένου ῥίγεος λύσις γίνεται.

A febre ardente detento, à rigore superveniente solutio fit.

QUANTÙM febribus periculi veniat à *spasmodicis* aut *tendinum* subsultibus compertum est atque confessum, impotentis enim ac depressæ naturæ signa sunt, morbidique *erethismi* testimonia; febri verò ardenti (ubi superat *solidorum elater*) superveniens *rigor*, prædominantis in *fluida* potentiæ opus est, quo discussis *fluidorum stasibus*, mitescit ardor, qui calefaciendo succos digerit, subigit, coquit: *solvitque febrem*. Ut autem *crisis* genus est isthæc *solutio* morbi, hanc in tantùm obtinebis, in quantùm suis motibus naturam sinere noveris, quos medicationum ausis miscendo aut prævertendo, pro *rigore judicatorio* & solvente, crudos proferes, ideſt, cruditatis testes, *spasmodicos* nempe *solidorum saltus* aut *convulsivos* tremores: dùmque in *hæmorrhagiam* salutarem desinit, naturæ ductu succedens ille *criticus* rigor, in perniciem abeunt arte improbâ commissæ illæ *spasmorum* motiunculæ.

APHORISMUS LIX.

Τεταρταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ὅτι ἑπτὰ περιόδοισι τὸ μακρότατον.

Tertiana exquisita in septem ad summum circuitibus judicatur.

EXQUISITAM habeto tertianam febrem, quæ erit à bile profecta, aut ab evecto plurimùm sanguine, quæ suis circumscripta sit metis, suisque periodis constanter ordinata: in illâ non unas, non dubias, sed multiplices & certas observare est *pepasmi* causas, scilicèt in *solidis* robur & imperium, fluxilitatem & obsequium in *fluidis*, in utrisque concentum ad motus & facilitatem; omnia ergò ad tritum subactumque perbellè comparata: quibus si addas viarum facilitates, libera humorum commercia, indeque celeres & expeditos sanguinis circuitus, quæ omnia ex naturæ vi, ordine & constantiâ intelliges, omnia habebis ad brevi futuram morbi solutionem necessaria; talis est quæ septenario *paroxismorum* numero continetur, hoc ergò exacto, miri nil erit tertianam *judicari*, duce ac magistrâ naturâ, cujus motus erunt morbi symptomata. Talem ergò febrem nactus Medicus, de medicaminibus sollicitus minùs, de diætâ cogitabit, cætera providendo, quæ *fluida* diluant, leniant *solida*, vias referent, arceant obices, impedimenta tollant, in quibus conquiescendo non frustrà expectatam febris *solutionem*, præstituto tempore factam, vel nullâ etiam sensibili vacuatione datâ, stupens & gaudens videbit.

APHO-

APHORISMUS LX.

Ὁκόσοισιν ἀῤῥ ὦν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἀπὸ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐπαράχθῃσα, λύῃ τὸ νόσημα.

Quibus in febre aures obsurduerint, his sanguis è naribus effluens, aut alvus exturbata morbum solvit.

ARGUMENTUMNE lucidius? morbos aliud esse nihil præter elocatos humores, laudabiles quoque eos aut benè moratos, qui à propriis sedibus deviando ad alienas asportantur: sic qui abdominis viscеribus debitus sanguinis vortex, illùc deprimi amasset, si ad cerebrum sublimatur, tunc exaltatus nocet qui profuisset demissus; *bilis* enim sic exul, cerebrique organis peregrina, in illis ostiliter hospitando, molestat, unde *surditas*, quæ ad alvum deturbatâ *bile* sanescit. Ipse sanguis ad cerebrum raptus, si aures invasit, remedio *hæmorrhagia* erit, hæc enim publico circulationis confluvio redditam significans, quæ ad cerebrum abrepta fuerat, sanguinis portionem, sanitatem ostendit. Hoc certè in casu obvia venit *indicatio* medendi, scilicèt ad ima deturbandi humores; sed ut ità se res habet, observabile etiam est non propriis pennis ad cerebrum avolasse humores, nec illùc propriâ virtute conscendisse, sed *solidorum* potentia fuit, quorum inversâ *peristole*, sursùm factus fuit qui deorsùm ibat *fluidorum* cursus; ad *fluida* ergò minùs quàm ad *solida* convertendam esse *indicationem* meminerit Medicus, benè aliundè memor, stimulantia omnia medicamina, quæ revocandis à cerebro *fluidis* apta nata viderentur, potentia ea esse ad *erethismum*, omninò proindè facta ad invertendam *solidorum peristolem*, ad adjuvandam ergò semel cœptam *fluidorum determinationem*, firmandamque morbi causam.

APHORISMUS LXI.

Πυρέσσοντι, ᾧ μὴ ἐν ἀρτιαίοισιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποτριτάζειν εἴωθεν.

Febricitanti, nisi in diebus imparibus dimiserit febris, reverti solet.

FEBRIS quæ *diebus imparibus* exacerbari solet, solet reverti, nisi *imparibus* diebus dimiserit; quæ Aphorismi hujus legitima interpretatio est; secùs erit si *paribus* fiant exacerbationes, tunc enim *paribus* (a) febres judicantur: sic quia *accessiones diebus paribus invadebant plurimos in constitutione* (b) *pestilenti . . . . plurimi quoque qui perierunt ægri, sexto die defuncti sunt*, ut *Epaminon*, *Silenus*, *Philiscus*, (c) *Pithio*, *Lariſſæa virgo*, apud

(a) *Lib. I. epid. sect. III.* (b) *Epid. lib. III. sect. III.*
(c) *Lib. I. ibid.*

Hippocratem. Ut ergò concedendum maximè *verendos esse impares dies*, (*a*) agnoscendum etiam, *febres quæ diebus paribus invasionem habent, paribus solere decerni*, (*b*) vel judicari. Hinc admonemur ad naturæ rhythmum ut curationem ità & *prognosin* Medici componendam esse, natura quippè una est quæ curat aut medetur, unde quæ non illâ duce succedunt, infida sunt, vel irrita, quâ de causâ consanescere se non putat ægrotans, quantùmvis bellè aut commodè habere videatur *remissionis* aut *intermissionis* diebus, his enim ad judicandum uti natura non suevit, at simulatque semel tantùm vanescere cœpit quæ consueverat exacerbatio, de redivivâ sanitate lætatur.

APHORISMUS LXII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίνονται πρὸ τῆς ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν· (λῦ μὴ ξυῤῥύσιες ὑγρῶν κατὰ κοιλίην γένωνται.)

Quibus in febre morbus regius supervenit antè septimum diem, malum est. (Nisi confluxus humorum per alvum fiant.)

Febricitanti *quidem & bilioso, si bilis suo tempore dispersa fuerit, bono est*; (*c*) tempus autem illud antè septimum diem in febribus non accidit ægroti bono, nisi fiat *confluxus humorum per alvum*. Unde apud *Hippocratem quosdam* habes *sexto die prehensos morbo regio*, (*d*) *quos per vesicam expurgatio aut commota alvus*, aut longa narium *hæmorrhagia sublevavit*; *quale quid Heraclidæ contigit*, quippè qui largum *è naribus sanguinem profudit, & alvum conturbatam habuit, & per vesicam purgatus est. At Phanagoræ famulus, cum nihil horum illi supervenisset, periit*. (*e*)

Similiter *Hermocrates sexto die auriginosus factus, obiit*. (*f*) Unde authore *Hippocrate*, *bilis sub cutem effusa ac dispersa, ægro toleratu facilior & Medico curatu promptior*; *in unam autem aliquam partem incumbens malo est*. (*g*) Cogitet ergò Medicus in curandis biliosis morbis, tempus esse quo bilis à sanguine secedit, vel ad hepar, quòd tutum minùs est, nisi simul fiat humorum confluxus, maximè si antè septimum diem fiat isthæc *apostasis*: vel secedens bilis, sub cutem effunditur, quod tutum magis: ex quibus intelligendum est, ponendam medentis curam in pandendâ, dispergendâque bile, diluendo eam, ut dilatata in nullam partem recollecta decumbat, ne ullam impetu perdat aut mole; vel ut mitificata, idoneoque donata vehiculo, molliùs & cicurata aliquò confluat, fugiatvè.

APHO-

(a) *Lib. de acut. p. 387.*
(b) *Lib. I. epid. sect. III.*
(c) *Lib. III. de morb. p. 433.*
(d) *Lib. II. epid. p. 961.*
(e) *Ibid.*
(f) *Epid. lib. III. sect. I.*
(g) *Lib. III. de morb. p. 433.*

APHORISMUS LXIII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur.

Qui *continui* (a) *sunt rigores qui imbecillo jam corpore* (b) *fiunt ....in febre quæ nullum ordinem servat ....* (c) *cum ephydrosi*, (d) *pravi .... lethales .... funesti .... maligni*. Igitur non continui sed periodici rigores, regulares & ordinati, vegeto corpore in sudores calidos & uberes desinentes, boni. Ejus conditionis rigores sunt, qui hîc laudantur; verè *critici*, quales qui febribus intermittentibus proprii sunt. Enimverò quemadmodùm febres dantur, continuæ nimirùm quæ humores cumulando sensim digerunt, sed quos coctos semel & simul *criticè* excernunt; dantur & aliæ intermittentes nempè, quæ factos hostiles succos confestim, dùm cumulari incipiunt aggrediuntur, celeriter coquunt, illicò dissipant & discutiunt, partitis tamen vicibus datisque intervallis, sub quibus cumulata materiæ portio nova, novæ serviat excretioni. Hæc autem excretio *systalticæ solidorum* virtutis opus est, ad quod accingendo se *solida*, *elateres* ingeminant suos viresque recolligendo, nituntur fortiùs, crebriùs oscillant, iteratòque nitendo rigent; hinc *critici* rigores, quotidiana nervorum conamina, quæ quotidiè terendo febriles succos, quotidiè deterunt, solvuntque febres.

APHORISMUS LXIV.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐννάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτερος ἐπιγίνεται, ἀγαθόν, ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ· ἢν δὲ μὴ, οὐκ ἀγαθόν.

Quibus in febre septimâ, aut nonâ, aut undecimâ, aut quartâ decimâ morbus regius supervenit, bonum est: nisi dextrum hypochondrium durum sit: alioqui non bonum.

Tam suspecta sunt & ambigua supervenientis febribus *icteri* bona! quandoquidem fortunatis etiam aut *criticis* diebus ille contingens, periculo non vacabit si durum fiat *hypochondrium*. Observat enim *Hippocrates* ad *icteri* felicitatem facere *rigorem* (e) quia sic stipatus *febrem solvit* feliciùs, cùm

---

(a) *Coac.*21. (b) *Coac.*9.
(c) *Ibid.*26. (d) *Ibid.*20.
(e) *Lib.de acut.p.*391.

cùm ille *rigor*, naturæ roboris indicium fit, partium *eutoniæ* signum, quæ irruentium in se humorum impetum fortiter sustinendo, eò alacriùs insurgunt, ringendo in eos, quod illis *rigere* est aut rugari, suas nempè crispando fibras, ut appellentes ad se pellant succos. Sic fit, succeditque feliciter laudatus modò ab *Hippocrate humorum* cum *ictero* superveniente *confluxus*, qui vegeta nacti, firma, parataque *secretoria*, foràs se proripiunt, alterutramque laudatarum ad *Hippocrate* evacuationum aperiendo, *diarrhœam* dant, *perirrhœam* aut *hæmorrhagiam*, unde *icteri* securitas.

APHORISMUS LXV.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι ἢν τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν, ἢ καρδιωγμὸς, κακόν.

In febribus circà ventrem æstus vehemens, & oris ventriculi dolor, malum.

SANITATI infestum nihil magis, quàm sanguinis motum *progressivum* tardari, unde quippè *intestinum* nasci aut augeri necessum est: hunc autem attestatur in morbis *circà ventrem vehemens æstus*, qui sanguinis illic stagnati, morâque suâ ferventis effectus est. Sed id mali oritur ex labefactato sanguinis circuitûs ab *habitu* ad *centrum* corporis æquilibrio, nempè simul auctis motuum *potentiis* in centro, simulque factis majoribus in *habitu* eorumdem motuum *resistentiis*, sicque cum *solidis* æquilibrari cessantibus *fluidis*, horum intrà viscera *stasis* fit: hâcque de causâ sub febre auctâ cordis *systole*, ad majora vasa pellitur sanguis uberior, sed hic majorem angustis vasorum habitûs diametris objiciendo molem transmeare nescius remeat, in seque refluus congeritur in viscéribus: intereà qui in vasis habitûs circumagi indiget sanguis cordis impulsu viduatus, graditur lentus, tarduque regreditur; utrinque ergò resultant *stagnationum* causæ, intrà viscera imprimis, ubi coercitus sanguis multus, *phlegmonoden* committit *stasin*, quæ ad ventriculum se diffundens, nerveam illius compagem, qualis potissimùm circà os illius est, lædit admodùm, eò serpente eâdem inflammationis noxâ. Hinc *cardialgiæ* sensus, qui in morbis periculi non levis argumentum semper & nota est.

APHO-

APHORISMUS LXVI.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσιν ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ, καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

In febribus acutis convulsiones, & circà viscera dolores vehementes, malum.

VISCERUM offensa major, quæ non in unis *fluidis* consistens ad *solida* pertingit, tunc enim *solidorum phlogosi* natâ *spastica* nascitur fibrarum *diathesis*, doloriſque fit & *spasmi* quod inflammationis malum erat. Porrò non adeò difficilis est noxæ *fluidorum* ad *solida* transitus, seu sanguinis ad nervorum *lympham*, animadvertendo enim in nervorum fibrillas desinere arteriarum capillamenta, adeout utraque continua sibi sint, ductûsque aut fili unius, proclivis videtur sanguinis noxæ in nervos ingressus, sicque sanguinis vitio infici facilè posse *lympham* nervorum. Ad hæc à suis habent *tunicis* aut membranulis nervi unde condolescant, tunicæ enim sanguinalium arteriarum ad nervos progrediendo his continuantur; unde *arteriarum* ad nervos oscillantium communiones: sed si hæc pauca videbuntur, menti venient in conspectum, cogitanti ut ab uno & eodem arteriæ principalis stipite exeunt hâc illâc arteriales ramuli, qui hinc rubram, illinc albam efferunt sanguinis partem, sed alba nervorum inquilina futura est, igitur à principe fortassis arteriâ, mediantibus istis lymphaticis arteriis, meat in nervos: posthàc *phlogosin*, quæ sub *acutis febribus* dominatur transire ad nervos, hincque *dolores* & *spasmos* seu *convulsiones*, magno ægrotantis malo, succedere posse quis non videt?

APHORISMUS LXVII.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι, ἢ σπασμοὶ, κακόν.

In febribus ex somnis pavores, aut convulsiones, malum.

ALIAS (*a*) expositum est, ut nocet aut juvat somnus: ipsis iisdem de causis mali sunt *ex somnis pavores*; circulationem enim sanguinis, quam sub somnis pacatam fieri convenit, tumultuosam tunc esse indicatur; meliùs, non tacitam illam esse, nec æquabiliter per penitiores cerebri medullas, ut in naturali somno, sed diffusam, imò confusam, totâque mole suâ *corticali* cerebri substantiæ accubantem quasi & affusam, quam gravat, premit, molestat, non subit, nec meat; unde *stasis phlegmonodes* sanguinis, sicque ab oppresso non rorato cerebro somnus. Sic autem impeditis in cortice cerebri, obstructisvè primoribus nervorum radicibus, à tenore suo & serie recedit, titubatque in medullaribus fibris lymphæ nervorum motus, inde

pavo-

(a) *Aph. 1. sect. II.*

pavores, qui turbarum quæ oscillationibus contigêre, effectus cùm sint, *spasmos* ceu *convulsiones* inducunt aut prænuntiant.

APHORISMUS LXVIII.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακόν· σπασμὸν γὰρ σημαίνει.

In febribus spiritus offendens, malum; convulsionem enim significat.

STUPENDUM quanti fiat ad *prognosin* respirationis conditio! unde in morbis utut gravissimis tamdiù alenda spes aut non abjicienda, quamdiù sibi respiratio constat, ità tamen ut in procinctu prodat se periculum, statim atque *offendens* fit *spiritus*; *magnus* nempè, *densus*, (*a*) faucibus illidens, (*b*) quibus, quod comperit usus, *rarum* addes, tardantem & intercisum, his enim omnibus rationibus immutata perversaque respiratio, præterquamquòd impediri cœptum in pulmonibus sanguinis circuitum ostendit, *nervorum distentionem*, (*c*) seu *convulsionem*, *spasmum* videlicèt aut *spasticam* contractionem, quâ ipsi premuntur pulmones, quamque, utpotè nervei toti, universo generi nervoso communicant.

APHORISMUS LXIX.

Οἱ οὐρόσοισιν ὕδατα παχέα, θρομβώδεα, ὀλίγα, οὐκ ἀπυρέτοισι, πλῆθος ἐπελθὸν οὐκ ὑπτίων λεπτόν, ὠφελέει· μάλιστα δὲ τὰ ἰσιαδέα ἔρχεται, οἵσιν ἐξ ἀρχῆς, ἢ ἐξ ὀλιγοχρόνου, ὑποστάσιν ἴσχει.

Quibus urinæ crassæ, grumosæ, paucæ, non sine febre, copia ex his succedens tenuis, juvat. Tales autem maximè prodeunt, quibus ab initio, aut brevi, subsidentiam continent.

URINÆ, sanguinis elutia, eluentes quippè sanguinis recrementa; verè lixivium, quo elotus sanguis purgatur & nitet; *digestionum* ergò & *coctionum* urinæ sunt non temnenda notacula, *solidorum* perfecti tritûs, fluidorumque tenuationis & subactûs absoluti testimonia. Igitur quæ sub febribus *paucæ* fiunt, *crassæ*, *grumosæ*, succi nutritii triti ruditer, tenuati malè & imperfectè cocti superamenta sunt, tertiæ coctionis inabsolutæ argumenta. Naturæ laborantis infeliciter signa erunt illaudabilia, emendabilia tamen, succedente succorum penitiori attenuatione, quam significat superve-

(a) *Hip. de vict. acut. art. XXI. v. 21.* (b) *Cels. p. 64.*
(c) *Ibid.*

veniens urinæ tenuis *copia*, quæ subactûs succorum perfecti nota erit. Præcipitantiæ autem cujusdam & diligentiæ præcocioris signum est properantis naturæ, quæ vel ineunte morbo, vel saltem præmature coctiones accelerare aggrediens, spurias ejusmodi *subsidentias* profert aut nothas *hypostases*, quas interim emendat, liquando ulteriùs quos præproperè quassando malè glomeraverat succos.

APHORISMUS LXX.

Ὁκόσοισιν δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀνατεταραγμένα, οἷον ὑποζυγίων, τουτέοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

Quibus autem in febre urinæ conturbatæ sunt qualis jumentorum, his capitis dolores aut adsunt, aut aderunt.

USûs hæc *Hippocrati* observatio fuit; ut ex multis *epidemiorum* (*a*) ægrotis colligitur, tum ex pluribus librorum illius locis, (*b*) ubi legitur consuetas fuisse *decolores*, *albas* & *turbatas* seu *densas* urinas iis qui *phrenitide*, capitis dolore, & *convulsionibus* tentati sunt; urinæ autem sub his casibus ideò *decolores*, *albæ* & *turbatæ* sunt, quia bilis ad cerebrum & nervos raptus factus est, ut ergò impeditâ in jecore bile sub ictero albescunt alvinæ fæces, similiter ad cerebrum sublimatâ bile, tingi urinæ cessant; *densæ* autem prodeunt & *turbatæ*, defectus enim bilis conditurâ chylus, pinsitus inconditè, malè diffusus, crassusque innatat sero, turbidasque urinas profert, albas, *jumentorum urinis* similes.

APHORISMUS LXXI.

Ὁκόσοισι ἑβδομαῖα κρίνεται, τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, καὶ τἄλλα κατὰ λόγον.

Quibus morbi *septimâ* die *judicantur*, *iis nubeculam rubram urina* die *quartâ continet*, *& alia secundùm rationem.*

QUARTUS dies septimo judicaturo præludit; hujus enim faustam *crisin* ille præsignat, rubente nubeculâ, quam tunc urinæ produnt, modò tamen convenienter, idest juxtà naturæ ritum cætera se habeant. De urinarum enim rubore observabis, sitnè inflammationis vel *pepasmi* signaculum; hunc ostendit cum rubore nubecula, comite naturali rerum ordine, unde vincentem intelliges naturam; illam significat ardens color

X uri-

(a) *Epid.lib.VI.art.LIV.* (b) *Coac.v.25.prædict.lib.I.ar.I.v.5.ar.II.v.6.*

urinarum sine nubeculâ rutilans, perditâ simul naturali rerum serie, unde tuentem se malè naturam agnosces & symptomatum vi subditam. Sub priori casu, ruboris causa est *evectio bilis*, quæ febrili tritu evolvi cœpta digeri incipit & ad *pepasmum* progredi; ut enim sub sanitate flava bilis illâ quâ valet energiâ, naturales alit motus, *evecta* & rubens sub morbis, coctionum adjuvat labores aut accelerat. Quarto autem die in *acutis* rubet bilis, idest, coqui incipit, ut enim quibusdam rebus coquendis aut elaborandis sui sunt ignium gradus, ità quoque terendæ ad coctionem bili aut digerendæ, quatuor opus sunt dies. At hæc nè ad solam se referent curiosæ mentis indaginem? imò ad artis usum; in *acutis* ergò urinas sedulus explorare curabit Medicus, qui naturæ gressus à morbi laboribus voluerit internoscere, intellecturus quo modo stimulari indigeat aut tardari natura.

APHORISMUS LXXII.

Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα, λευκά, πωνηρά. μάλιστα, δ' ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται.

Quibus urinæ pellucidæ, albæ, malæ. Maximè autem in phreniticis *observantur.*

SUB morbis, à suo circuitu descîscens sanguis ad cerebrum aliquandò rapitur, vel indivisus, totâ nempe suâ non dissociatâ mole; vel dissociatus, suâ nimirùm *volatili* ceu biliosâ parte: si priùs, serum succis exutum urinas pellucidas dabit, limpidas, aquatas, ut habet hic *Aphorismus*, si posterius, succis corporatum serum, sed bile viduatum, urinas proferet albas, *turbatas*, *chylosas*, qui casûs Aphorismi LXX. est. Porrò *pellucidæ* malæ sunt urinæ, tùm quia hinc cruditatis aut languentis *pepasmi* signum habetur, tùm quia suo in circuitu hærentis in cerebro sanguinis est argumentum, unde *diathesis meningum phlegmonodes*, à quâ phrenitis.

APHORISMUS LXXIII.

Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγινομένου, αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

Quibus hypochondria elevata sunt, *murmurantia*, *dolore lumborum superveniente*, *his alvi humectantur*; *nisi flatus eruperint*, *aut urinæ copia prodierit*. *In febribus autem hæc*.

GRAVIS ad artis usum momenti documentum! perpetuus sit oportet medentis cogitatus circà humorum conversiones, inclinationes aut *ver-*

vergentias, ut ex compertis naturæ motibus, feliciter agendi captet apprehendatve occasiones; quibus excubiis ne desit unquam, in explorandis partium & viscerum *tono*, statu, flexibilitate & mollitudine sedulus erit atque providus, cogniturus quâ parte se laxabunt partes, *crisin* prodituræ. In hanc cognitionem ducit *hypochondriorum* exploratio, si enim *elevata* fuerint, sublimia, extuberantia, tensa nullatenùs nec dura, non inflammata, non tenera dolore, tumentia ergò, mollia tamen, tractabilia, quasi exsufflata, comitibus *borborygmo* lumborumque dolore, accingentis se ad *crisin* naturæ apparatus hic omnis erit, proficuus & salutaris futurus si *subdescenderit* (a) *ad infernos locos*; quod in suis *directionibus* & ordine pergere oscillationes naturales argumentum est, *criticè* proin venturam alvi laxitatem. Fortè an in ventum ibit omnis is labor, nihilominùs ægroti bono, his enim rationibus vel flatus erumpens, illius fit levamini, ideò quòd à solutâ partium *spasticâ diathesi* prodire illum significatur. Nec infelicis fuerit augurii, si *perirrhæa* succedat, quantumvis enim hanc omine *diarrhæa* vincat, ducenda tamen in bonis, utpotè cum protegentis se aut expedientis naturæ conamen sit & consilium.

APHORISMUS LXXIV.

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ, καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γιγνόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίγνεσθαι. ἢν δὲ καὶ τῶν ῥινῶν αἱμοῤῥαγήσῃ, καὶ πάνυ ταχὺ λύεται.

Quibus spes est abscessum fore ad articulos, eos abscessu liberat urina multa, & crassa, & alba reddita, qualis in febribus, cum lassitudine, quartâ die quibusdam fieri incipit. Si verò etiam ex naribus sanguis eruperit, brevi admodùm solvit.

DE abortivis ceù malè *judicatis* febribus intelligendus venit hic Aphorismus, in quibus anceps aut dubitans natura hujus vel illiusmodi viâ vel evacuatione expedire se nititur. Sub hoc conamine hîc vel illîc facto doloris alicujus sensu, abscessus expectatur ad illas venturus partes, quo declivis maximè fit humorum confluxus, quales articuli sunt, quos infirmioris *toni* reddit motio jugis: talis tamen abscessûs metum removet *urina multa, crassa* & alba, succo nempe fœta nutritio, qui cùm *apostasi* pro fundo aut materiâ sit, abscessûs fomites aut alituram effert, unà cum *urinâ multâ* eliminatus. Peritus autem observandi *Hippocrates*, suam hanc ab exemplo confirmat observationem, febris nempè quam *lassitudinis* (b) aut *lassitudinosam* (c) vocat, cui non infrequens est isthæc urina *alba, crassa, multaque* quartâ die illi superveniens, quæque *abscessui* medetur in antecessum.

(a) *Prænot. X. v. 17.* (b) *Epid. lib. VI. art. IV. v. 3.*
(c) *De humor. XI. 13.*

Sed *lassitudinis* ille sensus, rationem prodit propter quam *abscessum* antevertit *urina crassa & alba*; hæc enim *lymphæ* relidis nutritiæ fœtura est, ejusdem ergò ipsius nutritii succi soboles qui in partibus segnescendo lentescens, lassitudinis parit sensum. At quod hîc sedulus annotabis; quod exequitur *crisis* genus evacuatio urinæ, hoc ipsum breviùs absolvit sanguinis per nares evacuatio: ideòne quòd in evacuationum negotio perindè foret partem sanguinis *albam* aut *rubram* eliminari? contrarium suadebit *Aphorismi* hujus doctrina, quod enim *brevi admodùm morbum solvat sanguis naribus erumpens*, in causâ est sanguinis rubræ partis in sanando præpollens vis, suâ enim calente energiâ liquando, dissolvendoque partem albam, quæ stando, stagnandove alebat morbum, ablegando se ablegat meliùs quæ hærebat morbi causam.

APHORISMUS LXXV.

Ἢν αἷμα, ἢ πῦον ἐξέῃ, ἢ νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis *sanguinem*, *aut pus mingat*, *renum*, *aut vesicæ exulcerationem significat*.

IN urinarum morbis, *non tibi imponat vesica* . . . . (a) sæpè *enim non totius corporis*, *sed ipsius vesicæ per se est indicium*. (b) Juxta suam hanc doctrinam admonet *Hippocrates* vesicæ vitio mingi pus aut sanguinem, hocque vitium *exulcerationem* nominat; eânè ratione quâ *omnes corporis morbos ulcera* (c) vocari præcipit? huic enim opinioni *probabilitatem* (d) asseri vellet. Hinc saltem observabis ulceris nomen generalem esse vocem, designantem vim quamdam *secretoriis* vasis illatam, quæ aliud à partium depastione aut *erosione* esse potest, hocque vocis erratum cadit in vesicam & renes, quos ulcerationis nomine infamari tritum & vulgare nimium est, ubi *puriformes* videntur urinæ. Dolus venit ab excretorum specie, si in urinis *albæ* sint, *æqualia* & lactea, tunc enim puris facie ludunt oculos, maximè si, quòd non infrequens, *phlegmone dolores & rigores* præcesserint, enimverò quid promptum magis, quàm ex illis concludere, *pus esse factum*? pro discerniculo autem hîc erit excretorum ubertas, tanta in his quos exponimus spuriis ulcerationibus, ut non rarò ad cyathos plures ascendat, cui addendo excernendi quâ illa excreta prodeunt facilitatem, palàm fiet, alium ab ulceratione fontem aperiri, unde scaturiat tanta urinæ lactescentis copia; sed fontem illum offerunt *lymphaticæ arteriæ*, seu tubuli renum *excretorii* & arteriaci, quorum diametri præ eliquatorum succorum impetu nimiùm hiscere coacti, *sero* sanguinis non soli, quod innatum illorum officium est, exitum concedunt, sed ipsimet chylo viam aperiunt, urinasque fundunt lacteas; quibus si pu-

(a) *Prænot. p.* 48. 49. (b) *Ibid.*
(c) *Lib. de fractur. p.* 308. (d) *Ibid.*

puris præconcepto errore, *balsamica*, *vulneraria*, *diureticave* perperàm objeceris, *currenti calcaria addideris*, *colliquationis* enim elevaveris vim, cumulaveris malum, sævius hinc aut insanabile factum. Sub hoc enim morbo, *venæ laborant*, ut *habet Hippocrates*, (a) quasi diceret, à sanguine qui in vasis continetur, venit *puriformium* ejusmodi urinarum causa, *colliquatio* videlicèt, quam tractare *diureticis*, *præcipitantibus*, aut fundentibus remediis, igni ignem est adjicere. Tanti est in definiendis curandisvè renum & vesicæ ulcerationibus judicium!

APHORISMUS LXXVI.

Οἱσίσιν ἐν τῷ ὕρῳ ψαχὶς ἐόντι σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

Quibus in urinâ crassâ existente caruncula parvæ, aut veluti pili unà exeunt, his de renibus excernuntur.

CARUNCULÆ . . . . *veluti pili, in urinâ crassâ.* Multiformia pereuntis propriæ membranarum substantiæ strigmenta, utpotè membraneis partibus non insueta; hæ enim ubi acriori *lymphâ* allui cœperunt, solent in partes divelli, ponereque exuvias, quæ hâc vel illâ lacerarum membranularum, *filorum*, *pilorum & caruncularum* formâ decidunt & separantur. Exemplo sunt intestina, quæ sæviente *dysenteriâ*, non inevidentes membranarum portiones à se ablegando depelliculantur; pulmones testes, qui tabe depasti, non obscuras fibrarum particulas tussi extundunt; sed rem ossa evincunt, quæ ut primo ab ortu membranea fuerunt, ità quoque ubi læsa sunt, *exfoliantur* vel desquammantur. Isthæc ergò omnia membranarum ramenta, *apozyrmata* sunt, à depastis nempè *solidis* deciduæ partes, exulcerationum, aut *solutæ partium unitatis* fœturæ. Causam refundit *Hippocrates* in *renes*, reverà enim urinas secernunt, quæ descendendo vitiatæ & acres ad vesicam, hujus offensis contribuunt non mediocriter, nihilominùs tamen omnis membranei generis ad urinæ loca pertinentis culpâ quoque aut noxâ oriri potest illud omne ramenti genus, illùc ergò quoque non incerto spectabit, fortè etiam ad *ureteres*, at ad ipsam certè *vesicam*.

APHO-

(a) *De nat. hum. art. XXVI. n. 4.*

APHORISMUS LXXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ πάχος ἐόντι, πιτυρώδεα ξυνεξυρέει, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωρᾷ.

Quibus in urina crassa existente furfuracea simul minguntur, iis vesica scabie laborat.

FURFURACEA. Strigmentorum genus vesicæ proprium, vera illius desquammatio, quâ detrita illius substantia, *laminosas* (a) sui exuit particulas, illis squammulis similes quas à cute deterit scabies. Hîc ergò aspredinem quamdam concipies succingenti interiùs vesicam tunicæ inductam, hancque natam à salinis aut salsis quas urinæ vehunt compaginibus, à quibus alluvia interior vesicæ superficies durescit, rugatur, & aret: intereà adunata malè eò appellens, aut *assimilata* minùs nutritia *lympha*, in squammulas aut furfures secedit.

APHORISMUS LXXVIII.

Ὁκόσοι ἀπὸ τωυτομάτου αἷμα ἔρευσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥῆξιν σημαίνει.

Qui sponte sanguinem mingunt, his à renibus venæ ruptionem significat.

HÆRET non rarò medentis animus, in definiendo unde excernatur qui cum urinis prodit sanguis, sed discerniculum hinc accipies, qui enim à renibus descendit sponte mingendo erumpit, micturiendo enim redditur qui à vesicâ venit aut partibus adjacentibus. *Quibuscunque urinæ* (b) *cruentæ sunt, illis venæ laborant*, ideſt, majora vasa quæ appellunt ad renes quò confluente uberiùs sanguine, *stasis* fit, mole cujus aut pondere fractæ vasorum resistentiæ, irrumpenti sanguini victas manus dant & aperiunt vias. Non sic de urinarum sanguine, qui à vesicæ parietibus venit, quantitate paucior est & dolore sævior, acrimoniâ pungens, rosione lancinans, locorum urinæ vitia prodens aut promens offensas.

APHO-

(a) *Hip. prænot. art. XI. v. 8.* (b) *De nat. hum. art. XXVI. v. 4.*

APHORISMUS LXXIX.

Οἱσίσιν ἐν τῷ ὕρῳ ψαμμώδεα ὑφίσαται, τουτοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ.

Quibus in urinâ arenosa subsident, illis vesica calculo laborat.

VULGUS (a) *Medicorum, quod non intelligit morbum ubi videt arenam, putat vesicam calculo laborare; at non vesica sed ren lapide laborat.* Hîc igitur *Hippocratem* in vulgi errorem impingere crediderit nemo, de quo Medicos aliàs ipse admonuerat, hoc *Aphorismo* insuper innuens, arenam urinæ, calculi vesicæ vel præsentis indicium esse vel futuri præsagium; *ren*, inquit, *laborat*, à valis nempè jugiter accipiendo arcana calculi germina. Itaque ab arenosâ urinâ concipere datur calculi præsentis non quidem semper, sed semper præsens, conceptumque ipso in sanguine seminium. In indagandâ autem seminii hujus ratione sic habet *Hippocrates*. (b) *Hic morbus fit à pituita, cum ren susceptam in seipsum pituitam non rursus dimiserit, sed in ipso in tophum concalluerit, & fiunt ex ea tenues arenulæ.* Aptioribusnè verbis adumbrari poterat renum *secretionis* vitiatæ ratio, hincque secuta arenularum & calculi *genesis*? pituitæ nomine indigitam habes sanguinis *lymphan*, seu *lymphæ* nutritiæ superamenta, quæ malè tenuata, excepta urinæ vehiculo, ad renes excernenda amandari solent. Sed hæc *susceptæ* in seipsum *ren non dimittet*, si densati nimiùm & *spasmodice* stricti *secretorii* illius tubuli præcluserint vias, tunc enim *in tophum occallescunt* compressa isthæc & angustata *lymphæ* superamenta, quæ malè tenuata in *tenues arenulas* abeunt. Porrò si ulteriùs investigaveris hujus arenularum seminii causas, invenies, in universali *solidorum* totius corporis ascititiâ vel natâ *spastica diathesi*, quâ stricta nimis *transpirationis* & cætera *lymphæ secretoria*, plura ad renes mittunt excernenda, quæ dictam ob rationem *non dimittendo*, in *tophum* convertunt aut arenulas.

APHO-

(a) *De intern. affect. art. XV. v. 10.* (b) *De intern. affect. XV. 121.*

APHORISMUS LXXX.

Ἢν αἷμα ἐρέῃ, καὶ θρόμβους, καὶ στραγγείλιον ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸ αἰδοῖον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονέει.

Si quis *sanguinem mingat & grumos, & urinæ stillicidium habeat, & dolor incidat ad imum ventrem, & interfœmineum, partes circà vesicam laborant.*

UBERIÙS à renibus ad vesicam prorumpens sanguis præterquamquòd magna hiasse vasa & gravissimam inductam fuisse *stasin*, indigitat, suâ sit copiâ, suoque in vesicam pondere, ut hujus vincens *systalticam vim*, exprimi foràs & excerni nequeat, hinc mora illius & stagnatio eò periculosior, quòd in peregrinum illud sibi corpus *spasticè* eluctando molestati vesicæ parietes, incassum oscillent, quassandoque densari pronum liquorem, elabique nescium, stringunt *in grumos*: at eâdem miserabili operâ, hostilique illo hospite incensa vesica, *phlegmonem* concipit, unde *stillicidium urinæ*, necessarium *inflammationis* consectarium, cui condolendo malè stimulatæ vicinæ partes, molestias mille vesicæ cervici, *interfœmineo & hæmorrhoidum* locis accersunt: in hisque omnibus *spasmi* simul & *inflammationis* ut signa ità & effecta habes, unde elicere promptum est & lentescere *fluida*, & *solida* stringi; hincque medicinæ objici vix eluctabiles curationi *resistentias*.

APHORISMUS LXXXI.

Ἢν αἷμα, καὶ πύον ἐρέῃ, καὶ λεπίδας, καὶ ὀσμὴ βαρείη ᾖ, τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis *sanguinem, & pus mingat, & squammas, & odor gravis sit, vesicæ exulcerationem significat.*

SENSERAT *Hippocrates*, recoctus ut in arte erat, mille inter usûs tenebras & difficultates, quantùm incerti habeat puris color & species in urinis; puriformem enim urinam cruentæ succedere, hancque & illam excipere *squammarum* excretionem, ad definiendam vesicæ exulcerationem ambigua sunt, quandiù odor *gravis* abfuerit, ab illâ ergò solâ *symptomatum syndrome* elicitur vera ulceris vesicæ notitia: reverà pus ementitur chylus urinæ admixtus, cujus albor & facies fuco esse possunt; *squammas* æmulantur duracinæ concretiones *lymphæ*; suum adhuc est ingrato ex acore odori mendacium, sed qui *gravis* aut graveolens est, non infidus ulceris testis est, utpote partium depastionis, aut rosionis putridæ non incertus index.

APHO-

APHORISMUS LXXXII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθῃ φῦμα φύεται, τουτέοισι, διαπυήσαντος, καὶ ἐκραγέντος, λύσις.

Quibus in urinariâ fistulâ tuberculum nascitur, bis, suppurato eo & perrupto, solutio fit.

DOLERE, tardari, aut alio quolibet modo lædi urinæ excretionem ab impedito meatu, vulgare nimiùm est, hocque vitii genus in *tuberculum* refundi soleat; intereà hîc admonetur, non uniusmodi esse vitium isthuc, ideòque nec methodo, nec remediis iisdem venire curandum. *Cathæreticis* ergò, *causticis* & rodentibus abuti erit, si *inflammatorium* illud *tuberculum* fuerit, quod suppuratione solvi amabit, quo medendi errore, aut imperitiâ, quæ hîc arguitur, evenit ut præposterâ medicatione tractatum *tuberculum*, naturam aut ingenium mutet, quodque *emollientium*, *resolventium* & *suppurantium* leni operâ solvi voluisset, *resiccantium* & *causticorum* improbitate; in maligna & *cancrosa phymata* convertatur. Itaque in curandis, ut loquuntur, *meatûs* urinæ *fungis*, *carunculis*, *carnosis tuberculis*, carnulentisvè germinationibus, cogitent primùm nunquid non inflammatio urgeret quæ morbum fecerit aut alat, ut præmissis quæ anteire debent auxiliis, ad *cathæretica* vel eatur utiliùs, vel utiliùs iis abstineatur.

APHORISMUS LXXXIII.

Οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη, σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.

Mictio noctu multa contingens, parvam dejectionem significat.

VERUM *excernendorum* commune vehiculum, si aliquà copiosiùs effluat, *excretiones* siccat; hinc *diabetes* periculum, serò enim viduatæ cæteræ corporis partes tabent, dum vesica vehementiùs humet; nec dissimile *sudorum*, qui enormes fuerint, incommodum, quò dum immensè & importunè madet corporis habitus, uvore necessario defecta viscera arent & resiccata stagnantur, aliò enim derivato succos evehente sero, macent inquilini succi, horumque siccantur *excretiones*. Sed has inter nulla est quæ utpotè in densioribus materiis consistens, vehiculo indigeat magis quàm alvina egestio, crassa enim sunt quæ pellit ejectamenta, quæ proin ne periculose resideant madefieri necesse est: ad hæc *elateris* pressus est qui illa pellit foràs, intestinorum scilicet *peristole*; atqui *elateris* sustentandæ virtuti necessaria imprimis mollities, maximè si in nerviceis funiculis, quales intestinorum fibræ sunt, ponatur *elater*, hic enim ejusmodi est qui madore adjuvatur non tantùm, imò elevatur mirabiliter.

SECTIO QUINTA.

APHORISMUS PRIMUS.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον.

Convulsio ex helleboro, lethalis.

TAM grave ab *helleboro* periculum! ad hæc quidem noſtra medicinæ tempora ferè non pertinens, ſi *hellebori* vim ſpectes, nobis intereà verendum, ſi medicamenti proprietatem. Hæc *hellebori* erat *convulſiones* accerſendi, antiquis adeò comperta, ut militum improba tunc fuerit induſtria, ſua *helleboro* inficiendi tela, noverant enim iis quæ telis illis infligebantur vulneribus, venire *convulſiones*. Id faciebat *hellebori* deleteria virtus, quæ cùm à quibuſdam noſtrorum *draſticis* medicaminibus non abſit omninò, cavendum quoque nobis ne pro vitæ pharmaco, mortis offeramus medicamentum. Unde meminerit artis prudens, malè ſanam condi in *draſticis* medicaminibus energiam, quæ ſanguinem & ſuccos illius prætereundo, ipſos attingit, ſubitque nervos, horumque venenando *lympham*, ipſos vitæ lares deprædatur. Plenis ergò iſthæc *mochlica* celebrare buccis, & audaculis tractare manibus, cum artis aut medicaminum monſtris familiaria eſt alere commercia. Hâc de causâ in illis exhibendis cautè proſpici opus eſt corporis & morbi conditionibus, temporibus medendi & occaſionibus, verbo tutelæ nervorum, quos ut protegat Medicus, ea omnia præoccupabit, quæ diluendo, edulcando, ſedando, leniendoque molliant & cicurient ferinos illorum medicaminum ictus, ut ſic quaſi bonâ cum nervorum veniâ, hoſtilia nervis concedantur medicamina.

APHORISMUS II.

Ἐπὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγιγνόμενος, θανάσιμον.

Vulneri convulsio superveniens, lethale.

FEBRIBUS interdum sub aliquo respectu, juvamini esse *convulsionem* proditum est; (*a*) quibusdam, ut pueris, non omninò adversari, (*b*) commemoratum; at *vulneribus* omnibus lethalem illam esse & documentum usûs est & Medicorum principis pronuntiatum. Enimverò recentibus vulneribus adnascens *convulsio*, tendinum, membranaceiq; aut *nervosi generis* offensam significat, eadem factis jam aut inflictis vulneribus superveniens, ab his ad nervos serpere aliquam *ichoris* malitiam argumentum erit. Ab his, inquam, vulneribus, ceu illorum occasione, situ, conditione, si namque *stasin* quæ in sanguine facta est nervorum lymphæ communem fieri concedis, antequam adveniente suppuratione putrescenti sanguinis *lymphæ* patuerit exitus, à lentescente sanguinis parte rubrâ ad albam manabit lentitudo, quæ *lymphæ* ad *lympham* facilis aditus & communio est, hinc ad nervorum *lympham* arrependo, illorum vitiabit *tonum*, partiumque *æquilibrium* mutando *convulsionem* pariet. Hanc *finit febris* (*c*) indèque duces argumentum prævertendæ vulnerum *convulsioni* efficacius esse nihil, præter assertam aut redditam sanguini *fluxilitatem*, quam promovendo febris, remedio est. Hinc *vulnerariorum* singularis virtus, hinc *emollientium & resolventium* energia commendabilis, efficacior tamen *Narcoticorum* accessione futura, admixtis nempè hujus potentiæ herbis, *cynoglossâ*, *hyoscyamo*, *cicutâ*, quæ rigentes *spasmo* vulneratarum partium fibras laxando, loca referant, sanguinisque albæ & rubræ partis circuitus restituendo, utriusque *stases* dissipant aut antevertunt.

APHORISMUS III.

Αἵματος πολλοῦ ῥυέντος, σπασμὸς, ἢ λυγμὸς ἐπιγιγνόμενος, κακόν.

Sanguine multo effuso, convulsio aut singultus superveniens, malum.

SANGUIS corporis libramen; mole enim suâ contranitendo stupendam *solidorum* sustinet & moderatur potentiam; hinc æquipondii genus, à quo partium æquis ponderibus librantium se concentus, æquabilitas, *homotonia*, quâ modulat ad se invicem vasorum diametri quoquoversùm & æquabiliter vehunt succos & distribuunt. Sanguinis ergò jactura, libramiY 2 nis

(a) *Hip. coac.* 156. 157. (b) *Coac. art.* III. *v.* 82.
(c) *Cels. p.* 296.

nis amotio est, quo libera *solidorum* potentia mancipari cessat, *systoleque* in quam assiduè propendent, dedita penitûs *solida* in se contrahuntur. Posthâc à *sanguine multo effuso convulsionem* fieri consequentia necessaria est; ægroti autem malo, sic enim compressis vasorum *diametris*, stringuntur motuum sanguinis viæ, circulatio strangulatur, vita perit.

APHORISMUS IV.

Ἐπὶ ὑφαθάρσῃ σπασμὸς, ἢ λυγμὸς ἐπιγιγνόμενος, κακόν.

Purgationi immodicæ convulsio, aut singultus superveniens, malum.

ALTERUM corporis libramen nervorum *lympha* est, à cujus præsentiâ cum dependeat *elateris solidorum* ratio, ab eâdem venit modus aut conditio *toni*, laxi, solutivè, firmioris aut fortioris, hincque *spasmi* aut *convulsionis* conceptus, quam *solida* incurrunt sua defecta rorali *lymphâ*. Verùm *purgationis immodicæ* hoc vitium est, partem enim sanguinis albam maximè deprædando, consecutione quâdam ipsam nervorum *lympham* profundere est; exhausti genus eò pejoris, quò propiùs ad ipsa vitæ stamina pertinet profusa isthæc *lympha*, vitæ latex, vel vitalis *elateris* author, potentiarum vitæ fomes aut causa. Inde se prodit purgantium plusquam satis verenda noxa, utpotè quæ ipsis insidiantur vitæ caulis, quas cùm non perfundant, minantur, cùm non diruunt, quatiunt.

APHORISMUS V.

Ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν, καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.

Si quis ebrius ex improviso mutus fiat, convulsus moritur, nisi febris corripuerit, aut ubi ad horam, quâ crapulæ solvuntur, pervenit, locutus fuerit.

SEMPER, quod observabile, in enarrando notat *Hippocrates*, qui *symptomatum* ordo est, qui exitus, quæ exitûs ratio; scilicèt, ut sui exemplo sedulum observandi Medicum instituat, in agendo cautum, in non agendo prudentem, tutum in augurando. Hæc ut elucidet monita, in ebrietate non secùs ac in tabellâ pingit *comatosorum*, *caroticarumvè affectionum* vultus, scribit *symptomata*, curam tradit, *prognosin* dat & augurium. *Aphoniam* ab ebrietate facit *spastica phlegmonodes diathesis*, quam infert à vini elatere tumens sanguis, isque raptus ad cerebrum; ubi *arteriarum* sanguinalium extrema suâ mole opplens & impetu distendens, *stasin* accersit, sub quâ nitens

tens incassùm, in circulando restitat; ex hâc intereà inutili luctâ, *solidorum spasmus*, vel organorum offensa, unde *aphonia* venit, quam cum ebrietate solvit febris, victrix nempè ab omni illo *erethismo* enascens oscillatio. Sub acutâ febre sanguis *phlegmonodes* factus, totusque *elatere* tumens cerebrum petit, cujus cumulando vasa, *stasin* infert; hinc *comatosus* sopor & *aphonia*, sanguine enim ebrium cerebrum est, illius enim exuperantia stagnatum; malo tam gravi demoliendo, quod convenit auxilii rationem docet *febris* ab ebrietate *aphoniam* solvens, nempè remedia quæ sanguinem spectant magis quàm humores, sanguis namque est qui restitando nocet, quem proindè extricari oportet & à stagnatione expediri: interim non actuosis & *volatilibus* remediis, æstuosa quippè sunt & *elastica*, quæ *phlegmonodem diathesin* in tantùm non amovent, ut promoveant magis.

Convulsus moritur. Alterum *Hippocratis* documentum, unde signum capies facti ad nervos mali progressûs, *phlogosis* nempè eò usque arrepentis; sed tam ominosè, ut *comatoso* ejusmodi sopori accedens *convulsio* nihil minùs quàm instantis lethi anteambulo sit.

APHORISMUS VI.

Οἱ κόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. λυθῶσι δ' ταύτας ἀλφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Qui à tetano (ideſt, rigore) corripiuntur, in quatuor diebus pereunt. Si verò hos effugerint, sani fiunt.

REVERA ad *prognosin* attinet maximè hic *Aphorismus*, unà tamen significans, quantùm spei quoque à *spasmo* superesse potest, utut *tonicus spasmus* durabilis & constans sit, modò absque *phlogosi* partium sit, absenteque sanguinis *stasi*, hinc enim *tetani* status, forsque est, in fibrarum corrugatione unicè consistens, sic interim illesâ permanente *diametrorum* vasorum meabilitate, ut non obstante constrictione partium, perennis duret per quatuor dies sanguinis circulatio, vitæ non insufficiens, quandoquidem illo tempore *tetani* exacto, ad sanitatem remeet æger. Posthàc intelligis qui fit, ut sub longo *hystericarum* convulsionum, ad annos etiam durantium, supplicio, vita interdùm se tueatur non tantùm, sed & sanitas imposterùm queat redintegrari. Adeò in sanguinis circuitu libero posita vita est! tanti in curando est sanguinis *stasin* prævertere aut amoliri!

APHORISMUS VII.

Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίγνεται, μετασιν ἴσχει. ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίγνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Quibus epilepsiæ ante pubertatem contingunt, mutationem habent. Quibus verò accidunt viginti quinque annos natis, *his plerumque commoriuntur.*

MISSIS hinc *ætiologiarum* fallaciis, quibus delusæ medentium mentes, à genuino curationis scopo aberrarunt, rationem aperit hic *Aphorismus*, propter quam tam rarò *epilepsia* consanescit: morbum cui anni ad sanationem opus sunt, paucarum septimanarum intervallo persanari volunt, dùmque tempore multo eget natura, ut illud expugnare queat morbi portentum, *specifici* titulo tumens Medicus, intra paucos dies debellare spondet. Itaque ad hujus morbi sanationem maximè faciet, medentis animo firmiter hærens hic conceptus, eam nempè esse *epilepsiam*, quæ à natura sua habet, quod diuturna medicatione indiget ut sanetur, ideòque in eo sitam unicè esse *antiepilepticorum* proprietatem, quòd per longum tempus sapienter & eruditè usurpata, ipsissimas morbi illius causas itirpitùs deterant, non quidem hunc vel illum dissipando humorem, verbo *fluida* non emendando, at partium ipsarum textum aut textûs modum reconcinnando, verbo *solidorum* mutando *tonum*, aut *toni* modum, quod *nervosum genus* modulari est. Hâc de causâ in pueris sanescit *epilepsia*, in quibus erigens se nedùm firmatus *solidorum tonus* tractari se sinit aut retractari, qui in senescentibus plenè firmatus detrectat obsequium.

APHORISMUS VIII.

Ὁκόσοι πλευριτικοὶ γυόμενοι οὐκ ἀπακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, ἰκτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται.

Qui pleuritici facti, non repurgantur supernè in quatuordecim diebus, his in suppurationem convertitur.

PLEURITIDI propria coctio, sputorum digestio & egestio est; coctionem autem in decimum quartum diem cadere *acutis* morbis cùm frequens sit, per sputa *pleuritidem* intrà quatuordecim dies purgari, legibus naturæ congruum est. Igitur quæ medentis cura est in adjuvandis coctionibus quæ singulis morbis propriæ sunt, sic reserando vias, sic ducendo succos, eosque mitificando, ut suas *vergentias*, *directiones* & pronitates secuti, ad debita sibi loca se ferant, nativaque *secretoria* similiter in curandâ *pleuritide* cogitabit Medicus, ne aliò quàm ad pulmonum *secretoria* cogat succos, ità

tra-

tractando eos & moderando, ut illos discant exitus ad quorum diametros aptent se aut modulentur. Unde ad alvum deturbari illos, suffurari pulmonibus est, coctionumque abortivarum facere discrimina, naturæ inclinationes interturbando, imprimisque suppurationis hîc commemoratæ periculum accersere. Isthæc enim suppuratio, residis factæ intrà pulmones materiæ non rarò fructus aut effectus est, quò, aliò evecto *fero*, quod audit excretionum naturale vehiculum, sanguinis stases fiunt, sub quibus acentes succi in stimulos vertuntur, qui quas occupant mordendo partes, vellicant, pungunt, lacerant, universaque suppurationis committunt mala.

Cæterùm de illâ *pleuritide* hæc dicta sunto quæ ad excreationem vergit, docet enim usus, exquisitas dari *pleuritides*, *pleuræ* unicè proprias, ferinas omninò & siccas, dolore immani torquentes, sub quibus tussiendo jugiter ægrotantes extundunt nihil; *spasticæ* sunt, à fibrarum *erethismo* aut *crispaturâ* magis, quàm humorum affluxu natæ; sub illis, ut vitii purus pulmo est, sputorum purgamina periculosè movebis aut expectabis frustrà, quas diætâ *diapnoicâ*, diluentium imbre, *anodynorum* copiâ feliciter expedies.

APHORISMUS IX.

Φθίσις γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαιδεκα ἐτέων μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα.

Tabes maximè fit ætatibus, ab anno octavo decimo, usque ad quintum trigesimum.

Ergòne aliqua fuerit vitæ pars, cui à tabida lue metuendum erit nihil? meliùs aliqua datur, cui illinc metuendum magis; ætas nimirùm hîc definita à decimo octavo ad trigesimum quintum annum, quâ semel elapsâ à *phthisi* tutus ferè homo est, ab illa tamen quæ lenta aut *chronica* est. Isthæc enim ut ab ingenito pulmonibus vitio manare solet, illâ ætate maximè se prodit, ubi non obstante partium incremento, harumque stabilito *tono* perseverat morbi illius seminium, tunc enim ingenitæ illi *solidorum* noxæ accedit evolventium se in dies *fluidorum* culpa, utpotè quæ à vitiata *solidorum systole* malè subacta arcanas inchoant *stases* in pulmonibus vera *phthisis* nidulamenta. Hinc admonentur medentes de cura his adhibenda ætatibus hominum, quos *phthisicâ* labe infecit nativitas, vel à parentibus, vel in locis, quibus aut ingenita fuit *phthisis* aut inquilina est, illis enim præteritis ætatibus, si ab illa *phthisi* fuerint immunes, maxima fit spes fore ut postero vitæ curriculo futuri sint illius exortes; illius, inquam, altera quippè *phthisis* est, acuta nimirùm, pulmonum inflammationi succedens, tum altera à *scrophulis* & *rachitide* nata, quarum illa senibus quoque, hæc vel infantulis accidit.

APHO-

APHORISMUS X.

Ὁκόσοισι κυνάγχῃσι ἀναφόρησιν ἐς τὸν πνεύμονα τρέπει, ἢν ἐντὸς ἡμέρησιν ἀποθνήσκουσι· ἢν δ' ταύτας ἀναφύγωσιν, ἔμπυοι γίνονται.

Quibus anginam effugientibus ad pulmonem vertitur, in ſeptem diebus moriuntur. Si verò hos effugerint, ſuppurati fiunt.

DEBITESCENTIA tumorum ſeu retroceſſus, pernicies vel exitium eſt, mortem portendens aut grave periculum; *ſolidorum* enim *periſtoles* inverſæ ſignum & effectus eſt, quo quæ à centro ad habitum corporis contendere ſolebant oſcillationes, ab habitu ad centrum remeant, unde fit ut quæ intrò foràs procedebant excretiones, foràs intrò regrediantur. Sic in anginæ deliteſcentis exemplo, quæ faucibus impacta erat materies, ad pulmones converſa, ſuppurationem intrà ſeptem dies accerſit; tùmque primùm quidem meliùs habere videtur æger, liberiùs deglutiendo, ſed inde malè ſecurus ab *anginâ* in *peripneumoniam* ruit, in pulmonem *metaſtaſi* factâ, quæ paucos poſt dies in ſuppurationem abit. Itaque dùm *pleuritici* poſt quatuordecim dies in ſuppurationem convertuntur, (*a*) *anginoſi* poſt ſeptem dies moriuntur ſuppurati, cujus diſcriminis in eo eſt ratio, quòd quæ per *metaſtaſin* aut *deliteſcentiam* fit inflammatio, ab humore fiat impetuosè ad partem inflammatam irrumpente, unde promptiùs & laxiùs dilatatis vaſorum diametris, peſſundatur citò partium *tonus*, ſicque derepentè fractis *ſolidorum reſiſtentiis*, *fluidorum* impetui & potentiæ vis additur major, amplior proindè *ſtaſis* & ſtagnatio, unde ſuppurationem accelerari quis non videt? Porrò hinc edocemur quantùm feſtinari conveniat in anginæ curâ, cujus tam facilis, tam pronus, tam ſubitaneus inſtat ſæpè retroceſſus, à quo facto ſemel, expectanda ultima malorum meta eſt.

APHO-

(a) *Aph. VIII. Sect. V.*

APHORISMUS XI.

Τοῖσιν ὑπὸ τῶν φθισίων ἐνοχλουμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα, ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι, βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανάσιμον.

A Tabe vexatis si sputum, quod extussiunt, prunis superfusum graviter oleat, & capilli de capite defluant, lethale.

NULLUM tam lethale *symptoma*, quàm illud à *fluidis* ideò residibus commissum, quod *fluida* à *solidorum* actione deserantur aut viduentur influxu: enimverò tùm in morbis, tùm in œconomiâ animali frequens est alicubi residere & colligi succos; ubi lethale *symptoma* nullum proferunt, eâ de causâ quòd *solidorum* quibus continentur, vi aut actione non priventur, isthæc enim *solida*, motando se vel oscillando semper ut illis assolet, quæ coercent, *fluida* animare pergunt, illo nempè quo naturâ suâ valent *elatere*, quem in subjecta *fluida*; quasi efflando, à putore vel graveolentiâ præservant: sic *bilis* suâ in vesiculâ *lympha stomachalis* in ventriculo, suis in vesiculis liquor seminalis, in vesicâ urina, ab omni putrefactionis labe libera hospitantur, ideò certè quòd *solidorum* quibus circumsepiuntur parietes *systalticâ* virtute potiantur: par ratio propter quam pultiformes *meliceridum* succi sub illis tumoribus, *lymphaticique*, *chylosi* aut serosi latices à putore se tuentur sub omnibus hydropis speciebus, manantem quippè à circumstantibus membranis mutuando oscillatoriæ virtutis vividulam auram, motûs ejusmodi afflatu vivificantur. Hinc ratio se prodit propter quam tabidorum sputis fit graveolentia, hujus enim causa est *systalticæ* virtutis jactura, atoniæ genus, quâ putrent flaccescendo partes, tunc enim *elatere* nativo defectæ, oscillandi terendi, coquendivè cadunt virtute, quâ privati qui coquendi erant succi, pro coctione putredinem & à putredine putorem contrahunt: putor autem exitium majus portendet si comitem habeat *capillorum defluvium*, ut enim hinc arguitur conceptam à pulmonibus *atoniæ* labem ad ipsam serpisse cutem; à corporis imo ad illius extrema propagatum esse (quo majus nullum) *atoniæ* vitium, argumentum erit.

APHORISMUS XII.

Ὁκόσοισιν ἀφθισώσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, ὕπνοι, ἀμβρώσης ἐπιγενομένης, ἀποθνήσκουσιν.

Quibus tabe laborantibus capilli de capite defluunt, hi, alvi fluxu superveniente, moriuntur.

PORRÒ, capillorum defluvio accedens alvi fluxus in tantùm erit certum mortis signaculum, in quantùm indubium est laxantis se & fatiscentis undequâque nervosi generis universi testimonium, ideòque ruentis ubique & intermorientis *systaltica* virtutis indicium.

APHORISMUS XIII.

Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπτύουσι, τουτέοισιν ὅκ᾽ ἂν πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀπαγωγὴ γίνηται.

Qui sanguinem spumosum expuunt, his ex pulmone talis rejectio fit.

ARTIS medendi caput *diagnosis* est, morbos nempè non solùm, sed & morborum causas & sedes dignoscendi scientia. Hujus scientiæ pars est sanguinem à sanguine discernere, cujus nempe loci sit, conditionis aut prosapiæ; an prodeat à *venis*, an ex arteriis prosiliat? si ex ano, num ab *hæmorrhoidibus* exeat, num descendat ex intestinis? his autem crassisnè vel gracilibus? iterùm nunquid non ex *hepate* vel *stomacho* prodiret? si cum urinis, altera cura, scrutinium aliud, à *renibus*nè, an à vesicâ excernatur? si ab ore, nùm à dentibus proveniret, nùm descenderet à *cerebro*, nùm à *pulmonibus* ascenderet? quam ultimam difficultatem hoc *Aphorismo* diluit in arte dignoscendi recoctus *Hippocrates*, edocendo à pulmonibus *rejici sanguinem qui spumosus est*. Hanc ab usu *diagnosin* tenebat, confirmat autem partium situs, conditio, *mechanismus*, seu pulmonum arteriæ positura, distantia, trajectus, ut enim brevi à corde ad pulmonem intercapedo est, quem à corde impetum accipit pulsus sanguis, eundem in arteriâ pulmonis retinet, ex quâ proin resiliens, non secùs ac à cordis embolo pulsus *spumosus* erit. Attendendo enim quàm breve à corde ad ultimum pulmonis limbum sit iter, quàm arctæ viæ, quàm fortis cordis pulsus, sanguinis quàm vehemens impetus, concedas necesse est sanguinalibus arteriis dissiliendum esse si sanguinis è corde prosilientis copia vel impetus major fuerit, nisi illi sanguini nova sedent effugia: sed isthæc præbent hinc illinc ex arteriæ sanguinalis caudicæ exeuntes tubuli arteriaci, veræ arteriæ, sed *lymphaticæ*, utpotè *lympham* sanguinis evehentes, quarum diametri sanguinis prosilientis copiâ & impetu violatæ dehiscunt, partisque albæ sanguinis loco, quam ex naturæ suo instituto continent, rubram admittunt, hancque pro *sero* eructant: de *lymphaticis* enim arteriis

idem

idem quod de *lacteis* venis observabis, scilicèt quemadmodùm hæ fero implentur, quo toto tempore à chili trajectu vacant, similiter *lymphaticæ* arteriæ *lymphâ* replentur sanguinis, usquedùm postulat sanitatis, aut vitæ tutela, ut hæc alba sanguinis pars, illarum arteriarum indigena, advenienti illius rubræ locum cedat. Hincque eruere datur *hæmorrhagiarum* omnium causas, natales & origines.

APHORISMUS XIV.

Ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάρροια ἐπιγιγνομένη θανατώδες.

A tabe detento alvi profluvium superveniens, lethale.

PHTHISIS, *colliquativus* morbus est, sub quo *assimilati* malè nutritii succi cumulant vasa, unde in visceribus *stases*, *phlogoses*, tubercula, dum aliundè alimenti sui demenso defraudatæ macent cæteræ corporis partes: simul igitur solvi alvum, solvi est vitæ fontium cataractas, tunc enim flaccidi pulmones aut resiccati, aditus necessarios sanguini recusant, quòcircà alvinas simul recludi vias, colliquescentibus succis amplos & faciles exitus aperiri est. De *Phthisicorum* enim *diarrhœis* observandum, propriæ indolis aut ingenii illas esse, adeout selectissima quælibet remedia, quæ cæteris alvi fluxibus proficua esse consueverunt, vel quæ *specifica* habentur, irriti aut infelicis fiant eventûs, *astringentia* imprimis, quæ quidem eliquatos humores compriment, intestinorum stomachique *tonum* restituendo, at vitiati pulmonum *toni* effectus est ejusmodi profluvii genus, cui vitio cum non medeatur omnis *astringentium* potentia, à pulmonibus vitiatis repulsam pati pergunt suppressi humores, qui ad intestina facti præcipites, ut uberiùs ità deteriùs reddunt profluvium; tam potior pulmonum, quàm stomachi *toni* cura habenda est in curandis pulmonum morbis. Præterea ii sunt pulmonum morbi, ut coctione indigeant tam necessariâ, ut hâc deficiente immedicabilem concipiant pulmones aut exitialem labem: at coctionem tardat vel impedit alvi fluxus, *vulnerum* exemplo, quorum perditum *delitescens*, aut labefactatum *pus* vides, à superveniente alvi profluvio. Posthàc *phthisi* lethale illud esse debere non inconspicuum est.

APHORISMUS XV.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίγνονται, ἢν μὲν ἀπαναφθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀφ' ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, περιγίνονται· ἢν δὲ μὴ, εἰς φθίσιν μεθίστανται.

Qui ex pleuritide ſuppurati fiunt, ſi intrà quadraginta dies, ex quo ruptio fuerit facta, repurgentur ſupernè, liberantur: ſi verò minùs, ad tabem tranſeunt.

HINC æſtimare diſces ſuppurationum naturas & ingenia, de quibus, ſi ullum aliud, in medendo *judicium difficile* eſt: ſemel enim ſuppuratione factâ, de ægrotante conclamatum eſſe fermè judicatur, quam judicii iniquitatem emendat *Hippocrates*, in partis illius ſuppuratione, quæ in animalis œconomiæ diſciplinâ ſpectabilis maximè eſt, pulmonis nempè, imò & pectoris, ubi à *pleuritide* ſuppuratione factâ, non ſpem omnem abjiciendam eſſe admonet, quandoquidem etiam ab illius *ruptione*, operanti naturæ ſuperſunt adhuc quadraginta dies, intrà quos *purgari ſupernè* poteſt utiliter pectoris ſuppuratum, intereà à tabe metuendo non nimiùm, niſi tempore hoc exacto pectus expeditum non fuerit. Sed hinc obſervandum venit, ut *fluidorum* ità & *ſolidorum* ſuas eſſe ſuppurandi rationes, in eoque verſari ſuppurationum pericula, ſi *ſolida* partes, ſeu ipſa partium ſubſtantia in ſuppurationem vertatur; quo adhibito diſcrimine intelligitur, quî fieri poteſt, ut diù profluant aut profundantur eliquati humores, integro ſtante partium *tono*, remotoque tabis periculo, quandiù nempè non defluit nec eliquatur propria partium ſubſtantia. Unde meminiſſe convenit duplicem eſſe ſingulis partibus humorem, adventitium alterum, quem in dies & horas advehit communis ſanguinis circuitus, alterum inquilinum, partibus *concreatum*, illarum medullis adunatum, indeque ad cor circulando lentè refluum; inſita *lympha* eſt, à *lymphâ* matre deſcendens, ab alimentis habens unde quidem aleſcat, non unde ſit, aut exiſtat, *ſyſtalticè ſolidorum* potentiæ materies, cauſa & fomes: porrò profuſo vel luxuriosè adventitio partium *fluido*, ſub vultu vel immanis ſuppurationis, ſtare poteſt fibrarum *tonus*, declinarique tabes; ſed illicò quo cadente *tono*, ubi defluit humor inquilinus, *atonia* ſuccedit, *atrophia*, tabes immedicabilis, in quantùm ipſa ruunt ſtamina vitæ aut fundamenta.

APHO-

APHORISMUS XVI.

Τὸ θερμὸν ἧσσον τοῦτο τοῖσι πλεόνακις χρεομένοισι· σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκράτειαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμορραγίας, ἀποθυμίας· ταῦτα οἷσι θανάσιμα.

Calidum, eo frequenter utentibus, has affert noxas: carnis effœminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, sanguinis eruptionem, animi deliquia: hæc quibus mors.

PHYSICÆ medicinalis exemplum! quæ sensilis esse debet, tota in *factis* posita vel effectis; hîc enim caloris naturam exponit *Hippocrates* ab illius affectionibus in humano corpore, quæ sunt *carnium effœminatio*, *nervorum impotentia*, *mentis torpor*, *sanguinis eruptio*, *animi deliquia*. Hæc quidem omnia in *balnei* fotûsvè frequentioris vel calidioris abusum non malè refudens; norunt enim artis prudentes, quantùm discriminis aut molestiæ ægrotis afferat *balneum*, quod *calidius* erit, quodque præter sanguinis fervorem, pruritum cutis & *phlogosin*, lassitudines & vigilias quæ solet inferre, omnia hîc commemorata ab *Hippocrate* apportat mala; nihilominùs tamen de omni calore hic locus intelligendus est, imprimis medicaminum æstuantium, à quibus metuenda isthæc incommoda sunt. Calidorum enim medicaminum virtus, quantumvis ut amica naturæ & vitæ tutela venditata, ad augendum valet sanguinis intestinum magis quàm progressivum motum, proindè elevandam *fluidorum* adversùs *solida* potentiam; unde manifestum movendi inter utraque dissidii periculum, quod æquilibrii partium rationes perdere est, malorumque hîc memoratorum ponere causas. Propriâ enim calidorum remediorum actione, excandescit sanguis, panditur, turget, tumetque, sicque factâ sibi ampliori mole, quàm ut per angustas vasculorum diametros meare queat, obices ponit circulationi, hincque *stases*, *congestiones*, stagnationes, quæ prout occupant nervos vel sanguinalia vasa, hæc vel illa nominata symptomata proferunt; sed quod ad medendi usum singularis momenti est, docet hic *Aphorismus* quantùm errari soleat in definiendis, curandisvè dictis *symptomatis*, quæ *pituitæ* aut languenti naturæ imputata, *cardiacis*, *volatilibus & calidis* remediis tractantur, cùm à calore nasci soleant, ideſt, ab æstuante sanguine, qui pansus nimiùm turgescit, sicque impeditus, quæ gravat, obturatque loca æstu, fervore, & *phlogosi* implet. *Hæc* autem *quibus* futura *mors*; hoc est, sub illis *stasibus* obstructi vitæ fontes fatalem præmonstrant diem.

APHORISMUS XVII.

Τὸ δ' ψυχρὸν, σπασμὸς, τέτανος, μελασμὸς, ἐς ῥίγεα πυρετώδεα.

Frigidum autem, convulsiones, tetanos, ideſt, rigores, nigrores & rigores febriles.

FLUIDA referando potentiùs quæ *calida* ſunt, illam perdunt vitæ æquipondii partem, alteram peſſundant quæ *frigida* ſunt, *ſolida* fortiùs ſtringendo, utrinque enim delinquere vides ex geminis vitæ æquipondiis unum; adeò in utriuſque ſervatâ æqualitate ſita eſt medicandi ſecuritas! Cæterùm non temerè affirmaveris *frigidi* nomine hîc intelligendum eſſe aeris frigus, ſed hujus exemplo concipere promptum eſt quibus periculis corpora objiciant, quæ intùs *frigida* aſſumuntur, aut quæ extrinſecùs frigidè applicantur; prioris ſortis eſt incautus frigidæ potus, quo tempore æſtuat aut fervet à labore corpus, hinc enim illicò corripiunt rigor & dolor, quæ *convulſionum* genera ſunt; ſortis alterius eſt *epithematum*, *repercutientium*, *balneorum* frigidiorum uſus, horum enim algido contactu denſatæ contractæq; nerveæ partes corrugantur, milleque inducunt *ſpaſmorum* ſpecies. Porrò *tetani* vox *Hippocrati* adeò familiaris, *ſpaſmi* rationem refert adhuc, aut *tonicæ* partium rigiditatis, quæ ſub morbis, heu! nimiùm frequens eſt.

APHORISMUS XVIII.

Τὸ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι, νεύροις, ἐγκεφάλῳ, νωτιαίῳ μυελῷ· τὸ δὲ θερμὸν, ὠφέλιμον.

Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ: calidum verò utile.

OSSA, *dentes*, *nervi*, partes ſunt denſæ texturæ, donatæ proin vaſculis ſtrictè compreſſis, quorum cùm arctiſſimæ diametri ſint, ab illis facillimè læduntur, quæ tam anguſtos comprimendo meatus, circulantibus in iis ſuccis impedimento ſunt & repagulo: hujus autem virtutis *frigida* ſunt, quæ natura ſua denſant & arctant, unde *nerveis* & duratis jam partibus applicita, *lymphæ* harum indigenæ motum tardant; hinc *cerebro & ſpinali medullæ* tantùm impendet mali, à *frigido* enim *lymphaticæ* illorum auræ, (ſpiritus vocant) *ſtaſis* inducitur, quod vitæ fontem obturare eſt; non ſic quæ calent, ut enim illius *lymphæ*, hujuſque circuitûs fomenta ſunt, hæc adhibere, alere eſt vitæ fomites. Atqui quàm longæ latæque propaginis per univerſum corpus ſint *meninges* & *nervi*, cuique inconfeſſo eſt, ex membranulis enim compacturæ ſunt ſingulæ partes, liquet ergò quâ curâ cavendum ægrotantibus ſit, ne *frigidum* quid bibant aut admittant, utpotè inimicum vi-

viſceribus, *ſpaſmis* ideò patentibus, quòd tota membranis texta ſunt aut inveſtita.

APHORISMUS XIX.

Ὁκόσα κατέψυκται, ἐνθερμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμορραγέει ἢ μέλλει.

Quæ perfrigerata ſunt, excalefacere oportet, præterquam quæ ſanguinem profundunt, aut ſunt profuſura.

PRÆCLARUM & ſingulare artis usûs monimentum! morbi enim ſunt, iique quam plures, in quibus omnia dum ex torpore, lentore, pallore, ignaviâ, ſufflatione, humiditate *perfrigerata* videntur, ex ſanguinis *ſtaſi* quâdam, aut congeſtione laborant, illis ergò fœdata coloribus pravis aut ſegneſcentium ſuccorum ſignis, quia arcana quædam ſubeſt *hæmorrhoiæ* ſuppreſſio, vel *ecclyſis*, unde fæcatus, impuratuſque ſanguis, turpes illos promit colores, ignaviæque *ſymptomata*. Tunc temporis autem *calefacientibus* remediis inſidiæ ſunt, quæ ſtagnantem ſanguinem perperàm exagitando, calores, *phlogoſes*, inflammationes pariunt, exitialemque morbo ſæpè addunt coronidem. Exempla ſint mulierum morbi, tam protheiformes, quàm moroſi & difficiles, quos omnes intereà alere ſolet unus *menſium* error vel defectus; illorum autem ægritudines, quas *perfrigeratis*, pituitoſis, crudis, *ſeroſis* imputant ſuccis, *calidis*, *ſtomachicis*, *aromaticis* incaſsùm & periculosè torquent & ſollicitant, ideò certè quòd *perfrigerati* non ſint ſucci, quos ſic miſerè turbant, at in eo partes quædam delinquant, quòd quem *profundendum* haberent, non profundant ſanguinem. *Chronicorum* quoque morborum ſors ſæpè ſimilis, omniſque generis *hydropum* & *cachexiarum*, quas omnes ægritudines non rarò fovet aut profert alicundè ſuppreſſus ſanguinis fluxus: undè diſces, quàm grave erratum ex calidorum remediorum uſu tunc veniat metuendum, à quibus fit ut *chronici* in *acutos* morbi faceſſant eò periculoſiùs, quòd hi adulterini affectus, medentium crimine potiùs quàm errore naturæ commiſſi, ut à naturæ ſic à medicinæ legibus diſcordes remediis obſequantur minùs & à curationis felicitate abalienentur magis.

APHO-

APHORISMUS XX.

Ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει, ὀδύνην ἀνεκπύητον ποιέει, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα, σπασμοὺς, καὶ τετάνους.

Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem non suppurantem facit, nigrores, rigores febriles, convulsiones, & tetanos, idest, rigores.

ULcus, *si benè calculum ponis*, nervorum, partium saltem quæ *nerveæ* natæ sunt, affectio est; ex *ichorum* enim, ferinorum immedicabili fermè aut vix comprimendâ excretione, concipere datur, ploratum illam esse inquilini *lymphaticarum arteriarum* succi, ideò sic obstinatè & necessariò effluentis, quòd præ *spasticâ* rigiditate hiantia arteriarum illarum oscula suam ultrò elabi sinunt *lympham*. Posthàc ulceribus mordax esse frigidum intelligitur, rigentes enim; utut patulos nimiùm arteriarum illarum exitus *frigidum obdurat*, hinc *pepasmi* defectus, à *tonico* enim arteriarum *spasmo* præoccupatæ arteriæ, quæ coctionum opifices sunt, oscillare nesciunt, nedùm terere, quod coquere est; quem ergò continent *lymphaticum* laticem, incoctum eructant. Inde dolor, nigror, rigor, omnia *spasticæ* fibrarum rigiditatis incommoda, pressi enim undequàque humorum tubuli, quos circulantes vehunt succos, strangulant, tardant, impediunt; unde hinc sanguinis rubræ partis, illinc illius albæ *stasis*, omnium commemoratorum hîc malorum author.

APHORISMUS XXI.

Ἔστι δὲ, ὅκου ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος νέῳ εὐσάρκῳ, θέρεος μέσου, ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θέρμης ποιέεται. θέρμη δὲ ταῦτα ῥύεται.

Est verò, ubi in tetano, idest, rigore, *sine ulcere, juveni benè carnoso, æstate mediâ, frigidæ multæ affusio caloris revocationem facit. Calor autem hæc solvit.*

EX hoc *Aphorismo* patet, *tetani* voce *Hippocrati* non unicè esse ipsum *tetani* morbum, sed rigorem fibrarum ceu illarum *tonicum spasmum*, quem *juvenibus*, imò juvenculis, *benè carnosis*, parit sanguinis plethora aut succorum luxuries: hùc enim spectat *mulieris illius sanæ & obesæ* apud eundem *Hippocratem* (a) historia, quæ ex *doloribus*, *torminibus* & suffocatione,

---

(a) *Epid. lib. V. p.* 1047.

ne, aut spirandi difficultate dirè vexata, *quinquies emortua & expirasse* videbatur, in hoc enim mortis periculo, *frigidæ amphoris ferè triginta corpori* affusis unicè juvabatur: illa autem omnia *symptomata*, *hysterica*, ceu *spasmodica* erant. Simile quid exhibet subitanea *tendinum & membranarum* pedis violentiùs & ultrà modum facta extensio, quam citò sanat illicò facta in frigidam pedis immersio; *caloris enim revocationem facit frigidæ multæ affusio*, id approbante *Scotorum* familiari ritu, qui sæviente hyeme, in aquam frigidam immersionibus, insignem sibi suescunt calorem conciliare. At illis in casibus frigidæ vis in elevando partium *elatere* est, quo restituta aut excitata earum oscillandi virtus, insurgit in sanguinis aut *lymphæ* nervorum *stasin*, quam discutiendo solvit, illorumque reddit circulationi. Inde se prodit balneorum frigidorum potentia in sanandis *hystericis* affectibus, utpotè quæ profint firmando, reddendo aut ordinando fibrarum *tono*, stupebisque ad innumeros, quos à balneis frigidis dissipari tradunt, (*a*) torpores, dolores, rigores, spuriasque *atonias*, tot tam vera quàm multiformia *spastica diathesis*, laxantis vel pandentis, stringentis vel claudentis effecta.

Cæterùm hoc exemplo docet medendi magister exploratum sibi, posteris obsoletum artis arcanum, scilicet *solidorum* curam in morborum curationibus; medentium enim delictum non infrequens est & commune consilium à *fluidorum* vitiis eruendi curationum *indicationes*, habitâ ratione nullâ *solidorum* quorum cùm in *œconomiæ animalis* regimine, valentiores potentiæ sint, primas sæpè in morborum curationibus occupare deberent medentium curas.

(a) *Vide* Floyer, *de baln. frigidis.*

APHORISMUS XXII.

Τὸ δερμὸν ἐπιπυητικὸν οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην· δέρμα μαλάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων, σπασμῶν, τετάνων παρηγορικόν· τὴν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ καρηβαρίην λύει· πλεῖστον δὲ διαφέρει ὀστέων κατάγμασι· μάλιστα δὲ τοῖσιν ἐψιλομένοισι· τουτέων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι· καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύξιος θνήσκει, ἢ ἑλκοῦται· καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν, ἕδρῃ, αἰδοίῳ, ὑστέρῃ, κύστει. τουτέοισι τὸ μὲν θερμὸν φίλον καὶ κρῖνον· τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον.

Calidum suppuratorium, non in omni ulcere, maximum signum ad securitatem: cutem emollit, attenuat, dolores sedat, rigores, convulsiones, tetanos, idest, rigores mitigat: capitis verò gravitatem solvit: plurimùm autem confert ossium fracturis: maximè verò denudatis: ex his quidem maximè, qui in capite ulcera habent: & quæ à frigore moriuntur, aut ulcerantur: & herpetibus exedentibus sedi, pudendo, utero, vesicæ. His calidum quidem amicum, & decretorium: frigidum verò inimicum & occidens.

MORBIS cum ulceribus in eo convenit, quòd in tantùm hæc sanabilia sint, in quantùm coctibiles sunt ii à quibus aluntur succi, cùmque suppuratio ulcerum coctio sit, coctionis securitas in suppurationis felicitate ponitur. *Calidum autem suppuratorium* est, ceu pus movet in ulcere, quod suppurationis capax est, tunc ergò *magnum signum ad securitatem erit*. Reverà ex calido fotus, omne quod in se condit mollis *elateris* partium ulceratarum fibris afflando, illarum exsuscitat *systalticam* vim, unde oscillandi, terendivè virtus, quâ subacti resides ulcerum succi, molliuntur, subiguntur, eliquantur, sicque reseratis meatibus & restituto *fluidorum* circuitu, *solida* laxantur, cessantque durities, dolores, rigiditates, tùm ad majora vasa remeantibus, qui cerebrum occupabant succis, *gravitas capitis* solvitur.

Medentium vulgò alienum à ratione jam videbatur de fomento *calidæ* aquæ dogma *ulceribus* admovendo, quibus *epulotica* & vesiccantia deberi credunt; sed insuetum adhuc magis fit de *denudatorum fracturis* ossium ut hîc habetur, illud assertum. Interim difficultatem hanc omnem diluit, *ulceris* & *fracturarum* facienda hîc acceptio, de illorum enim affectuum singularibus *symptomatis* non naturis universalibus intelligendus hic *Hippocratis* locus est; si igitur *phlogosis* aut *erysipelatis* notas exhibeat *os* aut *ulcus*, calido fomento locus dabitur: præterquamquòd observabis *calidæ* fotum non commendatum hîc esse ad recentes *fracturas*, sed ad eas maximè quæ cum *capitis ulceribus* sociantur, idest, cùm vulneribus quæ vetustatem aliquam assecuta, *ulcerum* aliquam habent speciem, tunc *trumaticorum* calidis lotionibus aut fomentis uti nec abnorme nec incongruum est; imprimis si isthæc ulcera veluti à frigore *mori* videantur, aut in perniciem abire, à contumacissimâ nempè *lymphæ* nutritiæ *stasi*, cujus cessando fermè motus, intermoritur.

Ca-

Calidæ fotûs bona laudat adhuc ad *herpetes sedis* & podicis, aptèque ad medendi felicitatem, quæ *hæmorrhoidum* curationi ideò deest non rarò, quòd *calidorum* fotûs loco, *olea, unguenta, & pinguia* imperiti usurpent libentiùs, quod idem est ac *frigidum* adhibere, hinc enim difflari cessantes stagnati succi, putredinem contrahunt, *occidentiaque* vel *inimica* sic admovent auxilia, aut *fistulis* sternunt vias.

APHORISMUS XXIII.

Ἐν τοῖσι ἢ δεῖ τῷ ψυχρῷ χρέεσθαι, ὁκόθεν αἱμορῥαγέει ἢ μέλλει, μὴ ἐπ' αὐτὰ, ἀλλὰ περὶ αὐτὰ ὁκόθεν ἐπιῤῥεῖ. Ὁκόσαι φλεγμοναὶ, ἢ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι, ἐπὶ ταῦτα. ἐπεὶ τάγε παλαιὰ μελαίνει· καὶ ἐρυσίπελας τὸ μὴ ἑλκέμενον ὠφελεῖ. ἐπεὶ τόγε ἑλκέμενον βλάπτει.

In his autem frigido uti oportet, unde sanguis erumpit, aut erupturus est: non super ipsa, sed circà hæc, unde influit. Et quæcunque inflammationes, aut flammei ardores ad rubrum & sanguineum colorem vergentes novo sanguine, super ipsos: nam inveteratos nigrefacit: erysipelas etiam non exulceratum (juvat:) quoniam exulceratum ladit.

ADVERSÙS *hæmorrhagias* præsentes aut futuras hîc habes *frigidæ* usum, intereà admonitus, non ipsi parti, quâ effluit sanguis, admovendam illam esse, sed circà loca quæ partem illam spectant: sic *oxycrato* ex linteis fronti applicito narium *hæmorrhagia* cohibetur; eodemque *oxycrato* ex linteis similiter lumbis admoto, *hæmorrhagiis* uteri auxilium fit. *Intercipientium* nomine *antiquitùs* celebrabantur istiusmodi remedia, tùm *vinculis* aut *deligationibus* tunc etiam familiaribus, operandi ratione similia, utraque enim *solida* stringendo, sanguinis excursus comprimebant. Hîc ergò notatum habes alterum in medendo errorem, putant enim non pauci, in *fluida* exerceri *frigidæ* energiam, quâ densari sanguinem aut *coagulari* prætendunt, dùm aquæ vis ea est, quæ contactu suo *solida* constringendo vasorum minuit diametros, sicque accurrenti sanguini faciendo *resistentias*, aliò determinat, abigitque illius cursum. Eapropter *non super ipsâ* parte frigidam admoveri jubetur, sed *circà hæc*, idest, circà adjacentia loca, ut nempè cohibitus sanguis antequàm ad *hæmorrhagiæ* locum appulerit, retineatur in viâ occurrentesque sibi & patulos subeundo laterales hinc illinc arteriarum ramulos alio versùm feratur.

Alteram adhibet *Hippocrates* cautionem ad legitimum *frigidæ aut repercutientium* usum, docendo ea admovenda esse tantùm inflammationibus recentibus, prohibendo verò ea in iisdem veterascentibus, has enim, ut ait, *frigidæ* fotus *nigrefacit*: & reverà in tantùm *repercutientia* succedunt feliciter, in quantùm vigens adhuc aut integra partium *systaltica* virtus *repercutientium* constrictione firmata, roboratavè erigitur, unde fortiores & alacrio-

res factæ oscillationes, terendo meliùs, fortiùs ad circulationem pellant stagnatum sanguinem. Hinc in signum utilis futuri frigidæ usûs exhibet rubrum tumoris colorem, ut enim ruber ille color, appellentis *novi sanguinis* indicium est, constantis adhuc & valentis partium *elateris* habebitur argumentum. De atro colore secùs est, ut enim coerciti, statariique sanguinis nota est, languentis aut victi quoque fibrarum *elateris* est testimonium; hoc autem tempore *repercutientia* admovere, *sphaceli* causas ponere est aut cumulare.

At, amabo, alicundenè ex *Hippocratis* monumentis elicies circulationis sanguinis argumentum lucidius, quàm ex his verbis, *flammei ardores ad rubrum & sanguinem colorem vergentes. novo sanguine*; undenam enim ad partem appellit *sanguis novus*, quàm à circulatione, quâ sanguis à vase in vas ab arteriis in venas transeundo renovatur?

Similiter *erysipelas non exulceratum frigida juvat*, quæ *exulceratum lædit*, ut enim in exulcerato, fractum partis *elaterem* ostendit ruptio vasorum, integrum illum *elaterem* esse monstrat in non exulcerato vasorum integritas.

APHORISMUS XXIV.

Τὰ ψυχρὰ, οἷον χιὼν, κρύσταλλος, τῷ στήθει πολέμια, βηχέων κινητικὰ αἱμορροϊκὰ, καταῤῥοϊκά.

Frigida, velut nix, glacies, pectori inimica, tusses movent, sanguinis eruptiones, ac *catarrhos inducunt*.

PULMONES, hujusquemodi respirationis organa, exangues membranaceæ & *spermaticæ* partes sunt, naturâ suâ albentes, ex vasculis quippè albicantibus imprimis contextæ, rorali succo aut uvore, quam plorant, *lymphæ* semper madentes: hinc pectoris partium *transpirationis* internæ materies, quam supprimi aut intrò retrudi ideò promptum, quòd densari eam tardarique facile fit: hæc enim sanguinis pars alba est, globulis illis defecta, unde sua sanguini venit mobilitas.

Posthàc, obvia menti fit *nivis* aut gelidarum rerum contactûs efficientia; hinc enim stipata illicò transpirationis oscula, sudantem resorbent uvorem, unde impeditus, & refluens sed regredi nescius, qui hùc appellabat *lymphaticus* latex, tusses inter similiaque incommoda *hæmoptyses* parit. Inde *catarrhi* aut seri illuvies, gravidatum namque sanguinis fluentum totâ illâ *lymphæ* copiâ, quæ tubulis illis *lymphaticis* eructanda, redit sanguinalibus vasis, sero tumet, moleque & impetu cretum, *directiones* mutat, rumpit obices, suaque transilit claustra.

APHO-

APHORISMUS XXV.

Τὰ δ' ἐν ἄθροισιν οἰδήματα ἐξ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ, ἐξ σπάσματα, τεπέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥηΐζει τε ἐξ ἰσχναίνει, ἐξ ὀδύνην λύει. νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική.

Tumores autem in articulis & dolores absque ulcere, & podagricos, & convulsiones, horum plurima, frigida multa affusa & levat & attenuat, & dolorem solvit. Torpor enim modicus doloris solvendi vim habet.

TRADITAM Aphor. 21mo. de frigidâ affusâ, ad *tetanum* sanandum observationem, ad *articulorum* aut *podagricos tumores* & *dolores* pandit hic *Aphorismus*, illis enim *frigida multa affusa levat, attenuat, doloremque solvit*. Rationem subjungit *Hippocrates*, torporis enim genus infert *frigidæ* contactus, qui *torpor doloris solvendi vim habet*. Porrò *torporis* nomine hîc intelligitur succorum pigrities illa aut lentor, qui succis ab admotâ frigidâ venit, *lymphæ* nervorum imprimis, hi enim ut frigidam maximè sentiunt, rugando se, *lymphæ*, quâ rorantur, circuitui moram injiciunt, quâ ex segnitie torporis genus enascitur. Intereà, quæ ex nive pectori, non eadem ex *frigidâ* articulorum tumoribus accidunt incommoda, exangues enim non sunt articuli, neque à carnibus adeò nudi, sanguinalibus ergò vasis non inconspicuis donati sunt, à quibus sua mutuantur caloris supplementa, scilicèt à rubrâ & *globulosâ* sanguinis parte, in quâ quidquid in torpente *lymphâ* caloris perdunt aut motûs, abundè recuperant; igitur repercussi *frigidâ* suis in vasis sanguinis globuli, volubilitate quâ valent, in adjacentes *nerveas* partes enituntur, se collidendo tuditant, & cùm illarum torpente *lymphâ* exsuscitant, sicque *levant*, *attenuant*, *dolorem solvunt*, sanguinis enim & succorum dissipant *stases*, sarciuntque circuitus aut restituunt. Cæterùm utut sua *Hippocratis* observationi constet veritas, cum grano salis accipiendus in medendo *repercutientium* & *astringentium* usus.

APHORISMUS XXVI.

Τὸ ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, ἐξ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.

Aqua, quæ citò calefit, & citò refrigeratur, levissima.

AQUÆ, naturæ rerum natæ matrices, creataque seminaria, primorum, quæ insevit Creator, germinum servatrices, velutique *tutelinæ* sunt, quapropter, terrarum, fossilium, minerarum salibus & moleculis imprægnatas illas sæpè reperias, à quibus habent unde saporæ, graves, aut le-

leves plus minùs sint, ideòque à quibus sinceræ, laudabiles, aut adulteratæ judicantur. In discernendis his aquarum conditionibus difficultas aut labor est, cui ut parcas, facili docet experimento *Hippocrates*, quo si citò *calefieri* aquam & *citò* eamdem *refrigerari* comperias, *levissimam* illam pronuntiabis, idest, puram & ab omni terrarum & minerarum inquinamentis liberam. Enimverò ut aqua metallicis farticulis fœta, calefacta semel conceptum calorem diutiùs retinet, hinc affirmaveris in illius aquæ poris metallicas condi *atomos*, quæ suæ molis aut massæ ratione susceptum calorem obstinatè retinent: concludes proindè nocivam illam sanitati esse, in quantùm *adiaphoram* esse oporteat aquam, talis enim neutra est, à quâ mali metuas nihil quod in sanguinem prorepat, dùm aliundè inanis & vacua patulum offert gremium, paratumque ad sorbenda quælibet sanguinis elotia, sicque eluendas omnes illius impuritates.

APHORISMUS XXVII.

Ὁκόσοισι δὲ πιεῖν ὀρέξιες νύκτωρ, τοῖσι πάνυ διψῶσιν, ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἀγαθόν.

Quibus autem bibendi appetentiæ noctu, iis valdè sitientibus, si obdormierint, bonum.

FLUIDORUM culpâ morbidam enasci sitim opinio est, in hâcque eluendâ frustrà sæpè sudatur; rationem innuit hic *Aphorismus*, quo docetur somni virtus ad sitim tollendam; quasi diceret sitis curam in *solidorum toni* magis, quàm in *fluidorum* emendatione poni. Reipsâ tota in ariditate locatur sitis natura, illam autem ariditatem à *fluidi* defectu repetere potiùs quàm ab eo à quo committitur iste defectus, tam absonum est, quàm causæ loco supponere effectum. Unde enim illa ariditas quæ sitim infert? aliundène quàm à stricto nimis & *spastico* fibrarum *tono* quo constricta plus satis *secretoriorum* oscula à fundendo suo abstinent humore? Igitur cùm humoris aut *fluidi* defectus, *solidorum* constrictionis aut *spasmi* sit effectus, *solida* laxando somnus cum *excretoriis* eorum solvet humorem, ariditatisque causas tollendo, ipsissimas tollit sitis causas.

Equidem non de omni siti hic locus est, sed de nocturnâ, ea videlicèt quæ post exactos diei labores sub noctem hominem afflictat, talemque sitim à somni quiete sanari observavit *Hippocrates*; verùm à morbi quoque laboribus non dissimiliter arescere possunt faucium & oris partes, discat ergò Medicus & hinc factæ siti auxilium à somno potentissimum fore: unde *anodynorum* laus & pretium in morborum curationibus, hæc enim in *emulsionibus* aut *julepis* convenientibus, &c. . . . . dextrè usurpata, sitim & oris fauciumque removent ariditates.

APHO-

APHORISMUS XXVIII.

Γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη. πολλαχοῦ δὲ καὶ ἐς ἄλλα χρησίμη ἂν ἦν εἰ μὴ καρηβαρίας ἐνεποίει.

Suffitus aromatum muliebria ducit: Sæpiùs autem ad alia utilis esset, nisi capitis gravitates induceret.

PRODESSE nocendo nihil, suprema *Hippocrati* medendi lex, sancita posteris, quos capit artis honos, medendique sapientia; quibus crimini proximum habitum ferè fuit, admittere remedii genus, quod juvaminis alicujus specie, mali grave aliquid minatur. Hujus sortis est *aromatum suffitus*, hinc *utilis*, quia *muliebria ducit*; aliundè formidabilis, quòd *capitis gravitates inducit*. Remedii autem vis metuenda imprimis, quæ in *leptomeriâ* consistit, sic quippè constitutum, ut summè meabile est, nihil minùs lædendo ferit quàm ipsum *nervosum genus*, ipsoque turbat vitæ fontes. Eâ fuit *Hippocratis* religio, in usurpandis aromaticis & volatilibus remediis, nostris imitanda, quibus *volatiles spiritus*, *gloriosaque chymicorum sulphura*, communibus manibus tractare, pro ludo fermè est; quos meminisse juvat, illis inesse medicaminibus *spiritus* & igniculos, calori nativo aut *spiritibus* insitis peregrinos & inimicantes, qui dùm succorum lentores resolvere pollicentur, ipsammet vitæ flammam, accendendo nimiùm, citò depascunt. Hæc *antihystericorum* medicaminum discrimina sunt, quæ utut credantur mulierum incommoda levare, graviter nocent non rarò, eòque faciliùs, quòd in illis nata nervorum teneritudo major, faciat ut illorum medicaminum potentias impotentiùs ferant: hinc infidæ in multis *hystericarum passionum* curationes, quæ ex *volatilibus* & *aromaticis*, *cephalicisque* perperàm institutæ, nervos lædunt, turbant oscillationes, *directiones* mutant, *vergentias* divertunt; verbo, *spasticas* augendo firmandovè vellicationes, omnia miscent.

APHORISMUS XXIX.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν. ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν· ἧσσον δὲ ταύτας. τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρή.

Prægnantes purgandæ, si turgeat materia, *quadrimestres, & usque ad septimum mensem: hæ verò minùs. Juniores autem, & seniores* fœtus, *cautè vitare oportet.*

ADVERSÙS eos erit hic *Aphorismus*, qui in curandis prægnantibus, ad *catharsin* citò festinant, nausearum, fastidiorum, vomitionumque primâ fronte delusi; hæc enim turbamenta humoribus purgationi subjectis im-

imputando, unis purgantibus deturbanda concludunt. Usu eruditus sapientiùs *Hippocrates*, subjiciendis purgationi gravidarum humoribus, quatuor menses, nil minùs, adjudicat, quo toto temporis spatio in iis indiget natura, ut maturet humores, ex quâ maturatione exurgit *orgasmus*, gestiens, nempè ad exitum humorum nisus; cogitabis enim primorum quatuor mensium imprægnationis intervallum, illud esse sub quo laborat natura in æquando aut æquilibrando sanguinis circuitu, æquiparando, suisque singulas aptando locis succorum portiones, quæ à *mensium* refluxu communi sanguinis fluento redeunt; sic ut intereà quæ exacto illo tempore succorum superamenta fuerint, quibus concedere locum natura non potuerit, subigendo illa abigere tentet, dùmque hoc urget opus humores turgent excerni prurientes. Itaque cùm priora illa in gravidis turbamenta venæsectionem suadent, utpotè cùm sanguinis turbæ sint circuitum suum ordinantis, purgationem indicant posteriora, ideò anxiosa, quòd evacuari velint.

Juniores autem & seniores cautè vitare oportet. Istiusmodi enim *orgasmus* prægnantes purgandi occasio est, quæ antè quartum mensem non sedatur, præerit autem post septimum; ante quartum mensem vitanda ergò purgatio, quia illùc usque abest succorum maturitas, inabsolutâ nempè ordinatione naturæ, quam finiri necessum est, antequàm purgationi locum præbere possint, si quæ ordinanti naturæ excernenda restant succorum superamenta; post septimum mensem omittenda quoque purgatio: hujus enim elapsa occasio est, unde opitulantem sibi naturam non haberet, quæ aliò jam quàm ad alvum vergendo, alteram postulat medentis curam.

APHORISMUS XXX.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἀπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων λυφᾶσθαι, θανάσιμον.

Mulierem in utero gerentem ab acuto aliquo morbo corripi, lethale.

NATURA suâ lethalis quilibet morbus *acutus* est, sed nusquam periculosior, quam ubi plura & graviora cumulat mala, pluraque viscera minatur; hujus sortis est qui in gravidam mulierem cadit, hæc enim ut necessariam in se gerit sanguinis *stasin*, in utero nimirùm, in quo toto graviditatis tempore mole majori congeri sanguinem necessum est, hâc parte periclitantur in eo magis, quòd cùm in prægnante creverint æquilibrii rationes, crescant quoque perdendi illius pericula. Virum corripiendo *pleuritis* unorum viri viscerum æquilibritati noxam minatur, quæ mulierem apprehendendo, factum uteri cum toto corpore æquilibrium minatur adhuc labefactare, quod ne committatur, in medente ut requiritur peritia major, quâ novas dexteriùs tractare noverit & temperare æquilibrii novi rationes, sic inde nova ægrotanti veniunt pericula: hæcque tam certa, ut quæ gravida pleuritide perit, hæc eadem non gravida, servari potuisset. Porrò ut sexcentorum morborum author uterus est, quorum singuli sexcentis & amplius gra-

gravibus symptomatis obnoxii sunt, consequitur sexcenties & ampliùs periculosiorem esse prægnanti quàm non prægnanti acutum morbum.

APHORISMUS XXXI.

Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει μᾶλλον, εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.

Mulier in utero gerens sectâ venâ abortit: & magis, si major fuerit fœtus.

DE venæsectione non multa quidem, sed multùm usurpabant veteris medicinæ antistites, quem enim nostri partitò & ad uncias sanguinem hodiè mittunt, ad integras libras simul & semel illi profundere audebant, ad animi nempè deliquium, unde quid immineat periculi patet ex eo, quod derepente accidit illis, qui à sectâ venâ animo linquuntur, illicò enim resolvitur iis nervorum *tonus*, alvus impensè laxatur, pallensque facies tota sudore madescit; ab immani, qualis veterum erat, sanguinis missione, in prægnantibus procedet ulteriùs periculum, ad uterum quippè progredietur relaxatio nervorum, suoque uterus exolutus *tono* diffluet, fundetque fœtum. Simile nihil metues à sanguinis missione quæ partitò fiet, modus hic enim est identidem resecandi superflui, sicque tollendi superpondii, quod à mensium sub graviditate suppressorum regressu ad uterum redundavit. In tantùm ergò sic modulata in gravidis venæsectio conceptum non perdit, neque accelerat partum, ut hunc sæpè retineat non infeliciter, in iis quarum lubricus nimiùm uterus immaturos edere solet partus, tunc enim identidem missus sanguis uterum firmat & fœtum, partumque ad præfinitum usque tempus bellè tuetur.

APHORISMUS XXXII.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων, λύσις γίνεται.

Mulieri sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus, solutio fit.

FLUMINA suas interdùm mutasse sedes, aut aliò suos tulisse gressus vel alveos narratur; simile est quod sanguis conspiciendum exhibet in humano corpore *phænomenon*, cùm nativa *excretoria* linquens, aliò prorumpit. Exemplum præbet uterus, à quo descisens sanguinis fluentum, ad alia exportat viscera *menses*, qui si ad *stomachum* ferantur, commemoratas hîc vomitiones cruentas promunt, quas solvunt utero redditi *menses*. Unde liquet quàm verum sit, nihil ferè aliud esse morborum causas, præter elocatos humores, qui in visceribus sibi alienis hospitando, & visceri, cui affiliunt, & universæ, quam turbant, animali œconomiæ, labori sunt & in-

commodo: unde intelliges unicum sæpè satis esse ad morbi curam, scilicèt sanguinis circuitum, huiusque suam æquabilitatem restituisse. Sed quod in hujus *Aphorismi* interpretatione palmarium est, observabis, ut *erumpentibus mensibus*, vomitionis cruentæ *solutio* fit, hoc est absoluta curatio; hæc enim non sic succederet, si à rupto, lacero aut eroso vase nata vomitio illa fuisset, inusta enim maneret stomacho superstes ulceris aut rosionis nota, quæ cum erumpentibus mensibus absit, non anceps argumentum est à *diapedesi* ortum traxisse suum prægressam illam vomitionem; ceu a dilatatione *lymphaticarum* arteriarum, idest, arteriacorum tubulorum, qui quidem ad fundendam *stomachalem lympham* facti sunt, interim qui hîc egurgitanti se sanguini obsequendo, pandi se & dilatari passi sunt, unde rubram unà cum albâ partem admittendo, pro *lymphâ* sanguinem ipsum fuderunt.

APHORISMUS XXXIII.

Γυναικὶ τ καταμηνίων ἐνλιφόντων, αἷμα ἐκ τῆ ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν.

Mulieri, menstruis deficientibus, è naribus sanguinem fluere, bonum.

INDIGENAM humano corpori medicinam hîc intueri lubet, medicatricem nempè naturam, quæ sanguinis motus regendo, dirigendo cursus, excursusvè redigendo, verbo circuitum illius ad naturæ leges, consilia & fines æquando, suas instituit medendi rationes, hîc revocando sanguinis impetus, eosdem illic modulando: quem enim modò videbas sanguinem ad uterum revocatum, *vomitiones solventem* cruentas, ecce eundem hîc habes pulsum ad nares, *menstruum* defectum levantem. At in illâ naturæ medendi arte observabis, non in humoribus ab illâ emendandam quæri morbi causam, quæ in sanguine redigendo consistit; non in albâ illius portione, quæ in rubrâ sedem habet; medendi scientiæ ministris documento, quàm simplex sit morborum *æthiologia*, quæ sæpè dùm in abstrusis succorum *discrasiis* aut saporibus exploratur, in inverso sanguinis circuitu unicè ponitur: maximè in mulierum morbis, qui cum à sanguinis menstrui aberrationibus pendeant ut plurimùm, in redigendis aut restituendis circuitûs sanguinis directionibus curari amant. Hinc in mulierum morbis *martialium* virtus singularis, quibus curandis hinc illinc momenta poni, addi aut minui, opus est, sive *fluidorum* minuas molem, sive *solidorum elaterem* eleves.

APHO-

APHORISMUS XXXIV.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτρώσαι.

Mulieri in utero gerenti si alvus multùm fluxerit, periculum ne abortiat.

SANGUINEM impetu ad partem ruere, morbus est aut causa morbi, *stasis* enim *phlegmonodes* fit, unde dolor, inflammatio, febris; oscillationes ad partes pressiùs descendere & velociùs alia est causa morbi, *erethismus* nempè, stimulatio, *spasmus*, utrinque *fluidorum* vitium, illic in rubrâ, hîc in albâ sanguinis portione positum; utrobique tandem partium nisus eluctari conantium, sed hoc discrimine, quòd sanguinem stagnatum eructando inflammatæ partes, habeant quod excernant, sanguinem nempè, quem tenuando resolvunt, aut terendo coquunt in *suppuratum*, unde solutio speranda venit, de *spasmodicè* oscillantibus aut stimulatis partibus secùs est, nerveæ sunt, humoris rore magis quàm succo madentes, oscillantesque non ut coquant succum aut subigant, sed ut ordinent in meliùs & dirigant. Premunt tamen, si quæ contingunt, aut complectuntur, quæ proin exprimunt, pelluntque foràs. In his recognosces necessariam abortûs causam, uteri nempè *erethismum*, nerveæ quippè partis, quæ in gravidis habens nihil, quod *spasmo* furens abigere aggrediatur, quem complectitur, fœtum deturbat. Causas autem inter quæ *erethismum* cieant uteri, nullam habes tam præsentem, quam alvi fluxum, qui viciniæ & nervorum affinitatis titulo, uterum pungens, stimulans, emovensque cogit in *spasmum*, quo acti pressique illius parietes, quem continent fœtum exprimunt eò potentiùs, quòd sub alvi fluxu deorsùm devolutæ intestinorum *spasticæ* oscillationes vergant ad uterum, quem sic etiam deorsùm & *spasticè* oscillare docent aut cogunt. Sæpè enim *colliquativus* & *sine modo* (a) in gravidis alvi fluxus, quem, ait *Hippocrates*, *pituita acris* (b) *in ventrem descendens, quem turbando, doloreque* torquendo, *fœtum elidit*. (c)

APHORISMUS XXXV.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ὀχλεμένῃ, ἢ δυσοκούσῃ, πταρμὸς ἐπιγιγνόμενος, ἀγαθόν.

Mulieri ab uterinâ passione *vexatæ, aut difficulter parienti, sternutatio superveniens, bonum.*

VOMITUS vomitum curat, sic & *spasmus spasmum* solvit; tanta est in animalis œconomiæ disciplinâ, rerum non modò, sed & modo-

(a) *Cels. p.* 61. (b) *Hip. de morb. mulier. XLI. v.* 1. *XXXVII. v.* 5. *prædict. lib. II. XXX. v.* 16.
(c) *Cels. p.* 61.

rum consociatio! tanta indigenæ corporis medicinæ industria! quæ solas adhibendo modificationes, ipsis sanitatis rebus opitulari novit. Ejusmodi enim sunt *sternutationes*, quæ partium *nervearum* succussus sunt, & *spasmorum* modi, tanti, observante *Hippocrate*, (*a*) ad medicinam momenti, ut licèt in *omnibus circà pulmonem morbis, & anteceſſiſſe, & ſuccedere ſternutationes, malum ſit, in aliis tamen morbis lethaliſſimis proſint*. Id autem ne exaggerare verbis videretur *Hippocrates*, hoc exponit *Aphoriſmo*, quodnam ſit morborum illud genus, cui prosunt *ſternutationes*, cumque ex *ungue leonem* ex nominatis hîc *hyſtericâ paſſione & partu difficili*, inferre licet, *ſpaſmodicos* esse affectus, quibus singulari auxilio sunt sternutationes. Igitur apage hinc lascivam & turpem illam *hyſtericæ paſſionis ætiologiam*, proferentem in vulgus, à seminis in utero nidulantis putore illam enasci; enimvero dato illo, quod reverà non datur, muliebri semine, putrescentem alicubi humorem sternutatione discuti, quis credendo fieret? attamen *paſſionis hyſtericæ* curam sternutationi attribuit *Hippocrates*, sternutationem ergò morbo illi congenerem esse affirmabis; & reverà is maximè est, quem uno ore *ſpaſmodicum* omnes profitentur, quem certè levat sternutatio, quòd *ſpaſmus ſit paſſio hyſterica*, convulsionisque genus sternutatio; quòdque *ſpaſmum à ſpaſmo* discuti frequens sit; imò *ſpaſtica diatheſis*, quæ tot alit morbos, *ſpaſmis* hùc illùc inductis, ut plurimùm saneſcit, tota enim *ſtimulantium*, purgantium imprimis, *emeticorum*, *veſicatoriorum* hæc ars est, sic nempè procul ab affectâ parte contractiunculas excitando, ut nervorum affectorum oscillationes ad se invitando vel convertendo laxari faciat partem affectam.

Enimverò ut humorum aliquò irrumpentium affluxus inflammationes parit, facit *ſpaſmos* oscillationum aliquò currentium confluxus, unde in curando, ut humorum ità & oscillationum instituendæ erunt *diverſiones*, quas quia sternutatio facit, *hyſtericæ paſſioni* levamini est: nec ineptè aut insolitè ad illius morbi curam, quæ tota in *divertendis* oscillationibus posita ei videbitur, qui meminerit ideò tam singularis potentiæ fieri in curandis *hyſtericis* affectibus fœtentia naribus admota, quòd ad ingratum odorem contrahendo & emovendo se, quasique horrendo universum nervosum genus, universi corporis mutet aut vertat oscillationes.

Cæterùm alia hæc adhuc est sternutationis ratio ad partum difficilem promovendum; cum confessa sit & comperta vulgò ad accelerandum partum, *diaphragmatis* & musculorum abdominis in uterum enitentium vis, ad hanc *maximè efficax fiet ſternutatio*, (*b*) si juxta *Hippocratis* consilium parturienti, *ab admoto ſternutatorio apprehendatur, comprimaturque naſus, ſicque ſternutet*, hinc enim aucto *diaphragmatis* ad uterum concussu fœtus extunditur: clausulam addit *Hippocrates*, modò *ſitus ſit fœtus ſecundùm naturam*; cui hanc alteram addes, modò non à partium inflammatione, sed à *ſpaſticâ* constrictione veniat partûs difficultas; prior enim ratio sternutationem vetabit, suadebit posterior, unde concludas licitam in tantùm esse sternutationem, in quantùm *ſpaſmi reſiſtentiam*, *ſpaſticâ* partium *exploſione* domari convenit.

APHO-

(a) *Prænot. VIII. v. 10.* (b) *Hip. de morb. mul. XCIII. v. 6.*

APHORISMUS XXXVI.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα, καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ ἀιεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.

Mulieri menſes decolores, neque ſecundùm eadem (tempus & modum) *ſemper prodeuntes, purgatione opus eſſe ſignificant.*

VIX aliundè quàm ex ſanguinis pallore dolus major, à quo pauperari ſanguinem, cum vulgo inferentes in arte recentes aut inexperti, ſanguinem crudum illicò pronuntiant, ad hancque opinionem ſua dirigendo conſilia, *indicationeſque* formando, eas incurrunt allucinationes, à quibus manant plura quæ accidunt in muliebrium morborum curationibus infortunia. *Chloroſis* enim aut *pallidi colores*, cùm ea ſint quæ gravioribus mulierum affectibus præludant, ab his quoque ſurgunt origines errorum qui in illorum morborum curationibus committi ſolent; cruditatum enim prætextu uſurpando *aromaticorum* omne genus, quo ſanguinis refocillandi causâ abutuntur, ſanguinem & viſcera iis cumulant ignibus, qui mulierum corpora frequentiùs urunt & depaſcuntur. Erroris cauſa eſt ſanguinis raritudo, quâ tenuatus admodùm, levis ſplendenſque oculos inde ludit; quòd lintea leviter inficiendo, corporaturæ quod monſtrant minùs ſereſcenti illius aut aquaticæ naturæ attribuunt, quod tamen *exaltationis* aut tenuationis mirandæ effectus & indicium eſt; teſtantibus narium *hæmorrhagiis*, *hæmorrhoidum* doloribus, *arteriarum & temporum* pulſu intolerando, vigiliis, anxietatibus, quæ fervidioris, furentiſque motu ſanguinis lucida ſunt argumenta; quæ ſi ambigua videri poſſent, cogeret fidem ſanguinis à venâ ſub *chloroſi* ſectâ ſaltus aut impetus, oculos ſic feriens, ut ipſam *elaſticitatem* ferè intueri videantur. Poſthàc ſi te teneat adhuc ſereſcentis ſanguinis popularis opinio, hanc diluet aqua ſanguinis è pede miſſi mucaginibus quas cogit corporata, ejuſmodi nempè pinguibus laciniis tam denſè ſatura ut ſuccoſam ſanguinis *diatheſin* promat non dubitanter, amplaſque illius divitias.

Hujus proſapiæ *decolores* & pallidi *menſes* purgationem non indicabunt, ſed qui à ſanguine venient reverà ſereſcente, paſſo *fluorem*, diffluente in aquas & vappeſcere cœpto, quæ omnia ſignificant partium mollities & *atonia*, dolorumque, febris, & ſanguinis grumorum abſentia: quod enim hîc medendi *gnomon* erit, ſi decolores, *nec ut convenit* fluendo *menſes*, identidem ſanguinis atros aut rubentes grumos ſecum educant; unà comitibus narium *hæmorrhagiis* & *hæmorrhoidum* tumoribus, inſimulque ſi durè & vegetè vibrat pulſus; ſub menſium illo pallore doloſo latet viſcerum ignis aut æſtus, à quo uteri *glandulis* facta *phlogoſis*, illos eructari cogit decolores & pallidos *menſes*, quos *purgantibus* curare, ignem oleo aſpergere eſt.

APHO-

APHORISMUS XXXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ἢν αἱ μαστοὶ ἐξαίφνης ἰσχναὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει.

Mulieri in utero gerenti, si mammæ ex improviso graciles fiant, abortit.

NOTUS cuique est *mammarum* ad uterum responsus naturalis, mutuaque consensio, ut enim partes sunt jugi ejusdem aut ejusdem operis, propagationis nempè generis humani adjutrices, & ministræ, ejusdem commodulationis & obsequii esse debuerunt. Hoc ut succederet, utrasque ex æquo teneras natura instituendo unius modi fecit, aut *toni* unius, *nerveas* proindè non modò sed & tensas æquabiliter aut *homotonas*, iisque mensurâ & modo, ut mota altera, alteram emoveat. Ille ipse durat sub morbis responsus, unde natâ tunc alicubi *spasticâ diathesi*, aliorsum raptæ nervorum undulationes, universæ animalis œconomiæ æquilibrium frangunt, totiusque *nervosi* generis alienant oscillationes: at *nerveæ* maximè sunt mammæ, violati ergò æquilibrii offensas sentiunt singulariter, hincque illarum illicò cadente aut retenso *elatere*, laxantur ipsæ & gracilescunt, hisque compatiendo malis, aut accinendo modulationibus uterus, laxatur similiter, fœtumque laxando deturbat.

APHORISMUS XXXVIII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ἢν ὁ ἕτερος μαστὸς ἰσχνὸς γένηται δίδυμα ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκει· καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν· ἢν δ' ὁ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ.

Mulieri in utero gerenti, si altera mamma gracilis fiat gemellos gestanti, alterutrum abortit. Et, si quidem dextra gracilis fiat, marem; si verò sinistra, fœminam.

DUM ubique, quod mirabère, constans sibique similis, & idem sit *Hippocrates* in observando, sive unius ingenii, non unius labii semper est in exponendis observationum suarum *ætiologiis*, *calidi* & *frigidi* modò, modò *amari*, & *acerbi* sermones usurpans, interdùm ad *flatus* omnia revocans; verbo in tradendis *ætiologiis*, arcana *physices* revelanda non videtur suscipere, sed adoptat vulgares, toleratque notiones, idest, vetera verba, usu, vulgoque trita; ad vulgi captum temperando expositiones rerum, quæ unâ ferè illius causâ instituuntur: vulgò enim ut sapientibus debitor est in curando Medicus, unde illud ei donandum eloquii genus, quo suas medendi rationes aperiat vulgò.

Itaque apud *Hippocratem*, observationem ab eloquio discernere memineris, quod illa veri habet, ille venatur, docetque quod in hoc mendosum est, verbis usurpare non veritus, quæ ad observationis mentem manifestandam

dam vulgo neceſſaria veniunt. Porrò cùm nullibi tam frequens quàm in medicinâ vulgus ſit, cujus nempè opera ſpectant ad omnes cujuſcunque ordinis homines fuerint, vulgi gratiâ non rarò tolerandi in Medico ſunt vulgi ſermones. Atqui temporum illorum miſella philoſophia erat, pauperculâ *anatome*, quare nihil habet miri, quòd quæ ex illis diſciplinis exſcripſerunt veterum ſapientes, cum phyſices noſtræ *acribetâ* malè concordent.

APHORISMUS XXXIX.

Ἢν γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα, γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

Si mulier quæ nec prægnans eſt, nec peperit, lac habeat, ei menſtrua deficerunt.

RARA *avis*, lac in virginum mammis, interim utut infrequens illius exemplum cauſam obſervando invenit *Hippocrates*, in *menſium* defectu. Hîc ergò recognoſces alterum uteri ad mammas reſponsûs ſingulare argumentum, hujuſque tam certi, ut mammæ vel ipſa delinquentis uteri in ſe ſuſcipere non recuſent errata, quandoquidem menſibus defecto utero, lacte diteſcant mammæ, lucro tamen apponentes, quæ *utero* ſunt damno. Id facit vaſorum *mechaniſmus*, ultronea ſcilicèt vaſorum mammarum dilatatio, dum ſtringuntur uteri vaſa; *ſpaſtica* quippè non rarò eſt *diatheſis*, quæ *arteriarum* uteri *diametros* ſtringendo, *menſes* comprimit, at *lymphaticarum* imprimis, quarum cùm anguſtiores ſint capacitates, aſtrictionem illam ſentiunt priùs aut magis, magis proindè anguſtantur, hincque compreſſæ nimiùm, quam continent *lympham* regredi cogunt aut reflecti; ſed eò certè verſùs, ubi plus convenientiæ vel affinitatis, reſiſtentiæque minùs invenient; cujuſmodi cùm ſint arteriæ mammarum *lymphaticæ*, aut arteriaci *lymphatum* tubuli, ex quibus mammæ compactæ ſunt (*lymphaticis* enim uteri arteriis congeneres ſunt, & illic ſitæ, eòque deſinentes, ubi mollia & pulpoſa omnia ſunt, & ad reſiſtendum facta minùs) igitur ad mammas abigi neceſſum eſt *lympham*, quam compreſſæ *lymphaticæ* uteri arteriæ reflecti cogunt; quæ utpotè lactis proxima materies, ut primùm proprium loci illius tritum aut ſubactum fuerit experta, lacteſcit.

APHO-

APHORISMUS XL.

Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς, αἷμα (συστρέφετ), μανίην σημαίνει.

Mulieribus quibus in mammas sanguis convertitur, insaniam significat.

DE *suffusis sanguine mammis* hunc *Aphorismum* exponunt (*a*) juxta quam opinionem ad *apostasin* illum referunt, sub quâ dum pus fit, ut dolores ità & deliria fieri possunt. Notio hæc ut facilis & obvia, multorum præoccupavit mentes, licèt inter medendum non adeò frequens sit hic casus, contra videas non rarò puerperarum mammis inflammationes & abscessus adnasci, quæ mentem ne hilum turbant. Non paucas adhuc habes mulieres insaniâ tentatas nullâ, quamvis atroci, jugique mammæ *carcinomatis* tormento crucientur; alias *erysipelate* molesto mammarum laborantes, unde *sphacelus* etiam aut *gangræna* succedit, comite nullo insaniæ insultu. Denique exempla sunt virginum, maximè de illarum numero quæ mammosæ sunt, in quibus mammarum alterutra in enormem extuberat molem, duram & renitentem, sed æquabilem, nullis distinctam glandulis, tinctam rubore nullo, *tensivo* tamen nec mediocri dolore incommodam; sed unde insaniæ nihil, quem omnem tumorem brevi fugat non oscitanter, tum ex brachio, tùm ex pede sectâ vena. Itaque de hujuscemodi sanguinis collectione expositus hic *Aphorismus*, non omninò refert, aut sapit *Hippocratis* sensum, qui utpotè artis sapiens, nostram certè noluerit cogere fidem, ei jubendo, quod non ostenderit artis usus.

Criminis hujus suspicionem omnem amovisset, intellecta meliùs, aptiùsque ad interpretis naturæ, hujusque mentem isthæc assertio; enimverò in humorum cumulos refundere soliti, quod ad humorum mutatas directiones pertinet, *sanguinem ad mammas converti*, sanguinem in mammis congeri, glomerari & suppurare pronuntiarunt, hincq; duxerunt insaniæ causam: sed præterquamquòd *insaniæ* vox, delirium sine febre apud *Hippocratem* significare videatur, quod cum inflammationis conceptu quadrat minùs, alteram ad mammas sanguinis *conversionem* investigare convenit, quam & in artis usu intueri detur, & quæ *insaniam* sine febre inferre soleat. Illud *conversionis* genus cognoscendo assequêris, reminiscendo mulierum morborum plures, in aliorsùm detorto, conversoque sanguinis circuitu consistere, aliò nempè quàm ad uterum declinante *mensium* sanguine; sanguini autem illi ad pectus, cui insident mammæ, verti familiare est, *ubi*, inquit *Hippocrates*, (b) *uteri conclusi sunt, menses sursùm ad mammas delegare, & ad pectus ascendere facit*: hinc factæ illic *stasi* solitum est sævam succedere suffocationem, quam *hystericam* dicunt, cujus urgens adeò interdùm *paroxismus* est, ut totum cum mammis extumescens & *elevatum* (c) pectus dissilire fermè vi-

(a) *Cels.p.63.* (b) *De morb.mulier.II.XXIII.*
(c) *Ibid.v.16.*

deatur. Porrò *hysterico paroxysmo* delirium, insaniam hîc dictum supervenire frequens est. Ergò *mulieribus quibus in mammas sanguis convertitur, insaniam significat.*

APHORISMUS XLI.

Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὶν καθεύδειν μέλλῃ, (ἀδείπνῳ ἐούσῃ) μελίκρατον διδόναι πιεῖν· κἢν μὲν στρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει· ἢν δὲ μὴ, οὐ κύει.

Mulierem si velis cognoscere, an prægnans sit, ubi dormitura est (incœnatæ) *aquam mulsam bibendam dato. Et siquidem tormen habeat circà ventrem, prægnans est: si verò minus, prægnans non est.*

Hic videas prima observationum specimina, inchoantis nedum formatæ observandi scientiæ rudimenta: hæc fuisse oportuit medicinæ incunabula, quæ cùm ab usu cœpit, à plebe non pauca debuit mutuari; talia certè philosophia cultior emendasset, at quia à temporum illorum moribus abfuit, nostræ, utpote compotiori, corrigenda superfuêre. Interim in Hebræorum monumentis, à quibus tam multa traxit Paganorum superstitio, radicem habet hoc aquæ mulsæ poculum; ut enim suæ erant Judæis Zelotypiæ potiones, ceu *aquæ amarissimæ*, (*a*) quorum poculo zelotypo marito patefiebat uxoris crimen, harum imitamine Paganorum animos fortè invaserit erga flumina (*b*) quædam superstitio, quibus criminum revelandorum virtutem attribuerunt; tum ejusmodi divinatorum poculorum exemplo adinvenerint philosophi, horumque ductu admiserit *Hippocrates* quasdam potiones, quæ inchoatum conceptum patefacerent. Hanc adjuvat conjecturam quòd cum *Josepho* Ægypti Præfecto *scyphus erat, in quo solebat augurari*, (*c*) sui quoque fuêre Paganis (*d*) crateres auguriales, quos fortè æmulati fuerint philosophi, horumque malo exemplo *Hippocrates*, ut arcana naturæ detegerent: sed spuria isthæc Judæorum cultûs imitamina, ut philosophis, *Hippocrati* magis fuco fuêre, qui ut erat, naturæ majestatis retegendæ curiosus maximè observationum amantissimus fuit.

(a) *Numeror. cap. V. v.* 18.
(b) Grot. *in hunc scripturæ locum.* Plin. *hist. lib. XXXI. c.* 2.
(c) *Genes. c.* 44. *v.* 5.
(d) *Vid.* Grot. *in hunc loc.*

APHORISMUS XLII.

Γυνὴ ἔγκυος, εἰ μὲν ἄῤῥεν κύει, εὔχρως ἐστίν· ἢν δὲ θῆλυ, δύσχρως.

Mulier prægnans, si quidem marem gestat, benè colorata est: si verò fœminam, malè colorata.

Cujus sexûs sit quem mulier gestat infans præcognoscere, non admodùm interest, at habere compertum qualis sit indolis infantis nutricatûs materies, gravis est momenti; bonum enim duplex, si illa laudabilis fuerit, matris nempè, quæ benigno utitur sanguine & infantis, qui *euchymo* alitur succo. Igitur ex bello vultûs prægnantis colore, quantumvis falsum duxerit argumentum philosophia vetus, ad definiendum partûs futuri sexum, ex illo triti, ut decet, laudabiliterque cocti sanguinis indubium elicit indicium *physiologia* recens, unde *eusarcum* sibi compegerit corpus nasciturus infans. Interim inde sua huic *Hippocratis* observationi afferitur, constatque veritas, ex bono nimirùm gravidæ vultûs colore dari signum, vegetè & viriliter habere se infantis qui gestatur corpus; non ideò tamen quod à puro sanguine ducta sint prima fœtûs corpusculi stamina, sed quòd à conceptu suo ex ovo hæc evoluta semel humore laudabili rorata primùm, posthàc eodem insuccata fuerint.

APHORISMUS XLIII.

Ἢν γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται, θανατῶδες.

Si mulieri prægnanti erysipelas in utero fiat, lethale.

Uteri *erysipelas*, aut ignis sacer, morbus erat ut videtur *Hippocrati* maximè notus & formidabilis, fusè enim & sigillatim illum (*a*) describit; at hoc loco, quasi exemplo est *in amatoriorum* morborum, quos persequitur (*b*) & ex æquo prægnantibus lethales pronuntiat. Igitur hoc *Aphorismo* admonere videtur *Hippocrates inflammatorios* affectus prægnanti mulieri lethales esse omnes, sed hos inter uteri *phlegmonen*, duplici titulo gravidæ funestam, tùm quòd matri mortem, interitumque infanti minetur: uterus enim ipse, etiam demptâ graviditatis circumstantiâ, *erysipelate* laborans, perniciem affert, sub graviditatis autem statu singularem fœtui minatur cladem; *erysipelas* enim sanguinis *stasin* importat, proindè sanguinis circuitûs hæsitantiam, unde morata nutricalis *lympha*, suo fœtum defraudat pabulo; insuper cespitans in utero sanguinis motus, suum matris ad fœtum rum-

(a) *De nat. mulieb. X. de morb. mulier. II. LVIII.* (b) *Lib. de morb. III. 9.*

rumpit circuitum ; hoc autem annonæ fontes fœtui præscindere est, mortis ergò ponere causas.

APHORISMUS XLIV.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἔσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσιν, ἐκτιτρώσκουσι, πρὶν ἢ παχυνθῶσαι.

Quæ præter naturam tenues existentes in utero gerunt, abortiunt, priusquam crassescant.

IN illas cadere hujus *Aphorismi* sensum, quæ tabidæ sunt, aut ad tabem proclives in propatulo est, quas ergò admoneri vult *Hippocrates*, quantùm illis à matrimonio impendeat periculi, utpotè quæ nonnisi proprio vitæ impendio, posteritati queant operam dare. Ast alias adhuc hinc admoneri observabile est, tùm illas quæ corpore toto aridæ natæ sunt, tùm illas, quæ utut, si vultum aut faciem respicis, non illaudabilis sint habitudinis, tamen tenues sunt, quia nerviceæ texturæ sunt illarum carnes, non pulposæ, nec pingues, sed firmioris *toni*, hincque ferè in *spasmum* proclives, & in quibus uterus densiùs, & rigidius se habet, quia nerviceus ideòque contractus est: sic enim habitæ mulieres abortire periclitantur, itaut immaturos, aut mortuos fœtus, seriùs citiùsve, ab illis mirabiliter fundi sæpè videas: in causâ est fibrarum uteri *contractilitas* minor, aut major firmitudo, quæ uteri, dùm crescit fœtus, dilatationi obicem ponens & *resistentiam*, fœtum promit artiùs, suffocat, necatque quæ in multis infantium in utero extinctorum, familiaris heu! causa est.

Priusquam crassescant: his verbis continetur remedii genus, admonente *Hippocrate*, curandum Medico esse, faciendumque, ut ejusmodi habitudinis fœminæ, succi plus aut corporaturæ sibi fecerint, antequam nuptui dentur, vel si nuptæ sint, antequam suo se permittant viro.

APHORISMUS XLV.

Ὁκόσαι δ' μετρίως τὸ σῶμα ἔχουσαι ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα & τρίμηνα ἄτερ προφάσιος φανερῆς, ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι, & οὐ δύνανται κρατεῖν διὰ τὸ βάρος τὸ ἔμβυον, ἀλλ' ἀποῤῥήγνυνται.

Quæ verò mediocriter corpus habentes abortiunt bimestres & trimestres, sine causâ manifestâ, his uteri acetabula muco plena sunt, & non possunt continere fœtum præ gravitate, sed abrumpuntur.

QUAM modò habebas abortionum causam à *stricto*, à *laxo* hîc habes alteram, lubricam nempè uteri *diathesin*, quam facit fibrarum uteri

si laxitas major, aut *elateris* debilitas, hæc enim mucorum causa est, cùm mucus nutritia *lympha* sit, *secretoriorum* culpâ vitiata, quæ cum à *toni* nativi firmitudine desciscunt, id perdunt roboris, quo ad tritum coctionemq; secernendorum opus habent, unde pro nutricali *lymphâ*, viscosum succum vel mucum plorant laxæ partes aut debilitatæ. Huic ergò *laxi* vitio obnoxia esse uteri *acetabula*, ceu oscula illius vasorum observavit *Hippocrates*, in illis mulieribus quæ *mediocriter corpus habent*, ideſt, quæ mollescentis texturæ sunt, quarum quippè uterus *elatere* debito defectus, sustinendæ fœtûs moli factus impar fatiscit, & *fœtum præ gravitate continere non potest*. Tertio autem graviditatis mense accidere ejusmodi abortum observari vult *Hippocrates*, hanc innuens medendi legem à *laxo* fieri abortum, qui tertio circiter mense contingit mulieri, quæ *mediocriter*, vel non satis firmum corpus habet.

Hanc altiùs meditando debilitatis causam, invenies uteri *elaterem* in ejusmodi fœminis ideò minui, illarum imprimis si viscera fervent, quòd à conceptu ad uterum naturâ suâ jam molliorem, præcipitantiùs currendo sanguis, & veluti se ingurgitando in illius vascula oppleat ea festinantiùs, sicque intermedium obicem intra fibras illius formando constrictioni illarum, quam sub conceptu fieri necesse est, impedimento sit; interim sic adactus sanguis, stagnansque & pressus, suam sudando exprimit *lymphan*, quâ mersa uteri oscula hument, laxantur, dehiscunt, rumpuntur tandem, fœtumque elabi sinunt. Talem ut antevertas abortum, roborantia adhibes & astringentia? cumulas malum; tunc enim importunum nihil magis, quàm de stringenda parte cogitasse, priusquàm illum removeris obicem intermedium, à quo ne ad se accedant stringendæ partes, impeditur. Secandane ergò vena erit? reapsè, abortientibus fœminis auxilio fuisse sanguinis missionem compertum est, ea haud dubiè de causâ, quòd sanguinis molem avertens ab utero, fibrarum hujus flexibilitatem tueatur.

APHORISMUS XLVI.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἔῤσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταῦτησι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῆς ὑστερέων ἀποπιέζει, ἢν πρὶν ἢ λεπτυνθῶσι, κύουσιν.

Quæ præter naturam crassæ existentes non concipiunt in utero, his omentum os uteri comprimit, & priusquàm attenuentur, prægnantes non fiunt.

OMENTI nomine ipsissimum *omentum* hîc ab *Hippocrate* intelligi, qui asseruerit, conviciabitur, de fœminis enim *maximè crassis*, seu pinguibus admodùm aut obesis sermonem instituens, quas steriles esse solere volebat, *omento os uteri illis comprimi* dicit, *omenti* vocem accipiens, ut rei omnium pinguissimæ (fortè an pinguedinum fontis) expositurus ejusmodi fœminarum sterilitatis causam in pinguedinum exuberantiâ sitam esse; & reverâ de illâ sterilitate agendo *Hippocrates* aliis suis in libris, *à pinguedi-*

ne

ne (a) *læsos uteros* esse dicit in illis fœminis quæ *præter naturam crassæ* (*b*) sunt, aut *crassefactæ*. (*c*) Hancque juxtà doctrinam differendo de mulieribus, quæ ad conceptionem præparatæ melius sunt, *tenues crassis* (d) *præstantiores* esse pronuntiat, infertque in attenuandis crassioribus laborandum Medico esse, qui illam curabit sterilitatem, quia ut ait, *locus conceptui idoneus, si sanus, siccus esse* debet; (*e*) cum quæ *spissos* (crassos) *uteros habent non concipiant* (*f*). Rationem subjungit, *extinguitur* (ait) *in illis uteri genitura*; aptissimè autem ad rei, partiumque *mechanismi* veritatem, spiritus enim genitalis, totus, ut est à naturâ *spiritus*, summèque meabilis, rerum lentore sorptus illicò torpet, locorumque impeditos nanciscendo meatus reses fit & inutilis, sed hic status dictarum mulierum est, in quibus tota pinguedine gravis uteri substantia, *genituræ spiritui* meatus claudit suos, & uteri cavo hærens, hûc nempè detrusus, *tubæ Fallopianæ* tubum aut meatum subire impeditur, itaque illius fœcundante afflatu defraudatum mulieris *ovarium*, sua non dimittit ovula, sicque casso facto *genituræ spiritu*, irritus fit conceptus.

APHORISMUS XLVII.

Ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκεκμῦν διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γνέσθαι.

Si uterus coxæ incumbens suppuratus fuerit, necesse est medicamenta in lineo carpto applicari.

SI *uterus in coxam incumbens suppuratus fuerit, necesse est, emmotum fieri*; sic enim vertunt *Martianus, Heurnius*, &c.... hic autem *Aphorismus* spectat ad *prognosin* inflammationis uteri, quàm aliàs describendo (*g*) *Hippocrates* admonet, solitum ei esse desinere in ulcus ad interiorem cavitatem penetrans. *Emmoi* enim dicuntur, qui cavo ulcere laborant, ad interiora corporis penetrante, quod *moto*, ideſt, penicillo indiget ut curetur. Igitur postquam docuit (*h*) *lethale esse si in utero fiat erysipelas*; hoc loco addit alterum gravissimum morbi genus, uteri scilicèt inflammationem, quæ in ulcus insanabile desinit, utpotè intra corporis cavum penetrans, quod penicillis & linamentis leniri datur, non sanari. Tam grave malum ut averteret *Hippocrates*, nec *ustionibus* (*i*) parcendum volebat, relicto hinc posteris exemplo, ut quemadmodum *extremo* huic malo, *extrema*, quæ temporibus illis nota remedia erant, *ustiones* nempè, usurpare non verebatur, præsentissima quoque temporum suorum auxilia adhibere audeant, tùm animo-

---

(a) *De superfect. XVIII. de steril. X. 7.*
(b) *De superfect. IX. 4.*
(c) *De nat. mulieb. XIX. 5.*
(d) *Prædict. XXXIII. 2.*
(e) *Prædict. p. 105.*
(f) *Ibid.*
(g) *De nat. mulieb. & II de morb. mulier.*
(h) *Aph. XLIII. sect. V.*
(i) *Vid. lib. de nat. mulieb. & II. de morb. mul.*

mosè, citò, & celeriter deplendo vasa, tùm temporiùs tumorem secando; ne maturationi vacando diutiùs faciat Medicus, ut ad molles quæ substernuntur partes, cuniculos clàm, fodiendo materies uterum *emmotum* faciat.

APHORISMUS XLVIII.

Ἔμβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δ' θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis.

VETERIS medicinæ minùs, quàm veterum anatomiæ hic lapsus est, hujus enim rudis adhuc & novitiæ somniis fidisse nimiùm, ipsismet artis sapientibus scandalo fuit. Verùm quod medicinæ laus est & felicitas, memineris semper, ut in artis prudentibus, sapientiæ quoque notam referunt ipsimet illorum lapsus, qui circà speculationes rerum, non usus versando, illorum incertant ratiocinia non opera. In adhibendis enim *physicis & anatomicis* rebus, illis consuetudo fuit, illinc faciendi sibi sermones, quibus opera sua interpretarentur, non eruendi, quæ opera hæc dirigebant consilia; unde dum verbis illorum dubiam, tutam illorum consiliis habebis fidem; *theorias* enim seu *naturæ rerum contemplationes*, habebant artis illi conditores, non ut documenta, quæ *Medicum faciebant*, ut commoda tamen, quæ illum *reddere* poterant *medicinæ aptiorem*; (a) benè conscii, *non post rationem inventam, quærendam esse sibi medicinam, sed post inventam medicinam quærendam esse sibi rationem*. (b)

APHORISMUS XLIX.

Ἐς ὑστερέων ἐκπτώσιας πλαφμικὸν ἐπιλιθεὶς, ἐπιλαμβάνεσθαι τὰς μυκτῆρας & τὸ στόμα.

Ut secundæ excidant, sternutatorio indito, nares & os apprehendere oportet.

SECUNDAS à partu morari, luctuosum; non enim aliunde fœtis infelicitas major, ideò certè, quòd naturâ suâ illud grave malum sit, altera tamen hàc de causâ, quòd hîc sæpè manca sit curatio, mali enim à *fluidis* unis ducendo originem, in *fluida* dirigunt totam remediorum vim, oblito *solidorum* vitio, cui non rarò curationis potior ratio deberetur; hinc *artis crimen* creditur, *quod professoris est*. (c) Huic occurret culpæ, *Hippocratis* dog-

(a) *Cels. p.* 13. (b) *Ibid. p.* 10.
(c) *Ibid.*

dogmatum eruditus, imprimis traditi hâc in curatione illius præcepti, quo *ptarmica* jubendo, sic ut consequatur sternutatio, *stimulantium* docet usum, ad pellendas *secundinas*, remediorum proindè quæ *systalticam solidorum* virtutem exsuscitent. Reverà, qui perpenderit, de solidorum genere esse *secundinas*, quæ à partu non discedentes, *solidum* in *solido* faciunt, facilè concedet, tam *forti cuneo* adhibendum esse *fortiorem cuneum*, ideſt, aliud ab *emmenagogis* fortissimis fortius auxilii genus; hoc in sternutamento ponit hîc *Hippocrates*, alterum aliundè adjungens, *corporis* nempè *concussionem*, (a) quam jubere non veretur; unde intelliget artis sagax, quantum hîc *Hippocratis* exemplo, à *solidorum* curatione expectabit auxilii, ubi sæpè à *spasticâ* uteri fibrarum constrictione fit *secundarum* adhæsus, à firmiore nempè uteri osculorum cum *placentæ* vasis inoculatione, *incastraturâve* strictiori, quæ laxari indiget & solvi.

APHORISMUS L.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἢν βέλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς ἣν τιτθοὺς προσβαλλε.

Mulieri menstrua si velis cohibere, cucurbitam, quàm maximam ad mammas appone.

Quæ incruenta aut sicca *cucurbita*, sicca *phlebotomia*, est, illi nempè non absimile quod à sanguine misso obtinetur auxilium; nam tusa vena sanguinis effugium est eò prorumpentis, quò fractæ partium resistentiæ sanguinis fluentum evocant: verùm *cucurbitæ*, quæ *maximæ* erit, hic est effectus, in partes potissimùm quæ ut mammæ molles sunt & dilatabiles maximè, quarum *cucurbitæ* aspiratio loculamenta pandens, vasculorum ex quibus constant diametros aperit aut capacitates; hinc autem dilatata partium spatia sentiens sanguis, eò versùs abripitur, à locisque quò confluebat uberiùs, illùc effluit parciùs. Igitur *menstrua exuberantia si velis cohibere, cucurbitam quàm maximam ad mammas appone*, sic enim ab utero ad mammas evocatus sanguis regreditur, profundique cessat.

APHORISMUS LI.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, ἰητέων τὸ στόμα τῆς ὑστερέων συμμέμυκεν.

Quæ in utero gerunt, harum os uteri clausum est.

Hic habetur graviditatis signaculum, conceptionisque rationis argumentum, ille enim oris uteri compressus singularis, uteri totius statum

(a) *I. De morb. mul. XCIII. 8.*

tum significat, constrictionis scilicet, quo in se contrahitur, cujus operâ genitali auræ opus fuit, ut ad uteri fundum, *Fallopiique* tubas ascenderet. Itaque facto conceptu, mutatas putes uteri oscillationum directiones, quæ antè graviditatem descendentes, à conceptu ascendunt: nec fortuitò, sic enim recollectus in se uterus, *toni* fit robustioris, quo adnascituri fœtus molem & pondus fortiùs sustineat. Exindè ineunte graviditate depressa invenitur uteri regio, stomachus gravatur, turgent mammæ, à constricto quippè tùm utero expulsus expressusque sursùm sanguis uteri vasa magnâ sui quantitate declinando, superna affectat loca, usque dùm procedente graviditatis tempore, dilatata pandentis se uteri vasa, æquabiliora circulanti sanguini faciant spatia. Hinc intelligere datur causam ægritudinum, quæ ingravidationis, primipararum maximè, vexant initia, sanguinis enim suo ab ordine circuitûs dejicientis se affecta sunt aut turbamenta.

APHORISMUS LII.

Ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει. Ἢν δ' στερεοὶ οἱ μαστοὶ ἔωσιν, ὑγιηνότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει.

Mulieri in utero gerenti si multùm lactis ex mammis fluxerit, infirmum fœtum significat. Si verò solidæ fuerint mammæ, saniorem fœtum significat.

Quasdam observabis, quibus graviditatis tempore, sponte suâ lacte manant mammæ, quianè debilitata dehiscerent, aut coacta violarentur *secretoriorum* oscilla? si priùs, indicabunt pallentes papillæ, ipsæque fluentes mammæ; si posteriùs, suadebit utrarumque firma habitudo. *Plethoricas* enim, mammosas imprimis, reperies, in quibus nutritio saturæ succo *lymphaticæ arteriæ*, in hac sic eluxuriantur; alias in quibus morbida quædam sanguinis in utero congesta *stasis*, circuitum illius hâc in parte intercipiendo; lactis materiem ad mammas ire cogit, vel in quibus arcanâ quâdam ægritudinis causâ nauseabundus factus infans cibum fastidit, qui pulsus ab uteri locis, fugit ad mammas, hîcque hospitatur: in illo casu superfluî jacturam habes, in hoc necessarii, illic recognosces roboris exuperantiam, hîc virtutis oppressæ laborem, quem fœtûs infirmitatem nuncupare, rei veritatem simul & *Hippocratis* verba tenere est.

APHORISMUS LIII.

Ὁκόσαι ἀμφθείρειν μέλλυσι τὰ ἔμβρυα, ταύτησιν οἱ τίτθοι ἰσχνοὶ γίνονται. ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γένωνται, ὀδύνη ἔσται, ἢ ἐν τοῖσι τιθθοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσι γούνασι, καὶ οὐκ ἀμφθείρουσιν.

Quæ perdituræ ſunt fœtus, his mammæ graciles fiunt. Si verò rursùs duræ fiant, dolor erit, aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus, & non perdunt.

AD trigeſimum ſeptimum hujuſce ſectionis *Aphoriſmum* hic appendix eſt, aut illius interpretamentum, quo admonemur non omnem gravidarum mammis factam flacciditatem, imminentis abortûs indicium habendum eſſe aut augurium; contingit enim interdùm, ut flacciditas illa temporaria ſit, adeout eadem quæ graviditatem ſignificaverat mammarum facta primùm ineunte graviditate firmitudo, poſtliminiò redeat, rursùmque ſe prodat, quo dato, vaneſcit abortionis periculum, ſed non gratuitò, altero quippè redimendum incommodo: dolor enim alicubi ſuccedet, in *mammis* vel *coxis*, &... Sed hîc recognoſces jugem naturæ conantis, benèque ſe tuentis laborem, aſſiduè nempè nitentis, ut inſitam partium cadentem illicò reſuſcitet *ſyſtalticam* virtutem, doloris etiam alicujus vel incommodi periculo, ut proprium aſſerat, redintegretvè partium *elaterem*, vel *eutoniam*. Præſens hic caſus eſt, ubi fatiſcentem in mammis erigere ſatagens natura *elaterem*, impenſiùs hunc per totum corpus intendit, doloris quidem alicujus periculo, ſed quod abortionis diſcrimine grave minus eſt, *ſpaſtica* enim quæ hinc exurgit *diatheſis*, naſcenti dolori remedio erit, utpotè cùm hæc eadem virtus erit quæ tranſitorias inde natas diſcutiet ſanguinis *ſtaſes*, *phlogoſeſque* diſſipando reſolvet.

APHORISMUS LIV.

Ὁκόσῃσι τὸ στόμα τῆς ὑστέρης σκληρόν ἐστι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ στόμα τῆς ὑστέρης ξυμμύειν.

Quibus os uteri durum eſt, his neceſſe eſt os uteri clauſum eſſe.

NE ad poſteros non emendatus veniret *Aphoriſmus* quinquageſimus primus; huic clauſulam apponi hîc voluit *Hippocrates*, tantùm ergà poſteros reverentiæ medicinalia ſcribentibus habendum! ne vel mortui hominum vitæ inſidientur, ſepultique vivant per viventium neces. Igitur *os uteri clauſum* ad graviditatem ut faciat, nativi *elateris* vi compreſſum

illud esse oportet, non durum, non renitens, leve non asperum, sic enim si affectum sit, multis observat in locis (*a*) *Hippocrates*, in tantùm graviditatem non indicare illud, ut illam arceat magis. Porrò, ut *glandulis* multis obsitæ sunt omnes illæ partes, putres & *muriatico-salinos* latices, hinc illinc plorari non infrequens est, à quibus improbè roratum uteri os durescat, doleatvè, unde cùm aliud à gravidatione longè diversum significatur, non de illo intelligendum esse suum *Aphorismi* quinquagesimi primi pronuntiatum, hoc altero declarat *Hippocrates*.

APHORISMUS LV.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχεται ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνον, καὶ ἰσχυρῶς ἰσχναίνον, ἄνευ προφάσιος φανερῆς, τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως, ἢ ἀμβλισκόμεναι κινδυνεύουσιν.

Quæcunque in utero gerentes à febribus corripiuntur; & vehementer attenuantur absque manifesta occasione, difficulter & periculosè pariunt, aut abortientes periclitantur.

ATTENUARI gravidæ corpus sub *acutis* febribus, ab enormi quâlibet evacuatione, hincque graves partui & parituræ intentari minas communis & publica notio est, graviores has esse minas, si *absque ratione manifesta* fiat sub *acutis* gravidarum febribus *attenuatio*, hujus *Aphorismi* observatio est singularis: quam enim hîc *absque ratione attenuationem* vocat *Hippocrates*, *colliquationem* (b) *sine ratione* (manifestâ) alibi dicit; in eo igitur versatur periculi hujus gravioris ratio, quòd absque evacuatione ullâ evidenti colliquescat gravidæ corpus, unde conjici superest aliò quàm ad *fluida* referendam esse illam colliquationem, utpotè cùm evidentia esse soleant *fluidorum* vitia; isthæc ergò culpa in *solida* refundenda venit, in quibus reconditur *lymphæ* nervorum arcana *stasis*, spissitudinem puta, quâ tardatus illius succi circuitus, languet aut torpet nativa partium *systaltica* vis, segnescentibusque oscillationibus, cum coctionibus marcent partes, hæcque attenuatio absque ratione manifestâ est, velutique ipsarum penitior exsiccatio medullarum, unde quantùm discriminis prægnanti impendere debeat tam obvium, quàm evidens *solidorum* elateris necessitas, ad tuendas & fœtûs & fœtæ vires, utriusque proindè tutamen.

APHO-

(a) *De multis morbis.* (b) *Coac.* III. 408.

APHORISMUS LVI.

Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λιποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

Si fluxui muliebri, convulsio & animi deliquium supervenient, malum.

QUOD *Aphorismo* tertio hujus sectionis asseritur de quâlibet *hæmorrhagia*, *mensibus* mulierum hîc addicitur, ideò certè quòd *convulsionem & animi deliquium* ejusmodi *hæmorrhagiæ* supervenire frequentiùs observaverit *Hippocrates*. Reverâ observabile maximè est in *hystericos spasmos* naturâ suâ mulieres inclinari, quos cùm expertæ fuerunt, suis cum mensibus incurrere solent, adeout quæ *hystericis* affectibus obnoxiæ vivunt, his *mensium* tempore objiciantur magis; imò ex *hystericis* mulieribus invenis non paucas quæ vix consanescunt, nisi postquàm illam elapsæ sunt ætatem, quâ exactâ cessant fœminis menses. Enimverò *spastica* ferè, sed ultronea *diathesis* est, *toni* illa ratio, quam fœminarum *nervis* accedere necessum est, ut ad *mensium* excretionem se componant; cùm enim sanguinis cumulati moles sit quæ evacuanda venit, auctum *momentum* putabis potentiæ solitæ superandum, cui ut par illa potentia evadat, *elateris* vim illius elevari oportet, quâ in sanguinem mole & resistentiâ auctum contendat fortiùs, hinc tensio fibrarum, quæ in *hystericis* convelli facilibus, ad *spasmum* aut *convulsionem* initium est. Neque ab hac abludit *ætiologia*, deliquiorum animi ratio, ut enim *hystericis* animo linqui familiare est, cogitabis strangulatûs *lymphæ* nervorum culpâ committi illud *lypothimiæ* genus, *spasmodico* enim *tono* præoccupatis jam fibris, *lymphæ* illius circuitum impediri est. Porrò utrinque mulieri dùm *menses* eunt, discrimen imminet non mediocre, sub illâ enim partium constrictione sanguinis alveo obex fit aut impedimentum, quod præcipitis mali vel præsens & urgens causa est, vel futurorum nimiùm ferax seminarium.

APHORISMUS LVII.

Καταμηνίων γινομένων, πλειόνων νοῦσοι ξυμβαίνουσι· ἐὰν μὴ γινομένων, ἀπὸ τῆς ὑστέρης γίνονται νοῦσοι.

Mensibus copiosioribus prodeuntibus, morbi contingunt: & non prodeuntibus, ab utero fiunt morbi.

LUBRICUM sanitatis! constantis tam inconstanter, tam ambiguè consistentis; quæ enim *mensium excretionis* exposita hîc sors est, cæterarum fit conditio, unde cum in *excretionibus* posita tota sit corporis œconomia, ut à *mensium* ità & ab *excretionum* excessu defectuvè pendet sanitas. Æqui rectique lex est servanda naturæ, in expellendis unicè quæ superflua, unicè retinendis quæ necessaria sunt, eâ æquabilitate, ut ultrà hanc citravè

pergendo delinquatur. Æquilibritatis ergò genus est sanitas, cujus proindè integritas ab hilo pendet, ceu succi alicujus momento, quod additum inutiliter aut perperàm detractum, inclinat æquilibrium sanitatis.

Posthàc miraberis, si *parva* habeantur *magnorum morborum* initia? quod ut ad *mensium* evacuationem transferas, memineris unciarum tantùm aliquot eam esse, quæ interim si parciùs se habeat, stupendum quas edat strages! quantitatis ratione dices? sed non illius molis est tantilla illa sanguinis quantitas, quæ intra longa vasorum spatia regrediens, invenire non quiret locum; *momenti* ergò rationem accusabis, quod uteri vasa pondere gravans, partis mutat *tonum*, *resistentias* auget, æquilibrium perdit. E contrario impetuosiùs ad uterum acta parva isthæc sanguinis quantitas, vasorum cogit capacitates, diametros violat, referat oscula? sanguinis circuitûs, illùc impetuosiùs confluentis mutantur *determinationes* & *directiones* turbantur; dùmque sanguine pauperantur corporis cæteræ partes, illo ditescens uterus opprimitur, universique corporis inopiâ iniquè locupletatus, dum reliqua viscera solito defraudat succorum commeatu, superfluis se ingurgitat, seque sanguinis luxuriâ perdit; interèa furti pœnas luens, iniquo *sero* malè saturatus, *lympharumque* stagnatus illuvie, rosionum, ulcerationum, *carcinomatis*, *atoniarum*, laxitatumque contrahit causas, seque & corpus universum afflictat longo, fœdoque sæpè supplicio.

APHORISMUS LVIII.

Ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι, καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοισι, στραγγουρίη ἐπιγίνεται· ἐπὶ δὲ ἥπατι φλεγμαίνοντι, λυγξ ἐπιγίνεται.

Recto intestino inflammato, & utero inflammato, & renibus suppuratis, urinæ stillicidium supervenit. Hepati autem inflammato, singultus supervenit.

Hæc *intestini recti inflammatio*, ea est, ut habet *Hippocrates*, quæ *dolorem & febrem* habet, ubi *frequenter ad exonerandam alvum desidet, & nihil egerit, & præ inflammatione sedes exiisse videtur* (a) in quibus *hæmorrhoidum* aut alicujus *hæmorrhoidalis* affectionis describi videbunt historiam, penès quos fuerit ex usu morbi illius notitia; norunt enim qui sic in medendo instituti fuère, *hæmorrhoidibus* inflammatis pro singulari *symptomate* esse *stranguriam*, illis proprium adeò, ut ex illâ datâ, *hæmorrhoidum* præsentiam, Medico qui in arte recoctus erit, divinare contingat, idque ad *Hippocratis* hoc in *Aphorismo* mentem, ubi medicum vult admoneri, *hæmorrhoidum* inflammationis conjecturam ex præsente *stranguria* illi esse faciendam. Idem illius consilium est in observanda ex *stranguria* uteri inflammatio-

(a) *De fistulis lib. 1, IV. 3.*

tione, ut discat Medicus ex illo symptomate ægrotantem de intestini, si vir est, de uteri verò, si fœmina est, inflammatione interrogare. Non minoris considerationis est *stranguria*, quæ renum *phlegmones*, aut *abscessûs* signum est, triplex hoc examen jubente hîc *Hippocrate*, *rerum*, *uteri*, *intestini recti*, ad discernendam *stranguriam*, quæ propriâ fit vesicæ culpâ, ab eâ quæ suas ab *utero*, *renibus*, *intestino recto* mutuatur causas; quandoquidem prout varia est causa, varia cura est: exemplo erit *stranguria* ab *hæmorrhoidibus*, cui *balneum* adhibere, abscessum invitare est aut accersere. Exemplo altera quæ ab inflammato utero procedit, ubi in tundendâ *saphenâ* festinare, morbi causas cumulare est. Exemplo tandem *stranguria*, quæ à renibus abscedentibus descendit, ubi *diuretica* propinare, dolores, inflammationem & abscessum est accelerare.

Ex *singultu*, inflammationis alterius *diagnosin* eruit, *hepatis* nimirùm, cujus vitium hinc suspicari Medicum jubet, non ideò tamen quasi proprium sit inflammati jecoris signum, ità ut tantùm se prodat singultus, ubi jecur inflammatum est; at eâ de causâ quòd cùm inflammato jecori familiaris sit singultus, Medici muneris sit explorare, ubi singultus adest, nunquid non in jecore aliquid subesset inflammatorii.

Porrò horum omnium *ætiologias* aperiunt partium inflammatarum situs & affinitas, *intestini recti* cum *vesicâ*, cui adhærendo supponitur in viris; *uteri* adhuc cum *vesicâ* cui immediatè subjacet in mulieribus; *jecoris* tandem cum *diaphragmate*, a quo pendulum in omnibus jecur est, illique adhæsu forti veluti continuum. Enimverò quando commodo foventur, seque mutuò juvant, quæ sanæ sunt proximæ partes, tantò se molestant incommodo, ubi morbosæ fiunt.

APHORISMUS LIX.

Γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ, βούλῃ δ' εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισι, θυμία κάτω. κἢν μὲν πορεύεσθαί σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας καὶ ἐς τὸ στόμα, γίνωσκε, ὅτι αὐτὴ οὐ δι' ἑωυτὴν ἄγονός ἐστιν.

Mulier si in ventre concipiat, velis autem scire an conceptura sit, vestibus circumtectam subter suffito, & si quidem procedere tibi videatur odor per corpus ad nares & ad os, scito, hanc non propter se ipsam infæcundam esse.

HIPPOCRATI dogma fuit, ad *medendum aptum illum esse*, *qui aptus est ad cognoscendum*; unde de *diagnosi*, aut cognoscendi scientiâ sollicitum adeò illum reperias, ut illius scientiæ promovendæ causâ, plura undequàque corradendo, quædam ut vera adoptavit, quæ opinabilia habebantur, sicque in mulierum affectionibus nonnulla doctorum ævi sui pro nuborum artis nugamenta, cognoscendi cupidini suæ tolerandæ, voluerit in super-

perfluis obſervationibus abundare præoptans, neceſſariis non defuturus: Eàpropter malè fidens ejuſmodi plebeculæ experimentis, nullum ex *ſubdititiis* prætermittendo, quæ plurima *lib. de ſterilibus* congeſſit, ſic admonet, *prægnantem* (a) *mulierem ſi ex allio* (ſubdito) *non cognoſcas, ex hoc cognoſces*; ſubjungitque gravidarum faſtidia & nauſeas multiplices, quas ineunte graviditate experiri fœminæ ſolent.

Interim rimando penitiùs, preſſiùſque eliciendo *Hippocratis* ſenſum, recognoſces cadere id explorandi genus in mulieres, quæ non ſuâ ſed viri culpa ſteriles ſunt. Quaſi diceret *Hippocrates*, dubitas ceu viro ſuo utens mulier, (quod hîc vocat *in ventre concipere*) cur inquam, non imprægnetur? mali cauſam viro imputabis, ſi meabile (*b*) compereris fœminæ corpus, quod *ſuffimento* ſubdito explorabis, facto nempè hinc augurio, aptum eſſe fœminæ corpus ad tranſmittendam, ſi foret, aut haberet ſe benè, viri ſeminalem auram, ideòque ſuccedente hoc experimento, *non* propter ſeipſam infœcundam eſſe fœminam pronuntiabis, virilis verò ſeminis vitio, utpotè quod fatuum, vappeſcens, aut effetum, fœcundationi ſit impar.

APHORISMUS LX.

Ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες προϊῶσι, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν.

Si mulieri in utero gerenti purgationes prodeant, fœtum ſanum eſſe impoſſibile.

MENSES ſub graviditate prodeuntes, ideò fœtui nocumento eſſe vulgò afferitur, quòd fraudi eſſe illi ſoleant, ab alimoniæ commeatu illum defraudando; & hæc certè ratio non contemnenda: præſtat tamen altera, quâ nempè gravidis facta menſium eruptio morbidum uteri profert ſtatum. Reverà Medicum in curando erudiri oportet, maximè de conditione partium, ſintnè partes in illo *toni* gradu, qui præſenti quem ſuſtinent morbo conveniat, ut quam decet laxitatem habeant aut aſtrictionem, cùm à *laxo*, *ſtrictove* pendeat *elateris* vis, quâ vel ſe tueantur, vel ſuas operentur digeſtiones, coctiones, *depurationes*. Porrò ad uterum pertinet omninò, ut in gravidis firmus ſit aut ſtrictus, in eo conſtans *toni* aut elateris non impari gradu, quo fœtum continendo ſervet; *ſolidorum* autem *tonum* infregiſſe *fluida* produnt menſes in gravidis prodeuntes, ità nempè *ſolidorum elateri* prædominari *fluidorum* molem aut impetum, ut vaſorum reſerando oſcilla, fœtui molliant vias, & exitum parent.

APHO-

(a) *De ſteril. VI.6.* (b) *Vid. Aph. LXII. & LXIII.*

APHORISMUS LXI.

Ἢν γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγιγνομένου, ἅσαι δ' αὐτῇ προσπίπτωσιν, λογίζου τοῦτο ἐν γαστρὶ ἔχειν.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente; cibi autem fastidia ipsi accedant, hanc in utero gerere putato.

HIC habes graviditatis in nuptis, in innuptis corruptæ pudicitiæ explorandæ non inutile *criterium*, ut enim in virginibus quæ incerti fuerint aut ambigui pudoris, suspecta venit *mensium* defectio, unà superstitibus ciborum appetitu, totiusque corporis habitudinis & vultûs flore, ità in mulieribus imprægnationis signum fit mensium *eclypsis*, cui *horroris* & *febris* loco, quæ *mensium* defectum, cùm morbus est, consequi solent, succedunt cibi *fastidia*, nauseæ, vomitiones. Ubi enim à morbo deficiunt menses, reses fit sanguinis moles, hincque materiæ pondus, quæ intra majora vasa refluendo, *fluidis* addita *momenti* rationem induit aut superpondii; sed hoc *solidorum* potentiæ objectum, sanguinis circuitui repagulo fit, unde motuum turbæ, *directionum* mutationes, *secretionum* confusio, *excretionum* impuritates, omniumque muliebrium ægritudinum, *rigorum*, *horrorum*, *spasmorum & febrium* causæ. Secùs fit *mensium* à conceptione suppressio, quæ oscillationum *solidorum* non *fluidorum* circulationum mutationis est effectus; conceptionis enim modus, uteri recolligentis se constrictio est, sub quâ quæ sponte deorsùm ibant oscillationes, sursùm mox reflectuntur; at ut singularis est uteri cum universo corpore concentus, corpori omni communis ille fit oscillationum ad superiora reflexus, quæ quia arcanâ fit, sed brevi *contranitentiâ* ascendentium cum descendentibus oscillationum, velitatio quædam exurgit, aut levis nascitur contrarietas, statim cessatura, ubi titubantes primùm oscillationes in pristinum ordinem se receperint; ex hoc autem tumultu surgunt varia stomachi turbamenta, nauseæ nimirùm, fastidia, vomitiones: intereà strictiores factæ vasorum uteri capacitates, oscillationumque mutatæ directiones, aliò vertunt *mensium* sanguinem, scilicèt ad majora vasa, quorum ille addictus assuefactusque hospitio, in illis toto graviditatis tempore coerceri se patitur, ad uterum oblitus evagari.

Verùm nunquid non dabitur hinc ratio propter quam tàm sanctè vetant sacri codices, nè ad uxorem accedat vir, quo tempore fluunt illi menses? revera tunc meabili factâ minùs uteri substantiâ, quæ ebria sanguine, impedita jam & plena est, pati repulsam periclitabitur genitalis aura, viro ergo permittere ferè erit conceptûs impedimentum; sed huic impedimento horrendi criminis nota affigitur & pœna; igitur tam sanctam legem benè decebat, arcere suos à tanti facinoris suspicione omni, umbrâ, vel periculo, ne homines nasci aliquatenùs prohibuisse, perdidisse videretur; furtique argueretur lex veri numinis cultorum, quos non nasci permisisse suo silentio crederetur. Et verò culpâ legis occidi est, cujus veniâ vetitum est nasci. Sed

quod

quod medicinæ rem propiùs contingit, in singulari illâ sanguinis circuitûs ratione in gravidis, causam intueris ob quam facilior fit peractâ mox, quàm imminente proximè *mensium* evacuatione, conceptus, imò tutior ab ægritudinibus, quæ graviditatem in multis infestant; adeout graviditatis incommodis vexentur minùs quæ peracto, quàm quæ imminente *mensium* fluxu imprægnantur; conceptu enim facto fluxu illo imminente stringendo se uterus simul intercipit sanguinis illam quantitatem, quæ mox mox eruptura erat, quæ posthàc cessura erit in fomitem & materiem malorum quæ gravidas excruciant; contrà si peractæ *mensium* evacuationi succedit conceptus, stringendo se uterus nihil in se retinet inutilis aut residis materiæ, quæ morbidæ *stasi* futuræ facit initia. Imò cùm nihil illìc tunc dimovendum sit aut mutandum naturæ præter oscillationum directiones, his regendis in ordinem unicè vacat & feliciter, absentibus quippè *resistentiis*, obicibus & impedimentis, quæ fibrarum uteri vitiando flexibilitatem, attingendæ, quæ gravidarum propria est, *toni* gradûs modulationi, fecissent moram.

APHORISMUS LXII.

Ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσιν, οὐ κυΐσκονται, καὶ ὁκόσαι καταύχμους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυΐσκονται· ἀποσβέννυσι γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος· καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ σκληράς· ἐνδεὴς γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα· ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτηκνοι γίγνονται.

Quæ frigidos ac densos uteros habent, non concipiunt. Et quæ præhumidos habent uteros, non concipiunt: extinguitur enim ipsis genitura. Et quæ siccos magis & adurentes: alimenti enim inopiâ semen corrumpitur. Quæ verò ex utrisque temperamentum habent moderatum, hæ ipsæ proliferæ fiunt.

TONI gradûs, ad quem in gravidis pandendo se uterus ascendit, rationem in temperamento ponit *Hippocrates*, temperamento autem, non humorum, non succorum, non *fluidorum*, sed uteri substantiæ, textûs, fibrarum, verbo *solidorum*; denique uteri temperamento, qui *densus* non erit, non *siccus*, *non adurens*, *non frigidus*, *non præhumidus*, *sed ex utrisque temperatus*. Illius ergò fibræ erunt, non compactæ, non rigidæ nimis, non molliores, non flaccidæ, sed firmæ simul & lentæ, flexibiles & firmæ, robustæ non duræ, obsequibiles non laxæ, molles non resolutæ. Uterum namque putabis *elaterem* organicum, sic à naturâ comparatum, ut ab arctissimâ capacitate in latissimam tumendo queat assurgere; interim stupenda hæc uteri tractabilitas, portentosæ hujus in illo potentiæ dimidium solùm est, quâ enim obsequibilitate à minimâ sui mole in virginibus, ad latissimam in gravidis tumendo attollitur, eâdem ad nativam suam parvitatem detumendo redit in puerperis; unde fit ut quantùm utero opus mollitudinis est, ut impen-

pensè tumescat, tantùm habeat roboris oportet, ut recolligendo se detumescat, quod quia ductitiæ aut *elasticæ* virtutis portentum importat, molli fortè lentoque firmum misceri oportet in uteri compagine, tensumque laxo temperari, ut ad naturæ nutum & opus claudat se, seque recludat, dilatet se, seque comprimat; tam singulariter, ut in conceptûs negotio connivens uteri os, ne quidem admitteret acum, in partûs opere hiscat tam latè, ut infantem cum illius appendicibus totum excludat.

Attamen *uteros* arguit *Hippocrates*, qui *frigidi* aut *adurentes* sunt, unde fortè elicerentur in sterilitatis causas, sanguinis frigus & calor, aut similes succorum illius qualitates, sed ad hujus *Aphorismi* mentem, uteri calor, illius *elateris* vis aut fortitudo est, frigus, hujus stupor aut segnities. Hæc cùm vera omnia sint, *fluidanè* erunt, quò in arcendâ sterilitate vertendæ venient *indicationes*, quandoquidem *sicci* sæpè *uteri* erunt? ad *calidanè* remedia convertet se Medicus ubi adurentes erunt uteri?

APHORISMUS LXIII.

Παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀρρένων. ἢ γὰρ διὰ ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται, πρὸς τὸ μὴ ἀποπέμψαι τὸ σπέρμα· ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρέει ἔξω· ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυρεῖται, ὥστε ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον· ἢ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται.

Similiter autem etiam in masculis. Aut enim propter corporis raritatem spiritus extrà fertur, ut semen non demittat: aut propter densitatem humidum non pervadit foràs: aut propter frigiditatem non incalescit, ut ad hunc locum congregetur: aut propter caliditatem hoc idem contingit.

Bifrons sterilitas est, consideranda quippè in viris, & mulieribus; illam ergò quæ mulierum est, exposuisse *Hippocrati* parùm fuisset, si alterius quæ virorum est, rationes enucleare omisisset; itaque ad ejusdem conceptûs normam, hujus ut illius sterilitatis causas *solidis* attribuit, hinc *raritati* corporis, illinc *densitati*, ex hisque *solidorum* vitiis, *frigidi caliditque* notiones, in viris ut in fœminis à *solidis* ducit. *Raritas* enim & *densitas* corporis, *solidorum* affectiones, vel modi sunt, unde *frigiditatem* aut *caliditatem* concipit corpus; *raritatis* nomine, *quâ spiritus extrà fertur ut semen non dimittat*, *actuosi* nimiùm aut fortioris *elateris* ideam habebis, quo strictiora facta *excretoriorum* oscula, *semel non dimittunt*, quin potiùs resorptâ intrò seminis *lymphâ*, plenâ *spiritibus* & energiis, extrà fertur *spiritus*, à suis directionibus abalienatus, hincque incalescens improbè corpus, proliferæ seminalis *lymphæ* loco, igneſcens, malè moratum, fœcunditatique contrarium fundit serum. Fœcunditati impar non minùs venit incommodum à *densitate* corporis, quæ fibrarum illius pigrities, lentor aut spissitu-

do est, cùm plumbeæ natæ organorum fibræ, indeque in oscillando pigritantes, *lymphas* tardè terunt, perfunctoriè pinsunt, digerunt imperfectè, unde extricati malè succi, in genitales spiritus non *exaltantur*, hinc friget & alget corpus, cumulatum quidem succis, spiritibus ferè vacuum & inane.

APHORISMUS LXIV.

Γάλα διδόναι κεφαλαλγέσι, κακόν. κακόν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα ἀφορβοείζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι. κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ ἀφιχωρήσιες, καὶ ὅτι τοῖσιν ὀξέσι πυρετοίσιν ἔδωσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ ἀφιχώρησις γέγονεν. ἀρμόζει δὲ λοιμώδεσι μὴ λίαν πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα καὶ ὅτι πυρετοῖσι μακροῖσι καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προσημείων παρεόντος, παρὰ λόγον δὲ ἀπεπτικόσιν.

Lac dare capite dolentibus, malum. Malum verò etiam febricitantibus, & quibus hypochondria elevata sunt, *murmurantia, & sticuloſis. Malum autem & quibus dejectiones biliosæ: & qui in acutis sunt febribus; & quibus copiosi sanguinis facta est egestio. Convenit verò tabidis non admodùm valdè febricitantibus lac dare, & in febribus longis & languidis, nulla ex supradictis signis præsente: & præter rationem quidem extenuatis.*

HINC diætæ lactis opprobria, quæ arcerent certè, si servarentur quæ sapienter traditæ hîc sunt, ab artis usu profectitiæ cautiones; à pluribus quidem circumstantiis petitæ, reverà tamen fundatæ in uno sanguinis nempè & viscerum fervore. Fervoris autem nomine, nudam & sine re vocem interpretari abstinebis, nam oscillationum tumultuatio & præcipitantia fervor hic est, quâ perperàm & temerè stimulatæ partes, succos qui teneri sunt & leves, terunt improbè, aut verè deterunt; exlex enim & ineptus tritus est omnia dissocians non solvens, miscens omnia non digerens, coctiones turbans omnes aut adulterans. Noverit autem *symptomatum* hîc enarratorum æquus mente & eruditus usu æstimator, à superante viscerum fervore isthæc omnia committi, modò enim à *spastico* simul *phlogisticove solidorum erethismo* percitus sanguis, ad cerebrumque pulsus aut *sublimatus*, *cephalalgiam* faciet; modò sic exæstuando febriles dabit tumultus, bilem alvo fundens aut aliquàcunque sanguinem, unde *biliosæ dejectiones*, & *hæmorrhagiæ*, quia versùs *fluida* verterit se *erethismi* impetus, modò tandem *hypochondriorum inflationes*, *borborygmos*, *meteorismum* dabit, quia in *solida* sævierit ille magis, quæ etiam *spasticè* premendo fortiùs siccabit, inducetque *sitim*. Superaddit *Hippocrates*, *copiosam factam sanguinis ægestionem*, cui ultimæ cautelæ cum inobsequentes multos videas, sub *hæmorrhagiisque*, sanguinis sputo, &c. lac propinantes ægrotorum damno & medentium dedecore

cori, sanguinis *egestiones* isthâc medicatione in tantùm non comprimi observabis, ut crescant magis, illâ nempè de causâ quòd ab irato partium *elatere* fiant ejusmodi sanguinis expulsiones, ideòque minùs habeant oscillationes organorum; de illâ molli & ordinatâ vibrationum æquabilitate, quâ opus habent ad regendas, perficiendasvè *lactis* & similium texturæ levis & teneræ eduliorum coctiones: hæc enim utpotè habentia corporaturæ, densitatis & resistentiæ non satis, duriorum & fortiorum vibrationum ictibus tractata obteruntur, tenuanturque minutè quidem, tamen ut in succos faceſſant minùs, quàm in spiritus *exaltentur*, abeantque non in molles sanguinis *lymphas*, sed calentis aut rubræ, tenuis aut *biliosæ* illius partis naturam induant & ingenium.

Hæc incommoda ut prævertantur, monet *Hippocrates*, lacti exhibendo opportunum fieri tantùm, quandò defervente febre, vanescit quidquid *acuti* præ se ferebant morbi, qui proin *in chronicos* languores desinendo, partium *elaterem* nimium cadere vel remitti significant, lactis autem usui natam occasionem, quia pacatæ fervidæ nimis oscillationes, teneritudini lactis terendi morem gerendo, quod in illo mollis est & benigni, sanitatis lucro apponunt, vertuntque illius utilitati. *Alterantium* enim remediorum operandi modus corporatio quædam est, ac veluti *amalgamationis* genus, quo *fluida solidis* adunata solidescunt, quæ solidatio ut succedere queat, longè abſit oportet *solidorum* irrequies, aut *erethismus*, quæ quandiù durant, tandiù repulsam *alterantia* patiuntur; hincque *præcipitationes fluidorum*, *colliquationes*, fluores similiaque succorum *deliquia*, quæ vel sub ipso lactis usu, nimiùm frequenter committi, vel ab illius usu sequi vides.

Verùm cùm nullibi circà lactis usum graviùs delinqui possit, quàm in tabidorum curatione, quibus pro *specifico* lac prædicatur tamquam illorum medicinæ coronis aut absolutorium, hîc admonemur, illis tabidis convenire lac, qui *præter rationem extenuantur*; ideſt, qui absque manifestâ *colliquationis* causâ emacruerint; cùm enim à *stricto* partium, non à *laxo*, ideſt, à siccatarum partium densitate, non à fluxarum *colliquatione* veniat isthæc emaciatio, spes fit fore ut tunc ab *erethismo* liberæ partes, naturalique suo redditæ oscillandi *rythmo* tolerent patientiùs lactis consortium.

APHORISMUS LXV.

Οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι φαίνεται, ἢ μάλα πονεῖ, ἢ οὐδὲ μαίνονται· τεταμένων δ' ἀφνιωθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν σπασμοὶ, τέτανοι· τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν, μανίαι, ἢ ὀδύναι πλευρῆς ὀξεῖαι, ἢ ἔμπυήσις, ἢ δυσεντερίη, ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

Quibus tumores in ulceribus apparent, non valdè convelluntur, neque insaniunt. His autem derepentè disparentibus, quibus in posticâ quidem parte fuerint *convulsiones, tetani*, ideſt, rigores; *quibus verò in antica, insania, aut lateris dolores acuti, aut suppuratio, aut dysenteria, si rubicundi fuerint tumores.*

VULNUS (*a*) dices, aut ulcus, *Hippocratis* menti hîc perindè eſt, ut enim utrique contingit tumere circumpoſitas partes, utriuſque malo, tumor ille erit, ſi derepentè illas detumere eveniat: vulnerari namque partes aut ulcerari, idem eſt, ac diviſa eſſe illarum vaſa, ideòque intercidi ſanguinis circuitum, qui ſic hærens & impeditus, quas occupat partes oppletˆ & in tumorem attollit, donec morantibus illis ſuccis, *ſuppurationis* aut *reſolutionis* exitus natura aperiat: intereà infeliciter aliquandò cedit hic labor, ſic ut alterutrius loco, illicò vaneſcat tumor, *deliteſcentiam* dicunt, unde ſuccedere *convulſionem* aut *delirium* docet *Hippocrates*.

Et verò ille tumor ſanguinis cumulatio eſt, illicque digerendi, uſquequò tenuatus ſatis illum acquirat cum vaſorum mæandrorum diametris commenſum, ut per illorum oſcilla vaſorum quæ intrà vulnera hiſcunt, exſtillare poſſit, quod ſuppurare eſt; at ſi ſanguini ità coercito eveniat per cæcos quoſdam laterales arteriæ tubulos, ad majora remeare vaſa, antequàm abſoluta ſit debita attenuatio, quâ ſe proripiat versùs illos vaſorum exitus, qui intrà vulnera deſinunt, illico ſubſidet tumor, aliorsùm aſportato humore; qui ſi locorum pronitatibus, ad *ſpinalis medullæ* nervos ſe confert (*quod ex vulneribus in poſtica corporis parte* ſitis conjiciet) *convulſio* fiet: ſecùs, ſi arcanâ quâdam vaſorum directione ad cerebrum humor ille feratur (quod illis vulneribus proprium obſervavit *Hippocrates* quæ *anticam* occupant corporis partem) tunc enim *delirium, dolores lateris, ſuppuratio* cæca, *dyſenteria* ſuccedent, maximè ſi *rubicundi*, ideſt, *inflammatorii fuerint tumores*.

APHO-

(a) *Vid.* Genga *in Aph. Hip. ad chirurgiam ſpectantes*.

APHORISMUS LXVI.

Ἢν, τραυμάτων ἰσχυρῶν, ἐόντων δὲ πονηρῶν, οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν.

Si, magnis & pravis existentibus vulneribus, tumores non appareant, ingens malum.

HIc *Aphorismus* præcedentis series & consequentia est, quo edocemur à tumore illic expositio, suam vulneribus, quæ *magna* aut prava erunt, asseri securitatem: *magna* enim sunt ubi *partium solutio* major, aut plura scissa vasa sunt, *prava*, quæ nobiliora minantur aut obsident viscera. Porrò alterutrius fuerint generis, tumore evidenti prominere illa necessum & bonum est, in quo expeditioris copiosioriſque futuræ suppurationis reposita est spes; temporarium enim reconditorium ille tumor est, cui credita plurima materies ad exteriora se propipiens, ad interiora retrocessûs metum omnem arcet & periculum.

APHORISMUS LXVII.

Τὰ χαῦνα, χρηστὰ· τὰ δ' ἔνωμα, κακά.

Laxi tumores, *boni*: *crudi verò*, *mali*.

TUMORES puta *laxos* qui molles, *crudos* qui duri. Mollitudo autem fibrarum ostendit flexibilitatem, unde constant oscillationum tenor, *systalticæque* virtutis integritas; durities verò utrumque monstrat penè, si non penitùs, extinctum. Atqui ut bono vel saluti sit tumor, ad *suppurationem* vel *resolutionem* comparatus erit, quæ duo, quia terentis *systalticæ* potentiæ opera sunt, ideò salutares habebis & *bonos* tumores, in quibus ex mollitudine *systalticæ* virtutis argues potentiam. Ex adverso, tumorem *malum* pronuntiabis, ex cujus duritie, fibrarum rigiditatem, solidationem vel torpedinem agnoscendo, ad suppurationem malè comparari illum tumorem facilè concludes, in quo ut perditus ex duritie videtur fibrarum tonus, illarumque oscillandi virtus immota, subigendi, coquendique vim illîc otiari manifestum fit aut apertum. Cum his omnibus si conferas, quàm incommodè & infeliciter ad suppuratum inclinantur *scirrhi*, *scrophulæ* & *carcinomata*, qui omnes tumores *duri* sunt; quàm aliundè in suppuratum obsequibiles sunt *phlegmones*, hujusque sortis tumores, ultrò concedes, ex illis esse *bonos* qui *laxi*, *pravos* qui *crudi* sunt, aut duri.

APHO-

APHORISMUS LXVIII.

Τα ὄπισθεν τ κεφαλῆς ὀδυνωμένῳ, ἢ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα ὠφελέει.

Posticâ capitis parte dolenti, recta in fronte vena sectа juvat.

QUIANE intercederet aliquis posteriorum capitis cum anterioribus vasis responsus? equidem, non connexionis, neque tenoris, sed directionis ratione. Enimverò ut eadem in directione est sanguinis columna, quæ anteriora versùs vel posteriora capitis effertur, singularis energiæ erit remedium, quod *sublimatum* illùc, congestumque in cerebro sanguinem immediatiùs vacuabit.

Ejusmodi potentiæ est *venæ frontis sectio*, *posticâ capitis parte dolente*, sanguinem enim raptum ad corporis verticem, indeque factam *stasin* minuit immediatè; *posticâ ergò capitis parte dolente*, *recta in fronte vena sectа juvat*: argues, majoris fore efficaciæ *jugularem* tundi? & hoc concesso, sectæ frontis venæ utilitatis ratio confirmatur; ejusdem quippè directionis est *jugularis*, ideò solùm præstantior, quia majoris *diametri* aut capacitatis est.

APHORISMUS LXIX.

Ρῖγεα ἄρχεται, γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον, καὶ ἀπὸ νώτου ἐς κεφαλήν· ἀνδράσι δὲ μᾶλλον ὄπισθεν, ἢ ἔμπροσθεν ἔξω σώματος, οἷον, ἀπό τε πηχέων καὶ μηρῶν· ἀτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν. δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

Rigores incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput. Viris autem, posticâ magis parte quàm anticâ corporis, velut ex cubitis ac femoribus. Sed & cutis viris *rara* est. *Hoc quidem pilus indicat.*

NIHIL *temerè*, *nihil negligenter*, *Hippocratis* admonitio est, ad cujus mentem, hanc, quæ utilitatis aliquid habere vix videretur, observationem, suis adversariis condi voluit; enimverò benè conscius, quo in pretio habendus sit tantillus quilibet ad veritatem inveniendam progressus, Geometrarum exemplo, obvias, infimas, leniscque ad speciem momenti congerit veritates, à quibus ad altiores, & utiliores gradus fiat: adeò in augendis scientiis magnum est, tantillum de veritate delibasse! igitur quidquid parvi vel contemptibilis habere videretur hæc de rigoris situ, initiis, progressu observatio, inde redimitur, quod eniteat & illustretur rigoris *ætiologia*, *symptomatis* illius aliundè gravis & horrendi, cujus sedes nobis sic innotescit meliùs, *Hippocrate* docente, illam poni in exterioribus partibus,

tùm

tùm in viris, tùm in mulieribus, in illis autem *nerveis* quidem omnibus, potissimùm tamen in cute, quæ ut *rara* est, rigoris materiæ promptiùs dabit effugium. Itaque non hîc unicè consistit hujus observationis fructus, adhuc enim discet Medicus, quanta cutis habenda cura sit, sub illis febribus quæ rigores habent, ut aperta serventur cutis spiracula, quibus fomes morbi vaporare potest; sed hoc ut *transpirationi* invigiletur jubere est, quo medendi artis documento utiliùs certè nullum datur.

Quamobrem in solis *Aphorismorum* verbis aut cortice hærere, tyrocinium erit, quorum scrutari medullas aut sensus altiùs meditari, magisterium est, veritatumque seminarium. Sic hanc de rigore promulgando *Hippocrates* observationem, edocet non sic omni genere occlusum esse *nervosum genus*, spiraminibus aut emissariis non ità defectum, quin aliquâ suas à se exhalet emissitias, in cutem quippè, quæ rara est & pervia omninò, ultimò desinit, quæ cum forata tota aut pertusa à natura sit, impuratæ *nervorum lymphæ* continuum exhibet vaporarium.

APHORISMUS LXX.

Οἱ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι, ὑπὸ σπασμοῦ δ' ὀλίγου τι ἁλίσκονται. ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, ἢν ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται.

A quartanis correpti, à convulsione non admodùm corripiuntur. Si verò priùs corripiantur, & posteà quartana supervenerit, liberantur.

AD *epilepticos* affectus spectat *convulsionis* hic memoratæ genus; cum autem puerorum morbus *epilepsia* sit, de puerorum morbis admonitio hic Aphorismus erit. *Hippocratis* ergò observatione, hâcque duplici constabit ex pueris eos *epilepsiæ* objici minùs qui quartanâ corripiuntur, vel correpti fuêre, tùm eos *epilepsiâ* liberatum iri, quibus *quartanâ* corripi contigerit; verùm pueris infrequens est *quartanâ* laborare, hâc ergò de causâ fit ut frequenter adeò *epilepsiæ* obnoxii pueri sint. Porrò hujus morborum alternationis causa est alterna sanguinis *dyscrasia*, quæ si ad fervidam vergat *bilem*, unde sanguis evehatur nimis, aut *ecclampsin* vel *explosionem* concipiat, *convulsionem* dabit aut *epilepsiam*; si autem ad *atram*, *quartanam* committet: intereà alter alteri morbo fit remedium, quia deprimi quæ evehebatur *bilem*, auxilio est; at quantùm in fervente bile inest *volatilis*, in atrâ subest *fixi* tantùm, hocque deprimi vocabis.

APHORISMUS LXXI.

Οἱ κόσοισι δέρματα ἀφαπίνεται καρφαλέα καὶ σκληρὰ, ἄνευ ἱδρώτων τελευτῶσιν, ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ καὶ ἀραιὰ, σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν.

Quibus cutis obtenditur arida ac dura, sine sudore moriuntur. Quibus verò laxa ac rara, cum sudore moriuntur.

MORTIS & morbi ratio eadem, utrobique *stricti*, laxivè status aut conditio. *Spastica* fuerit *diathesis*, toto currente morbo continua, quæ *transpirationem* compresserit, altiùs intrò repressus, *serosus* latex, ne quidem decedente morbo, quo ipso tempore exolvuntur partes, in sudorem solvitur: sic enim *spasmodice* pressa cutis, viscerum *spasmi* interioris indicium est, *fluidorum* proindè & *secretionum* mixturæ, confusioni sque argumentum, obfirmatæ tandem diametrorum constrictionis, quæ vel cedente, vitâ cedere nescit: contrà verò remissus fuerit toto tempore morbi partium *elater*, sanguinis laxæ compagis signum habebitur; unde sub mortis articulo, quo *solida* fatiscunt, in sudores *fluida* diffluent. Interim medenti incassùm non ibit hæc observatio mortis, unde ad vitam aut sanitatem tam utile redit artis documentum; à *cutis* enim per morbum ariditate intelliget, quàm infelix tunc & periculosus futurus erit *sudoriferorum* usus, quandoquidem illo præeunte signo, adventante mortis tempore facta sit nondùm sudoribus opportunitas; ad hæc meminerit ideò infausta fieri sæpè *sudorifera*, quia malâ illorum operâ, evecta inopportunè *fluida*, inutiliter ad *excretiones* coguntur, quandiù nempè constrictione cutis claùduntur omnes ad *excretiones* exitus; hinc enim impotenter desæviendo *fluida*, mille parant aut accelerant dolores, aut mortis causas.

APHORISMUS LXXII.

Οἱ ἰκτερώδεες ὑπὸ πνεύματός τι πνευματώδεές εἰσιν.

Ictterici non admodùm flatulenti sunt.

FLATUUM nomine veniunt non ipsimet *flatus* tantùm, sed *ructus* adhuc & *tormina*, quibus obnoxii minùs sunt *ictterici*, ii videlicèt qui sic à naturâ habiti sunt, bilioso prædominante humore suffusi, utpotè quorum insita ea est viscerum siccitas, ut præ ariditate veluti stupentes fibræ pigrescant ad motum; unde utut tardescant vitienturque coctiones, flatuum exortes sunt, illo humore defectæ, qui ad flatuum genesin requiritur. Flatus enim ut *borborygmi* & *hypochondriorum* murmura, tumultuationes sunt & luctæ *spastici* partium tritûs, succos quidem tenuare contendentis, sed illos

los reverâ in viscos & glutina vertentis, seu crudas *lymphas* & crassos halitus, qui intestinorum fibras molestando, *peristolen* illarum conturbant; hinc flatus & *borborygmi*, fœminis ideò facti familiares, quia præ viris humidiores natæ sunt; *hypochondriacis* quoque, qui quia sputatores sunt, scatentia sero gerunt viscera. Non sic *icterici*, quorum præcordia torret atra, exsucca, velutique calcaria bilis, *solida* torrens & *fluida* siccans. Hinc autem observabile fit, quàm diligentem Medicum esse oporteat, in arcendo ab *ictericorum* curatione, id omne quod viscera siccat, siccandoque perdit; præhabendo ea quæ molliendo fibras & humectando succos, *ructus* fortè & *flatus* dabunt, sed qui emendantis se tritûs, *coctionisque* castigatæ signa veniunt & testimonia.

SECTIO SEXTA.

APHORISMUS PRIMUS.

Ἐν τῇσι χρονίῃσι λξεντερίῃσιν ὀξυεγμίη ἐπιγιγνομένη, μὴ γενομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

In diuturnis inteſtinorum lævitatibus ructus acidus ſuperveniens, qui prius non fuit, ſignum bonum.

AN elangueſcat in *lienteria* ventriculi *tritus*, unde integra ferè & inſoluta ſe proriperent alimenta, an præcipitantior ille fuerit aut feſtinantior, quæſtio eſt; ſed undequâque illa veniat actio, promptior in ventriculo eſt, inchoatam nondùm coctionem turbans, illicòque deturbans alimenta: hæcque inalienata, ſuiſque integra qualitatibus, utpotè quas immutari non ſinit ventriculi ſtimulata malè terendi facultas; at ut primùm *acidum ructare* cœperit ægrotans, fauſtum erit, ſignum ſcilicèt emendatæ ventriculi præcipitantiæ, ſicque emoderati tritûs, ut tractata longiùs, aut patientiùs alimenta acendi tempus obtineant, quod immutari eſt, veluti que coctioni initiari. *Nam ejuſmodi* (acidæ) *turbationes alterant* (*a*) alimenta, *inteſtinorumque lævitatem ſolvunt*. (*b*)

APHO-

(a) *Hip. epid. II. art. II. v. 50.* (b) *Verſ. 51.*

APHORISMUS II.

Οἷσι ῥῖνες ὑγρότεραι φύσει, ἐκ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσι κοσμηρότερον. οἷσι δ' ἰσχνότια, ὑγιεινότερον.

Quibus nares naturâ humidiores, & genitura humidior, imperfectiùs sani sunt: quibus verò contraria, perfectiùs.

NARES *natura humidiores* .... *genitura humidior*; cerebri, *tono* imbecillis nati; *symptomata*, vel generis nervosi *elateris* ignaviæ *phænomena*, ut enim *fluidorum* ità & *solidorum* impotentiæ sunt, remissi nempè, aut utrinde fulti malè *elateris* effecta, mera utrobique deliquia *lymphæ*; undequàque enim *lympham* effluere sponte vides, malè se tuentis nervorum potentiæ signa habes, quæ quibus præesse debuisset, cedit *secretionibus*, illos profundendo quos retinendos habebat succos. Laxos ergò facit homines isthuc *laxi* vitium, quo qui laborant, asthenes & crudi degunt, mulierum exemplo quas habet jugis *fluor albus*, harum enim sanitatem deterit isthæc colliquationis perennitas, stipante stomachi molestiâ inceffabili, quæ cruditatum non infœcunda mater est, aut uberrima nutrix.

APHORISMUS III.

Ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποστάσιες, κακόν· καὶ σὺν πυρετῷ, κάκιον.

In longis dysenteriis appetitus prostratus, malum: & cum febre peius.

DYSENTERIA, cruenta dejectio est ab intestinorum *erethismo* nata; hinc *peristole* crebrior, aut festinantiores *oscillationes*, quæ intestinorum excretoria premendo frequentiùs, horum cum sanguine *lympham* jugiter exprimunt; hinc quidem turbæ, dolores, *excretionesque* profusissimæ, sed quæ salvâ vitâ durare diù possunt, nempè ad integros menses, usque dùm prosterni appetitum, febremque accedere contingat. Securitatis ejusmodi ratio est, quòd integris situ, serie & *directionibus*, accelerari possint in intestinis oscillationes, quæ deorsùm, ut moris est urgendo, præcipitabunt *excretiones*, ad inferioraque deturbabunt, sicque salvis *fluidis* & viscеribus, illæsoque sanguinis circuitu, procaciter & diù *spasmodicè* stimulari quibunt intestina; at propagatis *erethismo* ab inferioribus ad superna, ab intestinis ad *stomachum spasmodicis* oscillationibus, in mali partem venire viscera signum est, *appetitusque prosternitur*; propagato *peristoles* vitio, quo stomachi fibrarum turbatæ oscillationes, soliti tritûs turbant normam, appetitumque disjicient; hinc coctionum delicta, confestim datura febrem, pessimum illud quod hîc *Hippocrates* admonet malum; ut signum quidem, *fluidis* enim affrictum esse *solidorum* vitium argumentum sit, ut causam verò, posthàc enim,

ideſt, à febre natâ, non unorum *ſolidorum* ſputamina erunt quæ ſuccedent *excretiones*, at ſanguinis quoque ipſius aut *fluidorum* ejectamina ; non unorum delibationes *ſolidorum*, ſed *fluidorum* quoque eliquationes, verbo, non unorum inteſtinorum, non unius ſtomachi, ſed ſanguinis ſimul & corporis univerſi morbus erit.

APHORISMUS IV.

Τὰ περιμήκεα ἕλκεα, κακοήθεα.

Vlcera circàmglabra, maligna.

Quæ ſunt *macrocoſmo* terrarum plagæ, quæ ſuos vorant incolas, ità ſuæ ſunt *microcoſmo* carnes, quæ inquilinos ſuos urunt ſuccos ; ejuſmodi ſunt ſortis, quæ *malignis ulceribus* adjacent, tantam alentes in ſe malitiam, ut in cute illam, quâ vegetat in pilos, extinguat virtutem. Fundi tam infelicis cauſa certè eſt iniquitas ſucci, quæ dùm cicatricis obductionem ab ulceribus arcet, pilorum in viciniâ radices urit & ſiccat bulbos : uſtionem intellige fibrarum cutis à denſitate conſtrictionem, quæ *excretoriorum* poſitus, diametros & directiones perdendo, miſcendo, delendovè, altilium ſuccorum tubulis, ceu tubulatis pilorum germinibus exitum præcludit aut debitum recuſat ſitum. Tanta in omnibus *ſolidorum* potentia eſt ! *ſolidorumque* potentiæ energia tanta !

APHORISMUS V.

Τῶν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν στήθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν (μέρεσιν) ἢν μέγα διαφέρωσι, καταμαθητέον.

Dolores & in lateribus, & in pectoribus, & in aliis (partibus) ſi multùm differant, conſiderandum.

Hæ *ſimilitudines ſunt, quæ bonis Medicis errores pariunt & difficultates ; difficile* enim *eſt rationari & cogneſcere vias.* (a) Interim, *neque hæc admirari oportet, neque formidare, illud expendendo,* quòd & animæ, & corpora hominum plurimùm differunt & vim *maximam habent* .... (b) item locos in corpore *perſpectos habendo, quantùm alii ab aliis differunt.* (c) Imprimis *peripneumonicas ac pleuriticas affectiones. Sic conſiderare oportet an acuta ſit febris, & dolores lateris alterius aut utriuſque, an tuſſes adſint*

(a) *Hip.epid.VI.art.VIII.v.80.* (b) *Prædict.II.art.XX.v.4.*
(c) *Ibid.art.XVIII.v.4.*

sint, an sputa prodeant, &c. . . . (*a*) quæ singula ut decet conferendo, eò se referunt, scilicèt in curandis doloribus qui pectus obsident, examinandum Medico venire, ad *catarrhosnè* an ad spasmos pertineant : ut cognoscendo assequatur *inflammatoriinè* illi fuerint vel *catarrhales* aut *spastici*. Reverà notum est alios esse pectoris dolores, in quibus *spasmi* plus longè quàm *phlegmones*, *catarrhi* minùs quàm *spasmi* recognoscas, unde intelligis quantæ utilitatis sit in pluribus, *anodynis* potiùs quàm *bechicis* & *expectorantibus* locum dari : vulgarem enim superat captum, quantùm securitatis & commodi *narcotica* sæpè habeant, ad *tussim* & *pectoris* dolores, quæ ut plurimùm si à *spasmo* non producuntur, id *spasmodici* habent, quod si solvere præterieris, cætera aut cassa, aut infida auxilia erunt.

APHORISMUS VI.

Τὰ νεφριτικὰ, καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτησι.

Renum & vesicæ dolores difficulter sanantur in senibus.

HINC discès morborum incurabilium rationes & causas ; ideò namque *insanabiles in senibus sunt renum & vesicæ dolores*, quod in *fluidis* non solùm, sed in *solidis* quoque suas habeant causas, ducendo inde argumento, non aliundè insanabiles fieri ex morbis non paucos, quàm ex eo quòd, quæ *fluida* primùm occupabant causæ, *solidorum* stamina subierint, altasque in illorum textu fixerint sedes. Acêre sanguinem, deliquia pati *lympham*, serescere succos, sicque fieri mordaces, ægritudinum materiaturæ sunt in *fluidis* positæ, affectus dantes eâ ratione sanabiles, quia elui possunt & castigari *fluidorum* peccamina, cùm sæpè *diluentibus* unis morem gerant, at hæc vel similia *fluidorum* vitia, nervorum *lymphæ* irrepsisse, partiumque fibris, aut staminibus obtrudi, affigi, velutique concorporari, partium *essentias* quasi mutari est, saltem irremediabiles cuneari succos, eos quippè irreduces ultimis & penitioribus partium recessibus est adigi. Senilium morborum status hic est, illorum maximè qui *vesicam* occupant, quo enim passu progressu ætatum aresçunt in senibus nerviceæ partes, eodem, imò festinantiori, sicceseunt aut densantur membraneæ vesicæ partes ; idest, sanguinis, qui senio ustulatur, acrioribus & calcariis partibus corporantur ; sicque habitæ præsentioribus remediis immeabiles, illorum omnia opera ludunt, quasique rident solatia.

APHO-

(a) *Hip. de vict. acut. art. LII. v. I.*

APHORISMUS VII.

Τὰ ἀλγήματα τὰ κατὰ τὴν κοιλίην γινόμενα τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα· τὰ δὲ μὴ μετέωρα, ἰσχυρότερα.

Dolores qui in ventre fiunt, elevati quidem, leviores: non elevati verò, vehementiores.

DOLORES *in ventre non elevati, spastici* sunt, quales sub *colicâ convulsivâ* aut *hysericâ* observantur, ventrem vel abdomen in tantùm non elevantes, ut illud apertè deprimant, attestante *umbilico*, qui sub immani ejusmodi *colicæ* cruciatu cavatus aut intrò retractus videtur, hi certè *non elevati dolores, vehementiores* sunt, ideſt, sævi magis & diriores *doloribus elevatis*, qui à musculorum abdominis *phlegmone* producuntur: utut enim discriminis & aleæ plenissimi sint, qui ab inflammatione abdominis fiunt, *spasticis* aut *colicis* doloribus minùs atroces sunt & urgentes minùs.

Verùm si de *inflammatoriis* doloribus hunc *Aphorismum* unicè intelligi volueris, *non elevatos* dices illos *dolores* qui viscera ipsa aut intrò abditas partes occupant, *elevatos* verò, ubi *phlegmone* aut *inflammatoria apostasis* intrà abdominis musculos congeritur, unde abdomen prominet: hocque adhuc sensu, *non elevati dolores vehementiores*, gra viores quippè sunt & majoris periculi, & remediorum operationibus obvii minùs, dùm qui *elevati sunt*, *leniores* se præstant, præterquamquòd enim ignobilioribus partibus insident, à situ habent quòd admotorum remediorum sentiant vires & opera admittant.

APHORISMUS VIII.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, ὑ ῥηϊδίως ὑγιάζεται.

Hydropicis ulcera in corpore orta, non facilè sanantur.

DE *anasarcâ* aut simili *hydropis* specie hunc *Aphorismum* interpretaberis, illîc quippè cum omnia mollia & laxa sint, laxus & dissolutus est partium *tonus*: ab illo ergò statu distant partes ulceratæ, qui ad curationem requiritur, ad cicatricis nempè obductionem; ad hanc enim opus est ut partium divisarum fiat accessus, qui sub *anasarcâ* difficilis tantùm est, quantùm laxatarum partium à se ipsis longus recessus factus est; insuper quantum fractus est partium dissolutarum *elater*, cujus necessaria adeò opera est, ut partes elongatæ nimis in se redeant. Porrò mollitarum sub ejusmodi *hydrope* carnium hæc conditio est, ratio proindè propter quam *hydropicorum* ulcera difficilè sanescunt. Alteram à malè morato *hydropicorum* sanguine ductam rationem addi cupis? à *fluidis* petita ratio erit, quæ resarciendo *solidorum elateri* impedimento erit.

APHO-

APHORISMUS IX.

Τὰ πλατεα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμώδεα.

Efflorescentiæ latæ, non admodùm puriginosæ.

QUÆ fastigiatæ sunt pustulæ, pruritum habent, de *latis*, ceu non fastigiatis secùs est, quæ valdè pruriginosæ sunt: fastigiatæ enim à crassiori succo, eoque *glandulis miliaribus* cutis coercito producuntur, latæ vero à succi rore oriuntur ceu humore tenui, eoque intrà *cuticulæ* tenuissima vascula hærente. Reverà utrobique *stasis*, sed illic *lymphæ* ipsius strictum intrà conceptaculum conclusæ, quod ut reseret aut laxet enitendo *lympha*, vellicationis sensum, qui pruritus est, excitat; hîc autem halituosus succus est, transpirationi vicinus, jamque in iis ad transpirationem ductibus aut viis positus, tardo quidem passu, intereà tamen levissimo nisu ad *diaphoresin* perveniens, unde auxilio levi latæ pustulæ ad sanescendum indigent, *calidâ nempè lavari*, *Hippocratis* exemplo, qui *Simonem* (a) *pustulis latis laborantem, calidæ fotu juvabat*.

APHORISMUS X.

Κεφαλὴν πονέοντι, ἐς περιωδυνέοντι, πύον, ἢ ὕδωρ, ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νούσημα.

Caput laboranti, & circumcircà dolenti, pus, aut aqua, aut sanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures solvit morbum.

PUS, *aqua*, *sanguis*, humores tam varii! *aures*, *os*, *vesica*, *nares*, emissaria adeò diversa! quorum omnium operâ & ductu unus & idem morbus solvitur. Hinc certè non parùm luminis exit ad elucinandam *judicationum*, *crisium*, *solutionumq*; quarumlibet aut curandi rationum doctrinam, hæc enim edocent, medicanti naturæ perindè esse cujus coloris, corporaturæ vel habitudinis fuerit humor, sub cujus specie morbidum evacuat succum, qui quidem *puris* modò, modò *seri*, modò *sanguinis* formam repræsentabit, secum intereà efferens aut efferri cogens, fomitem morbi. Hoc ipsum exequitur natura in solvendo capitis dolore, licèt enim sanguinis *stasis* sit, quæ capitis dolorem facit, naturæ satis est *stasin* hanc dissolvi, quocunque modo stagnatus in capite sanguis communi aut publico circulationis fluento reddatur. Atqui intrà sanguinales arterias hæret ille sanguis, quas opplendo, cumulandovè undequàque, premit assiduo nisu *lymphaticas arterias*, ceu *excretorios* (qui arteriaci sunt) tubulos; horum autem si alteruter, prementis sta-

---

(a) *Epid. lib. IV. art. II. v. 52.*

ſtagnati ſanguinis cedat niſui, effracta *reſiſtentia* erit, & panſum iter, quo ſe ingurgitans ſanguis ſtagnatus (quique hinc natus erat morbidus humor) illac elabitur, colorem aut habitudinem induens ſucci illius, quem intrà arteriales *lympharum* tubulos contentum inveniet, ſive *lympha* ſit aut *ſerum*, cruentatum plus minùs, prout plus minùs partis ſanguinis rubræ, latici tubulorum inquilino fuerit admixtum. Ad hæc variarum partium quibus exilit morbidus humor, ratio eſt non abſimilis; illâc quippè fiet ſolutio morbi, ceu morbidi ſucci exitus, ideſt, per illam partem ad quàm diriguntur illi *excretorii* tubuli, nempe quò pergunt, ubi deſinunt & hiant.

APHORISMUS XI.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι, καὶ τοῖσι νεφρετικοῖσιν, αἱμορῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.

Melancholicis, & nephriticis, hæmorrhoides ſupervenientes, bonum.

NEPHRITICOS puta, qui tales fiunt, non à *calculo* aut *arenulis*, ſed à *ſtaſi*, vel à congeſtione ſanguinis, quæ renes occupat; tuncque utrique & *melancholicorum* & *nephriticorum* affectus, ſuperveniente *hæmorrhoidum* fluxu, ſolvitur, ut enim utrobique ſpiſſus aut ater ſanguis eſt, qui hunc & illum committit morbum, utrique auxilio pari eſt atrati ſpiſſique ſanguinis fluor, cujuſmodi eſt *hæmorrhoidum* ſanguis. Reverà tamen non habet *Aphoriſmus*, fluentes ſed *ſupervenientes hæmorrhoides*, de naturâ ergò morbos ſolvente obſervabile venit aliquandò illi ſatis eſſe, morbidi humoris vias mutaſſe aut *directiones*, à principe quodam viſcere ad infimam partem tranſlocando maleſanum humorem, imprimis eò versùs ubi erit corporis ſentina, quæ utpotè ad impuritatum excretionem facta, *excretoriis* oſcillis, undequaque veſtitur. In his *mechaniſmi* vim aut induſtriam adhuc annotabis, quæ ubi potens aut domina eſt, quas *ſpaſticas* evadere nequit partium preſſiones, has ibi concedit, ubi minus erit periculi.

APHORISMUS XII.

Αἱμορῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.

Hæmorrhoides curanti diuturnas, niſi una ſervata fuerit, periculum eſt, ne hydrops ſuperveniat, aut tabes.

TOTUS ubique eſt *Hippocrates* in admonendo de intempeſtivis *hæmorrhoidum* curationibus, quas, cùm prodeunt, ut à multis morbis hominem præſervare ſcribit, eaſdem ſi retroceſſerint, morbos non paucos arceſ-

cessere docet. Itaque Medico habendæ sunt *hæmorrhoides*, non secùs ac tuentis se naturæ testes, ceu aperta nisuum illius notacula, ex quibus intelliget, præsentem adesse semper in homine illo morbi fomitem aut fundum, quocum natura luctatur assiduè, futurumque, nisi provideat Medicus, ægritudinum mille seminarium; ad illa ergò non ignarus attendens naturæ conamina, in curando cavebit, ne quos domitos ad ignobiles partes illa exules ejecerat succos, faciat ipse rebelles, aut ad ipsa viscerum penetralia revocet: igitur quâ diligentiâ curat in fœminis, ut suas *menstrua* servent periodos & *directiones*, eâdem prospiciet in viris, ne *hæmorrhoides*, quibus assueti fuerint, aliorsùm dejectæ, cæcam sanitati moveant litem, clamque insidientur. Ejusdem infortunii erit, maximè si *diuturnæ* sint, omnes abscindere, *unam enim servari* necessum est, quæ purganti se naturæ emissario sit, hoc enim penitùs occluso, ad vasa majora sanguinis remeatus fit, in plures morborum causas cessuri, illorumque gravissimorum, *tabis* & *hydropis* exemplo, quod hîc assumit *Hippocrates*. Verùm obscurumnè vel anceps erit, quod hinc ducitur argumentum, non unius pituitæ aut *seri*, non partis albæ sanguinis materiem, *hydropis* esse causam, quem hîc refluâ parte illius rubrâ committi vides? rubra enim est quæ *hæmorrhoides* alit.

APHORISMUS XIII.

Τὸ λυγμῷ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγιγνόμενοι, λύουσι τὸν λυγμόν.

A singultu detento sternutationes supervenientes, solvunt singultum.

UBIQUE in animalis œconomiâ deprehendas mutuos motuum responsus, rerumque simul & modorum concentus, itaut quemadmodùm succorum qui viscera rigant, *undulationum* quoque quæ *solida* agunt, relationes suæ sint & concordiæ, unde fit ut suis in affectionibus sibi partes compatiuntur. Densiùs *undulando* stomachi fibræ fortiùs oscillant, indeque singultiunt? ad nares versæ *spasticarum* oscillationum turbæ sternutationem movent, quæ *singultum* solvunt; non secùs ac enim minutâ *liquidorum* mole, *liquidorum* sequitur quies, versâ aliò oscillationum frequentiâ aut multitudine, *solidis* venit pax, unde quod in curando bonum est, humores translocasse, id ipsum beneficium est transmutasse oscillationes; tam utiles sunt & multiplices diversionum artes.

APHORISMUS XIV.

Ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ, ἢν τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

Ab hydrope detento, si aqua secundùm venas in alvum fluxerit, solutio fit.

DE *subaquosis ac ab albâ pituitâ detentis* hunc alvi fluxum exponit ipse *Hippocrates*, (a) unde hunc *Aphorismum* de *anasarcâ* & *leucophlegmatiâ* intelligendum esse liquet; de eo proindè *hydropis* genere, ubi suis vasis *serosus* latex adhuc continetur. Aliàs addit idem *Hippocrates* utilem esse ejusmodi alvi fluxum, quandò *principio* (b) *morbi* contingit, superaddendo *à flatibus hydropem generari*; (c) ex quibus omnibus secum collatis eruere datur, fluoris alvi illius *ætiologiam* & utilitatem. Hîc enim per venas, juxtà veteris medicinæ mentem intelliges *micantes* (d) *venas*; *spiritui accommodatas*, (e) *corporis spiracula*, (f) quippè quæ *spiritum ad se trahunt & per universum corpus deducunt*; sub his autem titulis aut nominibus *excretoria vasa* pingi aut describi concipiet, qui meminerit arteriaca esse hæc vasa, *arteriæ* nomine insigniendo quemlibet tubulum qui *spiritum* aut meliorem sanguinis partem spiritûs facie ad partium peripheriam vehit. Hoc autem dato, hydropis *aquam secundùm venas effluere*, exilire est aquam per illos arteriacos tubulos, ceu *lymphaticas arterias*, quæ uvoris specie tenuatam quam vehunt *lympham* eructando assiduè, omnes membranarum superficies sub sanitate rorant, capacitatesque viscerum fumis calentibus opplent: illa enim ipsa sunt *lymphaticarum arteriarum* oscilla cæca, quorum exiles diametri aquarum in cæteris vasis exuperantium pondere & mole violatæ dehiscunt & pro vaporibus fundunt aquas.

Verùm, quod *Hippocratis* (g) admonitio est, à morbi principio longiùs non acciderit hic alvi fluxus, ut veniat ægroti bono; ut enim (eodem observante) *hydropi flatus* non parùm contribuunt, idest, *fluidorum* præ *solidorum spasticâ* constrictione inflantium se pandique nitentium *stasis spasmodica*, fluxum illum contingere necesse est, antequàm flaccescendo partes detumescant aut retendantur, ne ab *atoniâ*, aut exolutis partibus committi videretur, quod lassatæ vel victæ *systaltica* virtutis delictum inemendabile foret.

APHO-

(a) *De morb. lib. I. art. VI. v. 7.*
(b) *De morb. lib. II. art. LXIX. v. 12.*
(c) *De flat. art. XVIII. v. 9.*
(d) *Cicer.*
(e) *Celsi.*
(f) *Hip.*
(g) *De morb. II. art. LXIX. 12.*

APHORISMUS XV.

Ὑπὸ διαρροίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγινόμενος, λύει διάρροιαν.

A diuturno alvi profluvio detento, sponte superveniens vomitus, alvi profluvium solvit.

GRAVIUM morborum *impetus frangere*, artis industriæ pars non minima est; hæcque industria *directionum* mutandarum aut restituendarum est scientia. Grave certè malum habetur *diarrhœa* pertinax aut diuturna, dum enim *diarrhœa* recens, *peristoles* intestinorum juxta proprias *directiones* præcipitantia est, quæ diuturna evasit, *peristoles* ejusdem præcipitatio est deorsùm determinata, quæ *atoniæ* genus arguit, fractasque *solidorum resistentias*: hinc malum longè quidem graviùs, superveniente vomitu sanabile tamen, videlicèt mutato impetu quo deorsùm irrumpebant succi, in alterum quo sursùm feruntur; sic enim primùm quæ facta fuerat fortis rumpitur *determinatio*, quod curationis initium est, insuper qui inde succedit vomitus recens, diuturnâ *diarrhœâ facilius sedabitur*. (*a*) Reverà, in hoc posita maximè videtur *ipecacuanhæ* virtus singularis in persanandis, quæ inveteraverint, *diarrhœis*, quâ enim valet energiâ reconflandi partium *elateris*, intestinorum relevat *tonum*, quæ proindè recolligendo se ad stomachum suas reflectunt oscillationes; hinc vomitus, ab inversâ nempè illius *peristole*, sed quæ *narcoticis* ab *ipecacuanhæ* usurpatione dextrè *exhibitis*, *facilè sedatur*, & utiliter, sicque *unâ & eâdem fidelià* (ut ajunt) sanescunt & *vomitus* recens & *diarrhœa* vetus.

APHORISMUS XVI.

Ὑπὸ πλευρίτιδος, ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ διάρροια ἐπιγινομένη, κακόν.

A pleuritide, aut à peripneumoniâ detento, alvi profluvium superveniens, malum.

PLEURITIS & *peripneumonia* sanguinis *stases* sunt *inflammatoriæ*, *pulmonibus* & *pleuræ* insidentes, sputaminibus solvi solitæ; hinc tam periculosæ habentur, quæ siccæ sunt, cassâ & inani tussi, cruentâ sæpè, ægrum vexantes. Non absimilis discriminis sub his morbis *diarrhœa* est, sanguinis *lymphas* divertendo, quæ furiarum illius fræna sunt aut mulcimina, coctionumque materiaturæ, sic enim omne abducendo *diarrhœa*, quod mitificando debebatur morbido *fero*, futura sputis pabula suffuratur; intereà dum ar-

(*a*) *Hip. de loc. in hom. XLV.* 9.

dore confecti pulmones arescunt, acribusque succis depasti, *necrosin* concipiunt. Enimverò in morborum curationibus ominosum nihil magis, quàm coctionum succos perdi simul & ab organis coctionum propriis dimoveri, sed hujus conditionis sunt sub *pleuro-peripneumoniâ* pulmones, quippè qui sputorum coquendorum natalia loca sunt, aut officinæ; eò versùs proindè medenti ducendi veniunt qui coquendi sunt succi, illicque omni curâ retinendi, addicendique, quod *bechicorum* opus aut beneficium est, mollitudine enim partium constant & vellicandi dulci virtute, quæ pulmonis fibras deliniendo simul & excitando, à *spasticâ* constrictione liberant, laxandovè aut solvendo vasa dilatant vias; appellenti ergò sanguini, hujusque admittentis cotilibus succis aperiunt aditus, discussâque omni humorum *stasi* sputorum coctio succedit, hincque propria & naturalis solutio morbi.

APHORISMUS XVII.

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης λυθῆναι, ἀγαθόν.

Ophthalmiâ laborantem ab alvi profluvio corripi, bonum.

OPHTHALMIA & *pleuro-peripneumonia*, ex æquo de inflammationum familiâ sunt, attamen huic *diarrhœa* nocet, illi auxiliatur *diarrhœa*; annè in naturam quoque caderet inconstantiæ suspicio? discriminis illius ratio ab inflammationum ratione venit. Inflammationes sunt, ubi suis in vasis, hinc sanguinis rubra pars, illinc alba stagnat, & ubi ad curationem opus est, ut in sanguinalibus arteriis *resolutio* fiat, coctio in *lymphaticis*; quòd modò de *pleuro-peripneumoniâ* exponebatur, quo sub casu, *lymphatici* laticis partem *diarrhœâ* surripi, quæ in morbidi succi coctionem insumenda fuisset, coctionis negotium præverti est. Aliæ inflammationes dantur, ubi sanguinis rubra pars in arterias *lymphaticas* exiliendo; inquilinam ab his fugat *lympham*, *lymphaticasque* arterias quæ albæ sunt, suo inficit rubore, qui *ophthalmiæ* casus est, in quâ reipsâ vides *adnatam* oculi tunicam, quæ alba nata est, sanguine tinctam. Porrò sub hujusmodi inflammatione, ad majora vasa regrediens fugata *lympha* & in illis hospitium nacta, circulationi sanguinis moveret aliquandò turbas, si indiligens facta natura remeanti succo emissarium aperire oblivisceretur; hujus autem officii sub *ophthalmia diarrhœa* est, quæ exulem illam *lymphæ* partem, coctionis sede & loco defectam eliminando, affectæ partis laborem aut onus levat, sanguinisque tumultuationem sedat aut arcet.

Neque te morabitur pauxilla isthæc quæ remeat, materiæ quantitas, quam in morbi causam adoptare despicient medentium illæ mentes, quas præoccupavit humorum saburræ conceptus, ad producendos morbos, ut illis videtur, necessariæ; ab illa enim opinatione præterquam quòd respicere cœpit erudita meliùs, factaque cultior *pathologia*, quæ docet *minima esse magnorum morborum principia*, (a) de *ophthalmia* observabis, ut verum est tan-

(a) *Vide Etmuller.*

tantillam esse, quæ fugata remeat, *lymphæ* portionem, tam verum esse, multæ *lymphæ* illic esse sedem, quò regreditur illa *lymphæ* particula; oculi globum intellige, qui totus turget *lymphâ*, totusque ex *lympharum* vasculis compactus est, cui si addas, quam multus & densus est *nervorum*, tunicarumque unde coaluit ille numerus, intelliges quantùm sapientiæ naturæ sit aut providentiæ, quæ *diarrhœam* sub *ophtalmiâ* dextrè movendo, *lymphæ* circulationi tuendæ simul & nervosi generis paci prospicit.

APHORISMUS XVIII.

Κύστιν ἀμφικοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τὸ ἕτερόν τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατώδες.

Cui perfecta est vesica, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum, aut aliquod ex intestinis tenuibus, aut ventriculus, aut hepar, lethale.

VULNERUM & morborum in eo par ratio, quod utraque periculosiora tantò sunt, quantò nervos horumque *lymphan* propiùs contingunt, hinc enim augescit aut arcessitur *spastica diathesis*, hostilis ille *solidorum* modus, quo ad sanationem nullus alienus magis, unde nempè non pauca curationum infortunia. Hinc afferti hujus vis & veritas, mortiferum esse *vesicam persecari*; quod reverà crimen fuit spurii illius monachi (a) simul & lithotomi circumforans, qui urbes peragrando non ita pridem mactabat tam multos, quorum vesicæ lateri (quâ parte carnis minùs habet) audax infligebat vulnus, quo vesicam *persecabat* totam, aut lethaliter transfodiebat. Ejusdem discriminis est cerebri vulnus, unde quidem convaluêre nonnulli, quibus in vulnere periit *corticalis* cerebri substantiæ pars aliqua, at extincti sunt, quibus ex vulnere minuta fuit ipsamet *medullaris* substantia; rationem habes in utriusque naturâ vel compagine, nam *corticalis* tota sanguinalis est, nervea tota est & radix nervorum medullaris. Hanc fortè ad normam cordis vulnus, illâ sui parte quâ maximè caro est, non infaustam semper; neque illud *diaphragmatis*, quod illius carnem occupat, semper exitiale, sed utrobique lethale vulnus, quod horum nerveam attigerit partem.

Hepatis & intestinorum (b) *pernicioſa sunt omnia vulnera, non tamen ità ut ex his evadat nemo*, veluti putatur, *nam loci qui hæc nomina habent, multùm inter se differunt*: ex *intestinorum* (c) *quoque vulneribus evadunt, quorum parva & recta vulnera fuerint.* At quod de ejusmodi vulneribus compertum observatione & exploratum est, ab illis convalescere datur, in quantùm

(a) *Vulgò*. Frere Jacques. (b) *Hip. prædict. II. art. XIX. v. 5.*
(c) *Coac. III. v. 199.*

tùm quòd carnis deest partibus vulneratis, ex partium viciniâ suppletur, quæ suas partibus vulneratis mutuando applicandoque carnes, gluten commodant, mutuoque adhæsu concesso, cicatrici tempus suppeditant, materiem, modum aut instrumentum.

APHORISMUS XIX.

Ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται.

Ubi dissectum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ pars tenuis, aut præputium, neque augetur, neque coalescit.

DE *spermaticis* partibus duo admonet hic *Aphorismus*, videlicèt illas nec *augeri*, nec *coalescere*. Reverà vulnera illarum vel sociam habent propriæ substantiæ *deperditionem*, ut loquuntur, ceu jacturam, quia ab illis aliquid fuerit abscissum; vel integrâ manente partium substantiâ, simplices *continui solutiones*, quæ vulnera, meræ textûs illarum sunt divisuræ. Si ergò jactura substantiæ facta fuerit, resarciri nisi cicatrice rudi, vel incomptâ nequit, interpositâ solùm succorum quasi farragine, qui decurtatis vasorum extremitatibus ascititiæ appendices facti, legitimas quæ periêre partes non restituunt, at supplent spurias: si facta fuerit tantùm textûs scissura, difficilis fiet coalitus, hincque *ulcera & fistulæ*, nervosarum partium vulneribus adeò familiares. Harum autem infelicium curationum rationes præclarum produnt hoc artis documentum, curtam nempè fieri medicinam, ubicunque cessat aut deficit natura; à naturâ enim secunda tantùm valet medicina, quæ concedet nunquam quæ natura negat. Quod ergò *non augescant spermaticæ* partes, sui portione aliquâ mutilatæ semel, in causâ est musculorum illorum jactura, ex quibus conflatæ à naturâ fuerant *deperditæ* partes, quæ cùm creati typi erant, juxta quos suum succi induerent augminis formamentum, miri nihil est, si pereuntibus typis pereat augmentum.

Sed hinc firmum veritatis hujus argumentum; omnia simul & semel in principio creata fuisse entia rerum, quibus quidem multiformes modos, aut modificationes varias addere possunt hominum artes, at ne vel entis miculam superaddere; verùm ejusmodi creatæ fuerunt *spermaticæ* partes, ut primigeniorum vasculorum conditoria sint, velutique loculamenta, quæ imposterùm futurorum augminum materiebus gravidarentur, factum est, ut *deperditis* conditoriis rerum, augmina cessent. Hîc ergò arti medicæ impotentiam improperare abstinebis, miraberis potiùs Creatoris omnipotentiam, digitum agnoscendo Dei, hominum artibus limites adeò breves circumscribentis.

APHO-

APHORISMUS XX.

Ἢν ἐς τὴ κοιλίλω αἷμα ἐκχυθῇ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

Si in ventrem sanguis effusus fuerit præter naturam, necesse est suppurari.

IN iis quæ de vulneribus observando novit, pergit *Hippocrates*, innuendo cæcarum, quæ clam in imo corpore fiunt *hæmorragiarum* differentiam; ex *hæmorrhagiis* enim sunt, in fœminis v.g. quæ *mensibus*, in viris qui *hæmorrhoidibus* deficiuntur, quæ per vomitum vel per fecessum in grumos confertim excernuntur, in quibusque morando etiam longius, nec pauca, nec levia pariunt *symptomata*, demptâ tamen suppuratione, quæ in has non cadit *hæmorrhagias*: aliæ sunt quæ ab inflicto vulnere committuntur *hæmorrhagiæ*, quæ sanguinis præter naturam seu à vulnere ventris, intrà ventrem effusi exemplo, in suppuratum eunt. Itaque quantumvis miserabile sit sanguinem, suis egressum vasis alicubi congeri, ab eo metuendum minùs, quem aliquò exportant *hæmorrhoides* aut *menses* suppressi, ille enim naturæ jugum penitùs nondùm detrectando, utpotè cujus missu eò depulsus, illiusque veluti nutus imperii sentiens, à putredine aliquandiù servatur, artisque auxiliis otium aut tempus concedit; de sanguinis à vulnere (pectoris v.g.) effusi congestione secùs est, qui naturæ regimen omne temnens & imperium, in se suo abutitur jure, & in suam se erigit perniciem; meliùs alienigenæ locorum ubi hospitatur auræ obnoxius, peregrini *elateris* vim suo experitur malo, solvi enim potens dissolvitur, aut pervertitur, exolutusque aliquo modo putrescit, quod *suppurare* vocat *Hippocrates*. (a)

Congestionum autem occasione datâ observabis, memineriisque, quàm longo tempore, integrâque vitâ servare natura queat, quas alicubi fecit *congestiones*, exitiales ferè tantùm fieri solitas, si curandas illas ars aggreditur; *meliceridum*, *atheromatum*, *steatomatum*, *apostematumque* similium *lymphaticorum* exemplo; quæ pultiformes *lymphas* proprio includunt sacculo, his enim aperiendis admovere manum, miserabile fatum accelerari sæpè comperies.

APHORISMUS XXI.

Τοῖσι μαινομένοισι, κιρσὸν, ἢ αἱμορροΐδων ἐπιγινομένων, ἡ μανίης λύσις.

Insanientibus, si varices, aut hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio fit;

HIC conspicis naturæ à morbo se expedientis exemplum, vacuando sanguinem, quia à sanguine morbus erat, *melancholia* nempè aut *in-*

sa-

(a) *Vid.* Genga *in Aph. Hip. ad chirurgiam spectantes. p.* 331.

sania, quàm ideò, juxta *Hippocratis* hanc observationem, sanguini meliùs quàm humoribus attribues: posthàc, insanabiles fieri insaniarum plures miraberis minùs, purgantibus enim, etiam *mochlicis* torqueri illas consuetudo est, quas, tractando sanguinem, castigando nempè illum aut evacuando, percurare daretur. *Helleborus* enim, qui hîc tanti est, *alterando* magis quàm purgando juvat, argumento sunt ingentes cæterorum purgantium evacuationes, *helleboro* infeliciores, quippè quæ *hællebori alterante* virtute destituuntur: *hellebori* ergò arcanum erit, ità illum adhiberi, ut partitis hisque exiguis dosibus oblatus, *alterantis* potiùs quàm evacuantis vices impleat; *Ipecacuanhæ* adhuc *aloes* & *rhabarbari* imitamine, quæ omnia, ut *alterantia* nosse modulari, ægrotantes à molestiis non paucis tueri non modò est, sed meliores illis afferere fructus.

Interim, quod adhuc notabis, ad insanias non opus semper est sanguinem evacuari, *varicum*, cæcarumque *hæmorrhoidum* testimonio, quæ vacuando nihil, prosunt tamen, in morbis enim, translocari tantùm sanguinem, remedio est, ubi principem partem expediri oportet, cujus *stasin* sanguinis ad ancillantem & ignobilioris ordinis partem transferri, mali quidem transmutatio solùm est, sanatio tamen, quia dùm ægrescit ignobilis pars, sanescit nobilior.

APHORISMUS XXII.

Ὁκόσα ῥήγματα ἐκ τῦ νώτου ἐς τὰς ἀγκῶνας καταβαίνει, φλεβοτομίη λύει.

Quæ ruptiones ex dorso ad cubitos descendunt, venæsectio solvit.

RUPTIONES interpretari solent de *suggillationibus* & *rheumatismis*, sub quibus humorum *cataractas* rumpi autumant aut solvi; meliùs dices hîc *ruptiones*, *toni* partium ruptas aut fractas *resistentias*, unde violatis vasorum *diametris*, inæqualis fit sanguinis circuitus, hinc (*Helmontio*) *inæquale partium robur*, quod rumpi est partium æquilibrium. Quasi ergò diceret *Hippocrates*, quando sub rupto partium *æquilibrio* franguntur *resistentiæ* partium, quæ brachium protegebant ab humorum à *dorso* irrumpentium affluxu, aut ab oscillationum *spasmodicè undulantium* eò descensu, unde *stases* humorum, *spastici* dolores, molestiæ, aut ad motum difficultates, tunc venæsectio auxilio est; duplici autem de causâ, tùm quòd ad oppositas partes aversum sanguinis fluentum, materiæ minùs sufficiat brachii molestiis, tùm quòd sic detumendo vasa in se concidant, ad proprias redeant diametros, nativamque recuperent soliti *toni* modulationem. Sic humorum ad brachium affluxus prohibetur, suaque circulationi restituitur æquabilitas.

APHO-

APHORISMUS XXIII.

Ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον.

Si metus & tristitia multo tempore perseverent, melancholicum hoc ipsum.

SUB mœrore & metu, maximè si diù durant, in sese recipiunt partes, stringuntur vasa, arctantur *diametri*, segnescunt oscillationes, tardantur *fluida*, spissescunt, stagnant, hincque *melancholicæ diatheses*, sub quibus sanguinis & *lympharum* commissæ *stases* arcanæ *melancholicorum* affectuum, quos *atrabilarios* quoque vocant, dant causas; hinc autem eorum difficultates, discrimina, & contumaciæ, sub his enim publicæ non solum corporis aut regiæ impediuntur viæ, sed abditos ipsos vitæ fontes occupat ignavia succorum, cui extimulandæ nocent remediorum stimuli, imparibus intereà medicaminum blanditiis; unde si desit medentis dexteritas, aut laniendo nimium proficit nihil, aut lacessendo temerè perdit omnia.

APHORISMUS XXIV.

Ἐντέρων ἢν διακοπῇ τῶν λεπτῶν τι, οὐ ξυμφύεται.

Si ex intestinis tenuibus aliquod dissectum fuerit, non coalescit.

NON coalescit quidem, si fluitans in abdomine, sibique soli relictum sit; ideò, inquiunt, quòd *peristaltico* motu motatum semper, propriæ partium suarum quieti, compactioni proindè aut unioni adversatur; hæc quoque causa altera est, glutinis nempè sufficientis defectus, quo laborant vulneratæ *spermaticæ* partes, quas quia paucæ alluunt sanguinales arteriæ, totas utpotè *lymphaticis* textas arteriis, glutine sanguinis destituuntur: sed isthuc commodant interiores circumplectentium partium parietes, à quibus plorantem uvorem *lymphæ*, si vulnerato intestino sugere dabitur, mutuatitiâ operâ coalescet: hunc in finem vulneratum intestinum vicinæ alicujus partis parieti applicari curabitur, cujus in se roscidum lambendo succum, illi corporabitur; inoculationis genus est, quo alteri pars alterâ inseritur, ab illâ imposterum mutuiter, vicarioque fotu vel influxu victura.

APHORISMUS XXV.

Ἐρυσίπελας ἔξωθεν μὲν εἴσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν· ἔσωθεν δ' ἔξω, ἀγαθόν.

Erysipelas foris quidem intrò verti, non bonum: intùs verò foràs, bonum.

DELITESCENTIUM *abscessuum* nota, confessaque sunt pericula, igitur de *erysipelatis* retrocessu unicè intellexisse hunc *Aphorismum*, de observatione triviis artis non ignotâ pronuntiatum *Hippocrati* tribuere est. Hîc ergò ad artem apprimè faciens sensus est, de *erysipelate* notabile esse, ab illo metuendum esse minus iis qui *erysipelati* obnoxii sunt, quanto tempore comparet, quàm toto quo abest tempore; stupendum enim, ususque comprobat, quàm necessariò sanitati serviat, quod apparuit semel *erysipelas*, pignus enim posthàc vitæ fit, quod defectum suppleri vult, sin minùs *crucem figet* Medico, evasurum nempè in morbos *erysipelate* graviores; *erysipelas* ergò præsens & prodeundo foràs, in tantùm tolerabile bonum illis hominibus est, in quantùm absens portendit iis gravius malum. Reverâ, purgandi sanguinis ars naturæ est *erysipelas*, quâ à succo hostili & à *transpiratione* inabsolutâ superstite, per ejusmodi cutis spiramina sese expedire cœpit natura, humore autem naturæ jussu eò vergente, ægrè ergò aliundè pellendo; unde in illum tardantem & suppressum operosè luctando molestatur, eluctandoque difficillimè, difficiles incurrit morbos.

APHORISMUS XXVI.

Οἷσιν ἐν πυρετῷ ὀξέϊ τρόμοι γίνονται, παραφροσύνη λύει.

Quibus in febre ardente tremores fiunt, delirium solvit.

EXITUS sunt morborum ad mortem, quibus ut sua sunt quæ illos præmonstrant signa, de his signis Medicum oportet erudiri, ut fatalem morbi exitum præcognoscendo prænuntiare queat: ejusmodi est sub ardente febre *deliriuni*, quod *tremorem* consequitur, quamvis enim inter exitialia signa numeretur *tremor*, januas pulsare mortem præmoneberis à *delirio*, quod *tremori* accedet. Sic sub febribus malignis, per multos dies sæpè observabis *tendinum subsultus*, quibus accedens *delirium*, extrema vitæ portendit. *Tremores* enim seu *spasmodici tendinum* saltus, *fluidorum* assultus in *solida* testantur, *deliriuni* verò *solida* vinci significat, *phlogosis* nempè miserabili progressu, quæ à *fluidis* ad *solida* arrependo, superari monstrat, vel frangi *solidorum resistentias* aut *elateres*.

APHO-

APHORISMUS XXVII.

Ὁκόσοι ἔμπυοι, ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται, ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου ἢ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται.

Qui suppurati, aut hydropici uruntur, aut secantur, hi *pure aut aquâ acervatim effluente, omninò moriuntur.*

APHORISMI, sententiæ aut pronuntiata sunt ab usu elicita, hisque sua non deest veritas, vel à priscorum temporum *physiologia* rudi profectitia, quæ suis non vacant mendis. Hoc utêre discerniculo, ad veram *Aphorismi* hujus interpretationem, enimverò *sudoribus* & *sanguini pus* & *aquam* collectam comparabant, unde cum *sudoribus* aut sanguine acervatim prorumpentibus, mortem paulò post succedere videbant, idem metuebant periculum à *pure suppuratorum*, aut aquâ *hydropicorum*, *acervatim per ustionem*, aut per *sectionem* evacuatâ; *sudores* (a) *paulatim oborientes prosunt, acervati lædunt: aqua inter cutem quem implevit sive in magno abscessu multùm puris coiit, simul id omne effudisse, æquè mortiferum est, ac si quis sani corporis vulnere factus exanguis est.* (b) Sed quod hîc subest erroris, spurio *analagismo* ex rudi *physica* ducto dabitur. Interim, rerum non omninò ab hoc *Aphorismo* abesse didicerunt qui in observando sagaces sunt & accurati; ut enim *hydropes* sunt unicè *serosi*, unde per *paracenthesin* profusi liquores, puram putam repræsentant *urinam*, alii dantur lactescentes & *chilosi* qui sincerum secti profundunt *chylum*; alii qui sanguinem, aut cruentatam emittunt *lympham*; illic sectione unicâ ad fæces usque, omnem evacuando siccare aquam, ut periti Medici est, hîc timidè, suspensâ manu & partitis vicibus *chylum* profundere prudentis est & cauti; sub illâ enim sectione, irretortis oculis exinaniri hominem vides, sub hâc verò, ægrum animo linqui ex pulsu, ore & vultu cernis, lapsum ex sectione virium confirmante ægroti statu mox secuturo, quantùm enim ille ab evacuatione alacer degit, tantùm hic se sentit fractum viribus, marcidum & elanguentem. Nihilominùs tamen id discriminis maximè spectat hydropis singulare genus, videlicèt illius, cujus humorem non tota abdominis capacitas diffusum, sed utricularius aut saccus collectum continet; porrò sub illo seroso hydrope laticem habes expressum in abdomine, illicque quasi *criticè* sepositum, seu vi virtutis *systalticæ* eò amandatum; sub hoc verò qui *chilosus* est, plorantem habes succum ab offensis *lymphaticis arteriis* flaccescentibus iis, aut *atoniâ* exolutis, ità ut non solùm tenui sanguinis sero exitum arteriæ concedant, sed totum ipsum elabi sinant *chylosum* aut cruentatum succum: unde liquet laticem illum, utpotè à naturâ veluti ejuratum, tutò posse totum simul & semel eliminari, huic autem utpotè nutritio, necessariò esse parcendum; succus enim est, unde adhuc alitur via, cujus jacturæ ideò aliundè providendum, quòd emissariis illius præ *atoniâ* hiantibus semper, illius concedere affluxum, hunc eò versùs attrahere sit aut deturbare.

(a) *Hip. coac. prænot. art. III. v. 90.* (b) *Cels. p. 73.*

Siccandi *hydropicorum* aquas periculum adhuc vides in *hydrope* altero, quem *anasarcam* appellant; incruentum *phlebotomiæ* genus illic adhibitum feliciter visum sæpè est, quo scalpelli apice extremo incisa superficie tenùs pedum aut malleolorum capillaria cutis vasa, limpidum ad plures dies laticem profundunt, eâ proluvie, ut quæ monstrificè tumebant corporis partes universæ, ad tabitudinem usque extenuentur: tabitudinem, inquam; tabefacta enim vi morbi fuisse viscera indicat subitaneus ille citò succedens marcor, unde *Hippocratis* Latini (*a*) effati veritas, *non sanat emissus humor, sed medicinæ locum facit*; cui sic astipulatur Græcorum *Hippocrates* alter (*b*), *tametsi*, inquit, *nonnunquam foràs sponte aqua prorumpit, aut aliquis præcordia rescindens effundit, adhuc in sede sua permanent hydropici*. Posthàc ad hujus *Aphorismi* mentem non erit unde *hydropicorum* aquarum evacuationi totus aut tutus confidas semper.

APHORISMUS XXVIII.

Εὐνοῦχοι οὐ ποδαγρίωσιν οὐδὲ φαλακροὶ γίνονται.

Eunuchi non laborant podagrâ, neque calvi fiunt.

Hic & qui sequitur *Aphorismus*, gemina adhuc viderentur crudæ veteris ævi philosophiæ corollaria, si ductas ab illâ philosophia rationes audire velles; interim hîc habes non aspernanda veteris sapientiæ monimenta; in observando senserat medicina vetus *arthritidem inflammatoriæ diathesis* prosapiam esse, ideòque cadendum illi esse in sanguinem vegetum, *evectum* & à *phlegmate* purum, cujus indolis cùm non sit *eunuchorum* sanguis, ultimo tritûs, evolutionis aut *exaltationis* defectus illo gradu, quem à *testibus* unis assequitur, *elasticitatis* illius sortitur minus, quâ ferveat, igneque contrahat *arthriticos*. Similis ratio propter quam *calvi non fiunt*, à sanguinis enim ardore venit capillorum defluvium, quod in cutem aridurâ, igneque jugi confectam incidit ordinariè, *phthisi* teste, quæ tota febris est aut ignis, cui defluere capillos, pro fatali coronide est.

Cæterùm sic ab *Hippocrate* præmonitus doceberis, eò gravioris in *eunuchis* futuram *podagram* momenti, si hâc corripi illum contigerit, quò longiùs ab eunuchorum constitutione recedat hic affectus, similiter *calvum fieri eunuchum*, à gravissimâ & insolitâ causâ id contingere cautus & prudens adnotabis.

APHO-

(a) *Cels. p.* 175. (b) *Aretæus p.* 36.

APHORISMUS XXIX.

Γυνὴ ὑ ποδαγρικὴ, ἓως μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλίπῃ.

Mulier non laborat podagrâ, nisi menses ipsi defecerint.

CLAUDICARE hunc *Aphorismum* cogitares, edoctus usu non solùm puellas videri mensium fluxûs adhuc inexpertas, quæ *arthriticis* affectionibus laborant, sed & puellulas inveniri *arthritico* cruciatas *rheumatismo*, octo vel novem annos tantùm natas, eam proindè agentes ætatem, sub quâ quemque sui sexûs inconscium ferè esse solitum est. Sed aliundè, multiplicique sub respectu, sua huic *Aphorismo* constat veritas. Primò enim podagræ insultibus non obnoxiæ fœminæ nascuntur, unde quandiù fœminam quam à naturâ induerunt, non exuent, masculinum isthuc vitium non induent, nisi fortè aliundè contingat mutari quadantenùs illarum naturam, ut *mensium* defectione, quæ gravissima mutatio est, quam pati fœminæ possunt. Hinc elicitur naturalis nec emendicata *Aphorismi* interpretatio; à podagrâ victuras immunes mulieres, quandiù liber illis erit, regularis, nec insufficiens *mensium* fluxus; at quia fatalis ætas est, quâ fœminas *mensibus* defici solitum est, eâ ætate podagræ doloribus subjici illas accidet, maximè si parentum *arthritico* sanguine satæ fuerint.

APHORISMUS XXX.

Παῖς ὑ ποδαγρικὴ, πρὸ ὗ ἀφροδισιασμοῦ.

Puer non laborat podagrâ ante veneris usum.

RATIONE non incongruâ ad eam quæ de *eunuchis* tradita modò est, ad *arthriticos* enim quæ requiritur in sanguine vis, *elasticitas*, aut *exaltatio*, puerorum sanguini ut plurimùm deest, donec pubertatis annos attigerint; eò usque, mollior, lactisque unde coaluit totus indolem referens sanguis, fervet minùs, quàm ut *phlegmonem* concipiat, aut inflammationis ignes; de pubere secùs est, in illo enim defæcatus, excoctusque ad purum sanguis, otiari incipit, otiandoque catullire; hinc fervens ætas, sanguinis ignes, æstuationum, ardorum, inflammationum seminia; hæc autem omnia experiri non licet absque tenuiorum sanguinis partium jacturâ, quibus tot inter ferventes pugnas dissipatis, acet sanguis, & in salinos stimulos evectus, *solida* mordet; hinc *spasmi*, ex hisque *inflammatoriæ stases*; atqui aliundè sunt quàm *stases inflammatoriæ arthritici* affectus?

APHO-

APHORISMUS XXXI.

Ὀδυώδας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη, ἢ λυτρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη λύει.

Oculorum dolores meri potus, aut balneum, aut fomentum, aut venæsectio, aut purgatio solvit.

REMEDIORUM ad oculos nomina varia, energiæ similes, par modus, opus idem; omnia quippè sunt *stasi* sanguinis demoliendæ dicata; id enim operatur *vini potus*, *systalticam* vasculorum hæsitantem vim elevando; *fomentum*, fibrarum retendendo *spasmos* aut relaxando *crispaturas*: *balneum*, majora abdominis dilatando vasa, habitûsque minima referando; *venæsectio*, sanguinis molem & pondus alleviando; *purgatio*, eliquando *lymphas* & has eliminando: in quibus omnibus si *diluentia* addas, singulas agnoscis artes ad circuitum modulandi sanguinem, tùm admetiendo *fluida*, tùm *solida* modificando; horum tractando fibras, tubulorum accommodando capacitates, *secretoriorum* diametris adaptando. In hâc autem, quam tibi pingit *Hippocrates*, medendi tabellâ, sub unico prospectu comprehensam habes universam artis totius industriam; scilicèt omnia nosse morbi auxilia, non omnia usurpare, de medicinis adoptando solùm quæ sinceras monstrant, aut implent medendi indicationes, linquendo quæ produnt ingenii nimiùm, usûs minus, peritiæ nihil.

APHORISMUS XXXII.

Τραυλοὶ ὑπὸ ἀλφέοιης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς.

Balbi ab alvi profluvio maximè corripiuntur longo.

BALBIS humescit lingua, affluxu *seri* acris, *bilioſi*, *melancholici*; in *iracundiam* (a) enim *melancholicam*, (b) *maniamque* (c) proni sunt; unde *in medicamentorum potionibus vitandos esse balbos* admonet *Hippocrates*, (d) *elateriumque iis in potu non dandum esse*. (e) Hinc se prodit hujus *Aphorismi* mens aut consilium, vitandæ nimirùm purgationis in balborum ægritudinibus, proclives enim ut illi sunt in *diarrhœas*, quas promptæ incurrunt, & quæ in pertinaces & difficillimas facessunt facillimè, à *cathartici*s metus fit illis, ne in fluores eliquescant toti. Tanti est non *irritare* humorum melancholicorum *crabrones*.

APHO-

(a) *Hip.epid.lib.II.sect.VI.* (b) *Ibid.sect.V.*
(c) *Ibid.text.II.* (d) *De veratri purg.*
(e) *Epid.lib.II.sect.VI.*

APHORISMUS XXXIII.

Οἱ ὀξυρεγμιώδεες οὐ πάνυ τι πλευριτικοὶ γίγνονται.

Acidum ructantes non admodùm pleuritici fiunt.

AB *acido* sanguinem cogente *pleuritidem* committi fama est, interim *acidum ructantes pleuriticos non admodùm esse* pronuntiat *Hippocrates*. Annè ad *pleuritidem* brevior esset *acidorum* proventus, quæ ructabit *stomachus*? hinc ergò ad *acidorum* doctrinam grave documentum; non omne *acidum* fert omnes *acidi* proprietates: aliusmodi est *acidum* quod *ructus*, modi alius quod *pleuritidem* parit; præcox illud aut crudum est, densans, gravans, figensque, hoc maturum, leve (*evectum* dicunt) actuosum, proin mobile, agitatorium; meritò igitur asserit *Hippocrates*, *non admodùm pleuriticos esse qui acidum ructant*, hoc enim ad *pleuritidem* ineptum, utpotè cum ad vasa meando non perveniendo, ultrà primas vias sua vix exerat mala.

Quid ergò sibi volunt *novorum dæmoniorum* in medicinâ nuntii recentes, suis cum primarum viarum saburris, in quibus suis veluti seminiis, *notharum* quas dicunt *pleuritidum* causas nidulari prædicant? ecce enim docet medicinæ parens colendissimus, ad *pleuritidem* nihil facere minùs, quàm saburrarum aut cruditatum authores, *acida* nempè, quæ etiam cum à stomacho ructantur, *pleuritidem* non pariunt: quo ergò tot purgantium & *mochlicorum* ausa, tot *stibiatorum*, infidique *Kermes mineralis* facinora? sic enim *non causam pro causâ* aggredi, monstra sibi debellanda fingere est; intereà non cassis ictibus, quibus furiatus quod in vasis *pleuritidem* facere volunt *acidum*, omnia miscet, *fluida* enim agendo vehementiùs, *solida* fortiùs exstimulando, nihil non mutat, perdit, pessundat.

APHORISMUS XXXIV.

Οἷσι φαλακροὶ, τρηχέσι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται. οἷσι δ' ἂν φαλακροῖσιν ἔοῦσι κιρσοὶ ἐπιγλύφωνται, πάλιν οὗτοι λίγνονται δασέες.

Qui calvi sunt, his varices magni non fiunt. Quibus verò dùm sunt calvi superveniunt varices, hi rursùs capillati fiunt.

NEC urgens, nec grave malum calvities, spectabilis tamen, quia succorum indolem prodit, quibus inficitur sanguis; medentem proindè eruditens de hominis intemperie, quem habet calvities: hanc autem promunt intemperiem *varices*, quæ *melancholicæ diathesis* fructus sunt; sed quemadmodùm de *balbis* admonendo *Hippocrates*, in longa illos proclives esse & difficilia alvi profluvia, innuit metuendum illis esse à purgationibus, ne humo-

morem melancholicum temerè movendo, perperàm *irritentur crabrones*, de calvis admonebitur quoque Medicus, cautè tractandos esse calvos *purgantibus*, quæ ejusmodi seligenda erunt, ut illis conveniat cum melancholico humore, calvorum corporibus inquilino.

APHORISMUS XXXV.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγλυομένη, κακόν.

Hydropicis tussis superveniens, malum;

EPIGENESIN ad partem nobilem fieri, malum est, à nobili ad ignobiliorem fieri, exitiale. *Hydrops*, intemperiei cumulus aut complementum, abdominis viscera occupans quæ *nutritia* sunt, gravis est morbus, gravissimus ad vitalia se propagans. Progressûs hujus miserabilis signum tussis est, *colliquationis*, aut proluviei ad pectus se diffundentis argumentum; ominis eò infelicioris, quòd testimonio sit, propagari non tantùm, quod *fluidis* factum erat vitium, at in communionem vitii *solida* ipsa venire, *solida* autem isthæc quæ vitæ quasi bases habentur aut fulcimina, cujusmodi sunt *pulmones*, quos tussi concuti, quassari est fundamina vitæ. Quidquid in *acutis* summo malo est, *chronico* huic morbo contingit eâdem infelicitate, *solidis* nimirùm arrepere noxam quæ *fluidis* propria erat, ceu *fluidis* condolescere *solida*, in quibus cùm positæ sint *resistentiarum* potentiæ, has propediem cessuras signum tussis est, quæ primùm læsi quidem tantùm, sed mox superandi partium *toni* indicium est, brevi proinde ruituri totius œconomiæ animalis æquilibrii.

APHORISMUS XXXVI.

Δυσουρίῃ φλεβοτομίη λύει· τὰμυεν δ' τὰς ἔσω.

Urinæ difficultatem venæsectio solvit: secandæ verò internæ.

SEcùs sapiunt qui urinæ difficultates aliis tractant remediis, quæ à venæsectionis scopo & intentionibus diversa sunt aut aliena, quorum tamen operibus urinæ difficultates *solvi* prætendunt; ex hoc enim (*Hippocratis* testimonio) remediorum principe ad *solvendas urinæ difficultates*, innuitur quoque cujus virtutis sint oportet medicamina, quæ hîc usurpanda sunt, similis nempè venæsectionis operæ & conditioni; sed hæc in reprimendâ, restinguendâque *phlogosi* sita sunt, edocent igitur & hujus energiæ seligenda esse remedia, & *phlogosin* esse, quam temperandam sibi sumet Medicus ad *solvendas urinæ difficultates*. Reverà hæ sunt ut plurimùm senum affectus, quòdque frigus senectutis pignus esse vulgi sit clamor, ad aromatica con-

fu-

fugiendum esse clamitant sub senum morbis, ad quorum curationes, à temperantibus temperandum prædicant & à venæsectione abstinendum. Hujus *Aphorismi* fructus ergò erit ab *Hippocrate* edoceri, morbos quoque senum sectâ venâ sanari, imprimis *urinæ difficultates*, quibus proindè *diuretica* & *aperientia* adhibere tam inconguum erit, quàm venæsectioni parùm supparia sunt isthæc medicamina.

Porrò *internas venas secari* vult *Hippocrates*, quod alterum illius documentum est, ad *anatomiam practicam* aut usualem pertinens, in eo necessariam, quod correlativa viscеribus vasa edoceat, *internarum* enim *venarum* nomine hîc intelliges venas quibuscum penitior erit cum *vesicâ* responsus, cujusmodi *saphæna* est, quam coronidis loco, opportunè, præmissisque brachii venarum sectionibus, tundere in vesicæ morbis, illorum solutioni verti solet feliciter.

APHORISMUS XXXVII.

Τ' ὼὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα χρηΐζ ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν· ἔξω γὰ τρέπει τὸ νόσημα.

Ab anginâ detento tumorem fieri in collo, bonum: foràs enim morbus vertitur.

MORBORUM felices spondent exitus servatæ motuum observationes, quas sequendo humorum *secretiones*, morbos solvunt meliùs; *foràs verti malum*, dicit *Hippocrates*, idest, eò ferri, ubi numero vincunt & facilitate *secretoriorum oscilla*, nunquid enim alicubi frequentiora dantur & paratiora quàm in corporis & viscerum habitu, qui ut *secretoriis* densè constitus est, ità incerniculi more totus hiscit spiraminibus, quæ utpotè patula semper, pulsis ad se purgaminibus concedunt promptos exitus. Hinc sub *anginâ tumorem fieri in collo*, *bonum est*, eò enim fertur stagnatus humor, ubi præstò maximè sunt organa coctionum aut digestionum instrumenta, *glandulæ* nimirùm, quæ vel puri conficiendo serviunt utiliùs, aut faciliorem humori discutiendo commodant operam.

APHORISMUS XXXVIII.

Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον. Θεραπευόμενοι γὰ ἀπόλλυνται ταχέως· μὴ θεραπευόμενοι δ' πολὺν χρόνον διατελέουσι.

Quibus occulti cancri fiunt, eos *non curare meliùs est. Curati enim citò pereunt, non curati verò longius tempus perdurant.*

NEGATIVÆ *medicinæ* exemplum observabile! continentis se Medici utile documentum! enimverò levandi non medicandi ars medicina

est, consilii sæpiùs quàm operis scientia, quippè quàm ab opere cessare sæpè juvat, à consilio nunquam. Hæc ergò prudentia erit, à medicamentis abstinere, ubi obscura est ingruentis morbi causa, quod doctissimi *Farnelii* consilium est, aut ubi dubia cura à quâ mali plus enasci suevit aut periculi, quæ hîc est *Hippocratis* admonitio. Hujus sortis sunt *occulti* aut maligni *cancri*, qui suam simulatæ benignitatis vultu celantes malitiam, isthæc invadunt *fluida & solida* occupant, quorum læsuræ mortes sunt aut tesseræ mortis: intelligito tenues glandularum *lymphas*, teneraque illarum stamina, illas quippè acere faciles, hæc crispari prompta, utraque proindè in dolores, *spasmos*, ulcera, noxasque inemendabiles proclivia, inemendabiles, inquam, cadentes quippè in *spermaticas* aut creatas corporis particulas, quarum irreparabilis jactura est, utpotè seminum naturæ, quorum vix unquam pensabile damnum.

Qui sic constituti morbi sunt, *curari* non amant, sed linqui gaudent, *fluida* enim quibus insident, quibus assident *solida*, otio durant, pereunt motu, adeout quies illis pro remedio sit. Et verò hos unicè motus ciere Medicum decet qui ad coctiones humorum, & morborum solutiones, naturâ duce, perducunt; at hîc movendo nihil natura prodest, hâcque reluctante diù, compesci nescii exurgunt motus, hos ergò æmulari, Medico piaculo erit, *Cataplasmata* igitur, *unguenta*, *balsama*, *litus* longè exulabunt; pari diligentiâ arcebuntur *stimulantia*, *volatilia* & eliquantia quæ intrò sumuntur medicamina, actuosa enim sunt & vellicantia, quæ incoercibiles *elateres* excusitare ausa, incurabiles movebunt morbos; de *sedativis* non item, ut enim sola sunt, quæ hîc naturæ ingenio respondent, sola quoque tolerabilia erunt, patientiæ saltem, si non morbi auxilia, virtutis animi simul & corporis adjutoria.

APHORISMUS XXXIX.

Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πλησμονῆς, ἢ κενώσιος· οὕτω δὲ καὶ λυγμός.

Convulsio fit aut à repletione aut evacuatione. Sic quidem etiam singultus.

SANITAS, heu quàm exiguum! nisus est aut modus, motûs nempè quo corporis œconomiæ res æquilibrantur; igitur *momentum* vita, à tantillo pendens, minùs quippè ab ipsis rebus, quàm à rationibus rerum aut modificationibus: *elateris* potentia est suo in otio consistens, in mutuoque posita commensu, cui hinc illinc accedente pauxillo aut decedente, fit ab æquilibrio recessus. Hîc ergò utrinque metus tùm à cumulo rerum aut *repletione*, tùm ab imminutione illarum aut *inanitione*, tam labilis isthæc potentia vitæ! quæ momento defecta labascit; sed hinc coloris omnis aut vultûs *spasmorum* origines, ut enim suum cuique parti altilium succorum demensum accedit, eluxurie horum aut imminutione factâ vigent aut cadunt partium *elateres* aut potentiæ: argumento sit totius corporis *plethora* in virgi-

ginibus, quæ *mensibus* carent, & in gravidis quibus menses retinentur, has enim & illas ab exuperante sanguine *spasmis hystericis* torqueri, vulgare est; similiter ab hâc aut illâ sanguinis parte, albâ rubrâve, factis alicubi *stasibus* arcanis, aut alterutrius negato appulsu conveniente, crescunt aut minuuntur potentiæ, unde *spastica* partium *diathesis*, *fibrarum* astrictio insolens, quod convelli est.

Huic doctrinæ fidem facit *singultus*, convulsionis genus, quàm sæpè facit stomachi *repletio*, ceu alimentorum ingluvies, accersit quoque ab *hæmorrhagiis*, aut ab *hypercatharsi* veniens inanitio: huc autem spectant non minùs *spasmata*, quæ à *cholerâ* morbo artus ægri torquent, immanis enim evacuationis testes & fructus sunt.

APHORISMUS XL.

Ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγιγνόμενος λύει τὸν πόνον.

Quibus ad hypochondrium dolores fiunt absque inflammatione, his febris superveniens solvit dolorem.

FEBRIS, naturæ medicatricis solemne præsidium *catharralibus* & *rheumaticis* doloribus medetur, qui ab ejusmodi *crispaturis* fiunt quas parit fatuum aut insulsum *serum*, non acre, non *phlogiston*, non fervens, non urens, sed *flatuosum* & vaporem quod ingurgitando se in partes, eas opplet & tendit; quibus (aliud ab *Hippocrate* sapientes) hodiè *purgantia* & *stibiata* objiciunt, rati *drasticis* & eliquantibus medicaminibus tractandum id omne quod pituitam & aquam sapit aut *serosam colluviem*. Tale *serum*, utpotè salibus aut acredine destitutum, *resolventibus*, discutientibusvè curandum innuit artis magister, febris exemplo quâ dolorem ejusmodi *rheumaticum* solvi docet. Interim cum dolor est qui solvendus venit, meminerit Medicus, ex usu artis prudentiam esse, *resolventibus anodyna* admiscere, idque congruenter ad venæsectionis levandi rationem, ut enim *sedativa* inter venæsectio eminet, dùm aliundè *stases* discutit, *sedativa* etiam sint oportet, quæ venæsectioni æmula erunt remedia.

APHORISMUS XLI.

Ὁκόσοισι ἀφεψεῖν τι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ ἀφασημαίνει, τουτέοισι ἀφὶ παχύτητα ἢ πύου, ἢ τόπου, οὐκ ἀποσημαίνει.

Quibus suppuratum quid in corpore existens, nullum sui signum prodit, his propter crassitudinem puris aut loci, signum non exhibet.

HINC inter medendum à *suppurato* metuere discet Medicus, cùm illi cura erit de inflammatis aut graviter affectis visceribus, quæ altè ali-

cubi condita erunt, in quibus pus *crassum* & lentum confici solet, tùm ubi habetur *locorum crassitudo*, tunc enim sui *signum non exhibente pure*, cuniculos agit morbidus humor, viscusque inconscio Medico depascitur; indè tam crebra *apostemata*, quæ cadaverum sectio revelat, de quibus medenti per morbum suspicio venerat nulla; quapropter pulmonibus, dùm pectus laborat, timebis non mediocriter, *veiculosum* enim viscus est, sensu hebes, altè locatum, sepitum *crassè*, ideòque *vomicis* obnoxium, quæ hominem inopinanter perimunt. Metues adhuc visceribus quæ densæ compacturæ sunt aut mollioris substantiæ, utraque enim sinu suo *apostases* congeri sinunt, quæ incogitante Medico illa perdunt, tùm quia utpotè vel textûs densioris humoris irruentis impulsibus resistunt diutiùs, malèque cedunt, vel texturæ mollioris clàm admittunt humorum ingressus; his de causis *renes*, *glandulas*, *cerebri medullas* clàm invadi, sineque sensu *apostematis* confici reperies. Interim ejusmodi *apostases*, humorum ingenio, viscerum texturâ, locorum recessibus, sub morbis celatæ, difficilium & *chronicorum* morborum non infrequentes sunt fomites, solitæque lethalium infelices causæ. Sed heu! hæc infortunia morborum, artis sæpè minùs quàm artificis opprobria sunt, imperitiæ non rarò, indiligentiæ frequenter non incerta testimonia.

APHORISMUS XLII.

Ἐν τοῖσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενόμενον, πονηρόν.

In icteriris hepar durum fieri, malum.

AD delendas morborum causas facit maximè, sic eas sitas inveniri seu obvias illis in locis, quò medicamina facilè meent, insuper mobiles adhuc, sanguinis circuitui, fluentoque obnoxias, ut coctionum potentiis subditæ, remediorum energiis pateant; his curæ commodis adversantur stataræ causæ, ubi nempè alicubi sedem fixerunt, tunc enim finitam esse omnem naturæ operam intelligis, in illisque subigendis curtam fuisse & imparem. *Icteri* casus est, sub quo *hepar durum est*, fixæ enim vel moratæ bilis indicium habetur, frustratique nisûs, quo irrito aut reluctante, nobili huic visceri impacta bilis est, & cuneata; sed infaustè, sic enim fixa bilis & moveri inhabilis, sanguinis fluento eripitur & remediorum eludit vires; adhæc sic impedito *hepate*, circulantis sanguinis vortici obex ponitur, *anadosique* succorum & humorum *depurationi*. Aliusmodi enim datur *icterus* ab evecta bile ortum habens, unde evoluta nimiùm & sublimis facta bilis, ad *hepar* deprimi renuit, quin potiùs ad habitum corporis diffusa, suo cutem inficit colore; sed quæ sortis hujus *bilis* est, utpotè non egressa sanguinis fluento, *præcipitantium* remediorum potentiis obvia patet, quorum pondere ad hepar repressa, ad sua *secretoria* citò deturbatur, quapropter remediis promptiùs cedit id *icteri* genus.

APHO-

APHORISMUS XLIII.

Ὁκόσοι λιπωώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τρηχοισιν ἐπιγενομένης μακρῆς τ δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λιεντερίη, ἢ ἀπόλλυνται.

Qui lienosi à diſenteriâ corripiuntur, his longâ ſuperveniente dyſenteriâ, hydrops ſupervenit, aut inteſtinorum levitas, & pereunt.

OBSERVABIS ergò *lienoſos dyſenteriæ* obnoxios eſſe, quæ *ſi non longa*, (a) *ipſis commoda eſt, ſi longa, in hydropem aut lienteriam, hinc in mortem deſinit*. Dyſenteriæ hujus nomine intelligito minùs, ferinum cum torminibus & febre cruentum alvi profluvium, quod in *teneſmum* deſinit, quàm cruentum alvi fluorem, ſimilem illi cui *plethorici* & mutilati obnoxii ſunt, quique in *lienteriam*, ſeu vaſorum levitatem, aut *atoniam* terminatur. *Hæmorrhoiæ* ergò genus eſt, quæ *lienoſas ſolvit aut judicat* affectiones, modò longa non fuerit, ſed ad *criticæ* vacuationis normam eat, *ſyſtalticæ* virtutis evectâ & emoderante potentiâ, non ad *hæmorrhagiæ* ritum, ſuperatâ & exolutâ *ſyſtalticâ* virtute, quod atonia erit & vaſorum lævitas, horum videlicèt præceps & ſui impotens oſcillatio, quæ *lienteriæ* titulo dignanda erit, lapſus enim in inteſtinis alimenta ſemicocta deturbans, idem in vaſis ſanguinem ſub *hæmorrhagiis* præcipitando foràs extrudit, vaſorum proindè *lienteria* non malè nuncupandus.

Verùm *hæmorrhoiam* obſervando, quæ *lienoſis ſolutioni* eſt, intelligere datur, ſanguinem ipſum eſſe, qui ſtagnatus in liene, *lienoſos* facit; nec incongruenter ad lienis fabricam, compactus enim ut totus ex arteriis lien eſt; ſanguinis *ſtaſibus* maximè objicitur, utpotè cum arteriales tubuli ſint, in quibus exoriri obſtructiones ſolent; inſuper *ſyſtalticæ* potentiæ primi parentes, ideòque *ſpaſmis* contrahendis propiùs obnoxii. Hinc ratio propter quam lienoſi tam multi fiunt ex iis quos animi mœror aut ſtudium angit, eò enim rapiantur oportet oſcillationum *ataxiæ*, ubi plura ſunt *oſcillatoria* vaſa, firmitudiniſque & reſiſtentiæ minus, ad lienem ergò qui horum compactura eſt, ſummæque mollitudinis; poſthàc miraberis ab *hæmorrhoia* lienoſos levari? fateberis meliùs toxica illis futura eſſe purgantium plurima, quæ vaſorum furiando *ſpaſmos*, inſanabiles eos reddunt aut contumaces.

APHO-

(a) *Coac.III.275.*

APHORISMUS XLIV.

Ὁκόσοισιν ἐκ στραγγυρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

Quibus ex urinæ stillicidio volvulus supervenit, in septem diebus pereunt, nisi febre superveniente urina abundè fluxerit.

AB intestini inflammatione, *peristoli* intestinorum obice facto, stercoreus fit *volvulus*, à vesicæ inflammatione, *peristoli* ureterum facto obice *volvulus* fit urinalis: illic ad superiora reflexus *peristalticus* intestinorum motus ad os evomenda stercora cogit, hîc ad superiora reflexus *peristalticus ureterum* motus, ad os evomendas cogit urinas; illic quidem per solum intestinorum ductum, qui ano ad os unus ascendit, hîc per omnia *lymphæ gastricæ secretoriorum* oscilla, quæ *lymphæ* hujus vehiculo suppressam & exundantem urinarum illuviem, intrà stomachum eructant. *Ischuriæ* illius casus est, quæ fortiori *stranguriæ* succedit, cui vomitio sapiens urinam & olens supervenit; ejusmodi *volvulus* erit qui intrà septem dies ægrum è medio tollet, nisi *stasin* & obicem *inflammatorium* solvendo febris superveniens reseret vias, laxatâque ad inferiora vesicæ & *ureterum peristole*, *acervatim urina* suum repetat fluxum.

APHORISMUS XLV.

Ἕλκεα ὁκόσα ἐνιαύσια γίνεται, ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχουσιν, ἀνάγκη ὀστέον ἀφίστασθαι, καὶ τὰς οὐλὰς κοίλας γίνεσθαι.

Ulcera quæcunque annua fiunt, aut longius tempus occupant, necesse est os abscedere, & cicatrices cavas fieri.

ICHORIS malignè depascentis ingenium, nec immeritò hîc argues, *ichoris* autem illius non solùm qui carnes evidenter, sed & alterius qui ossa clanculum exedit, unde conjecturam capiet Medicus ad ossium *lympham* repsisse acorem, qui succo carnium nutritio proprius videbatur. Hinc ulcerum, ubi inveteraverunt, curatio infausta fuerit, si carnium succis corrigendis unicè prospiciens aliquis, totius *lymphæ* molis vitium emendare omiserit. Hic enim curta chirurgi digitorum omnis dexteritas, nisi curationi ejusmodi præsit, clarumque teneat Medici sapientia, quæ arcanas succorum *stases* docta demoliri Chirurgi operibus asserat felicitatem. Adeò verum est non *malagmata* esse, non unguenta, non balsama, à quibus expectabis vulnerum & ulcerum sanationem, sed magistram Medici scientiam, quæ sanguinis & *lymphæ* tutando *crases* & *dyscrasias* emendando, suam sanguini tueri norit circuitûs facilitatem, quòd pro sincero illius balsamo erit.

APHO-

APHORISMUS XLVI.

Ὀκόσοι ὑβοὶ ἐξ ἄσθματος, ἢ βηχὸς γίνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται.

Qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt antè pubertatem, pereunt.

TUSSIS, *asthma*, *gibbus* in pueris, novercalia naturæ pignora, arrhæ mortis aut ægritudinum tesseræ; sic enim nati infeliciter, morbos inter & dolores educantur, & antè pubertatem pereunt, *phthisici* utplurimùm, eò enim inclinat illa vitæ ætas, isthæcque tabis partium medullis coortæ fundamina & indicia. Succis enim tam impensè malis cum totæ ebullientes medullæ sint, ut pulmones labefactent non solùm, verùm & inficiant offa, malè sanis pulmonibus angustius parant hospitium, quo pressi dilatari impediuntur; hinc coercita nimiùm *systaltica virtus* illius visceris quod dilatari refert maximè, flabellum illud vitæ extingui illicò aut suffocari necessum erit, illo tempore, pubertatis nempè, quo unà cum cæteris partibus molis suæ nacti complementum, impeditam gibbo sentient dilatari renuentem pectoris capacitatem.

APHORISMUS XLVII.

Ὀκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, ἰητέος πρόσκηκον ἔαρι φλεβοτομέειν, ἢ φαρμακεύειν.

Quibus venæsectio, aut purgatio conducit, his vere convenit venam secare, aut purgationem facere.

OBSERVABILE est, ut in procinctu sunt adventante vere morbi, sub quo cum herbis egerminare vides arcana morborum semina; tunc ergò (si quandò) iis anteire decet, eorum ope quæ morborum vires enervant aut resecant materies, quales sunt *venæsectio* & *catharsis*, evacuantium medicaminum nobilissima; *venæsectio* imprimis, veris igniculis adversa, quos comprimit aut arcet, tùm & *catharsis*, quæ opportunè exhibita, morborum nidamina tollit, declinatque regressus. Intereà docet usus, vernalibus prævertendis morbis in tantùm esse tutam purgationem, in quantùm omissa non fuerit venæsectio, quæ ut oportuerit præmissa, omnia purgationis pericula præoccupabit aut incommoda.

De vere enim adnotabis, totos in fervore poni illius effectus, quocum convenit vernalium morborum indoles, unde in *macrocosmo* simul & in *microcosmo* resurgentis aut exuscitantis se naturæ status aut tempus est, sub quo renascentes utrinque novos ignes regi potiùs quàm acui decet. Enimverò de *vernalibus* morbis comperies, maximam illorum partem, ad *inflammatoriam diathesin* pertinere, sive *acuti* illi sint & *populares*, ut *variolæ*, *morbilli*, sive

chro-

chronici fuerint aut *sporadici*, qualia sunt *sanguinis sputamina*, *arthritis*, *hæmorrhoides*, quibus omnibus *catharsin* primùm aut præcipitantiùs adhibere, morborum causas adjuvare & erigere est. Sub vere igitur morborum naturas diligenter observabis, ut enim ex his sunt, in quorum caussis fervoris plus vides aut *elateris*, quales sunt, quos modò inter *acutos* nominavimus, his venæsectionem necessariam esse magis intelliges; aliusmodi sunt quibus pro causâ est ad æstuandum tardior materies, cui eapropter *exaltandæ* opus sunt temporum intervalla, talium prævertendis *paroxysmis* utilis purgatio erit, eo tempore, sub quo adhuc otiabitur morbi causa, nondùm quidem evecta penitùs, purgationi tamen matura, cujusmodi est *epilepsiæ* fames, qui sub primo vere præscindi utiliter purgatione solet.

Verùm si ad morborum vernalium naturas attendi bonum est, utile non minùs aut necessarium ægrorum observari temperamenta, quæ si biliosa fuerint & sanguine fervida, venæsectione indigebunt magis; postremò his addatur observationibus, non omninò tutum nec semper, inobservatis his morborum ægrotorumq; conditionibus, indiscriminatim à Chirurgis sub vere suscipi gravissimas artis eorum *operationes*, quas ad ver relegare omnes, ritus illis est; interim si ejusmodi futuræ sint *operationes* ut incisuræ graves ægro ferendæ fuerint, exindèque secutura suppuratio copiosa, multum certè periculi impendebit, si juvenis fuerit ægrotans & ferventis naturæ, his enim additus temporis fervor, febres, dum pus fiet, enormes, hincque profusos alvi fluores, sæpè dabit, quibus parcitum fuisset, temperatam magis eligendo tempestatem; unde usu comperies in his morborum & ægrotantium circumstantiis, operationes ejusmodi graves sub autumno succedere feliciùs, à præteritis nempè æstatis caloribus, deprimente se evecti nimiùm aeris *elasticitate*, & defervente sanguinis ardore, ad *suppurationis* labores meliùs sic comparati.

APHORISMUS XLVIII.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη, ἀγαθόν.

Lienosis dysenteria superveniens, bonum.

HÆc eadem cum *Aphorismi* quadragesimi tertii doctrinâ; *Hippocratis* enim consuetudo est repetendi pluries, vel quæ singularia comperiit vel quæ observavit notanda singulariter, inculcandi causâ quæ artis usum adjuvare possunt aut locupletare; hùc autem spectat, erudiri Medicum aut admoneri de morbi propriâ solvendi ratione, Medicorum plebi insolubilis, lienis nimirùm affectûs, qui medentis sæpè vertitur opprobrio, ut intelligatur id dedecoris artifici imputandum venire, non arti, cujus sapientiâ obtinebitur morbo illi medendi modus, cujus industriâ cognita est illius solvendi ratio naturalis.

APHO-

APHORISMUS XLIX.

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμαίνοντα ἢν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ἀποκαθίσταται.

Qui podagrici morbi fiunt, hi sedatâ inflammatione in quadraginta diebus decedunt.

HIc habes *podagræ* curandæ methodum & modum, revelatam nempè *podagræ* causam, hujusque curationis tempus & terminum. Causa inflammatio est, quam sedari oportet ut curatio succedat, ut sedetur autem, opus est quadraginta dierum intervallo.

Inflammationis ergò singulare genus quod *podagram* alit, dùm enim cæteræ inflammationes paucorum dierum esse solent, isthæc ad quadraginta extenditur; ratiò à partium inflammatarum naturâ venit, in carnes ubique cadere suevit inflammatio, quæ in *podagrâ*, *tendinosas* aut ejus conditionis partes occupat. *Stasis* ergò succorum est qui ejusmodi partium vascula incolunt, quæ à cordis situ & pulsu longius absunt, unde succis illorum longiori viâ ad cor redeundum erit, proindè longiori tempore illis erit opus, ut ad majora vasa regrediantur, idest, resolvi possint & communi sanguinis fluento restitui, quod inflammationem *sedari* est. Sed hinc se ratio profert ob quam ab *aromaticis* calidis & siccantibus *topicis* tantâ curâ cavere oportet, ne dùm per *diaphoresim* evocato foràs, quod tenuiùs fuerit, *tendinosis* partibus insidens humor durescat, inde *tophi*, cretaceæque concretiones, quæ podagricorum digitos, sæpè & medentium opera inhonestant.

APHORISMUS L.

Ὁκόσοισιν ἢν ὁ ἐγκέφαλος ἀκοπῇ, τουτέοισιν ἀνάγκη πυρετὸν, καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίγνεσθαι.

Quibus perscissum fuerit cerebrum, his necesse est febrem, & bilis vomitum supervenire.

CÆTERA inter quibus eminet *Hippocrates*, *diagnosis* est, seu morborum, horumque causarum discernendarum peritia singularis, exindèque *prognosis* stabiliendæ scientia; hujus specimen est quod hîc exhibet, edocendo quomodò ex capitis vulnerum *symptomatis*, cerebri percussi statum æstimare discet Medicus. Febris ergò capitis vulneri succedens insignem sanguinalibus vasis factam esse offensam significat, gravem proindè adesse inflammationem; vomitus verò si comitetur, ad ipsos nervos measse læsionem auguraberis, qui hinc malè habentes *systalticæ* suæ virtutis *undulationum* turbas cum stomacho communicant, cui hic aliundè condolescendo, in vomitiones prorumpit; omnes, si illi daretur, susceptur in se & excessu-

rus cerebri moleſtias. Porrò ſuas hinc Medicus formabit medendi indicationes, *prognoſinque* inſtituet, benè gnarus, quàm gravis quæ curanda cauſa morbi, providens quàm anceps illius curæ exitus.

APHORISMUS LI.

Ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ ῥέγχουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλαβῃ.

Quibus ſanis dolores derepentè fiunt in capite, & ſtatim muti fiunt ac ſternunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.

SIDERATOS (*a*) appellat *Hippocrates*, qui ſic affecti ſunt, à ſanguine (ut loquitur) *perfrigerato*, (*b*) ideſt, ſegneſcente ſpiſſo, atrato, ſtagnato, ut fieri aſſolet in ſenibus, (*c*) ad quos ſpectat ſingulariter ejuſmodi morbus, eam occupans cerebri partem, in quâ *plurimæ ſunt venæ*; (d) *ſtaſis* ergò eſt ſeu ſtagnatio ſanguinis intrà vaſa *atræ bilis* (*e*) acore ſpiſſati, morâ cujus aut pondere depreſſæ *ſolidæ* partes *in ſe ipſas laxantur*; (*f*) hinc ergò *fluidis* pigritantibus, illinc *ſolidis laxatis* partibus, muti derepentè fiunt, *ſtertorque* citò ſuccedit, ſolvitur enim, fatiſcit, ceditque victa *ſyſtaltica* virtus, quam niſi erigat & exſuſcitet inſolitus naturæ conatus, qui febris eſt, paucos intrà dies ægroto pereundum erit, utut pridiè ſanus videbatur; ut *ergò ſuperior* evadat, neceſſum eſt, ut ſanguis *caleſcat*, *attollatur*, *diffundatur*, *moveatur* & *ſpirationem inducat*.... ſin minùs, *magis perfrigeratur*, *& ubi penitùs perfrigeratus fuerit & calor defecerit*, *congelatur*, *moveri non poteſt*, *ſed moritur*. (*g*) Porrò his *Hippocratis* ſermonibus expreſſam habes *apoplexiæ* notionem & *ætiologiam*, unde curationis illius non inſinceram ideam intelligere dabitur.

APHO-

(a) *Coac.ll.6.312.de morb.lib. II.art.VI.v.7.* (b) *Ibid.de morb.* (c) *De morb.lib.II.art.XXI.v.12.*
(d) *Ibid.art.VI.v.6.* (e) *Ibid.v.5.*
(f) *Prædict.lib.I.art.XII.v.8.* (g) *De morb.lib.II.art.VI.v.8.13.*

APHORISMUS LII.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γάρ τι ὑποφαίνηται, ξυμβαλλομένων τῶν βλεφάρων, τοῦ λευκοῦ, μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐόντι, ἢ ἐκ φαρμακοποσίης, φλαῦρον τὸ σημεῖον, καὶ θανατῶδες σφόδρα.

Considerare verò etiam oportet, oculorum subtùs apparentia in somnis. Si enim albi quid, palpebris commissis, subtùs appareat, cui id *non ex alvi profluvio est, aut ex potione purgante, pravum signum, & valdè lethale.*

IN morbis undequàque fiat virium lapsus, malum portendit, at non aliundè venit periculum certius, quàm à fracto *solidorum tono*; à *solidis* enim oritur, aut fundatur in illis corporis potentia nobilior, quâ labente *fluidorum* non tantùm perit energia omnis, sed & totius corporis potentia concidit. Verùm *toni* partium debilitatem arguit *oculi* (ut habet (*a*) *Hippocrates*) *confractio*, quæ in *acuto morbo* perniciem minatur; hanc autem *oculi confractionem* cognosces, ubi inter dormiendum, *palpebris malè commissis, albi quid subtùs apparet*: ubi exolutionis genus vides, quod laxatis supràmodum *solidis* partibus tribues, nisi *fluidorum* evacuatio copiosior excusationi sit, tunc enim in *solidis* spes superest adhuc, forè ut alicundè resurgat corporis robur, rerumque illius tandem aliquando natura iterùm potiatur.

APHORISMUS LIII.

Αἱ παραφροσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι, ἀσφαλέστεραι· αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι.

Deliria, cum risu quidem accidentia, securiora: cum studio verò periculosiora.

DELIRIA cum risu, oscillationum lusus ferè sunt, temporariæ allucinationes, quas committunt transitoriæ & leves sanguinis æstuantis turbæ, nudæ & simplices *ataxiæ*, quas inducunt ad tempus febrium exacerbationes, unàque cum his sæpè prætereuntes; è contrà quæ seriò fiunt & *cum studio* deliria, consistentis *solidorum* delicti & confirmati *virtutis systalticæ* peccaminis, notæ juges sunt, morati & hærentis sanguinis circuitus constantia signa, mutatæ proin à se naturæ rerum fixa testimonia. Sub illis er-

(a) *Prædict. lib. I. art. XI. v. 2.*

ergò quæ cum risu sunt deliriis, abundè est unde victuræ, colluctantis quippè feliciter naturæ conatibus tutò fidas, secùs te geres sub his quæ cum studio fiunt deliriis, dejectæ enim ægrèque constanti naturæ timidus credes, intereà artis auxiliis fidendo prudens.

APHORISMUS LIV.

Ἐν τοῖσι ὀξέσι πάθεσι τοῖσι μετὰ πυρετοῦ, αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακαί.

In acutis affectionibus quæ cum febre sunt, *luctuosæ respirationes*: *malæ*.

MIRABILE !! quandò omnia sana sunt, ut muta sunt naturæ opera, absque stridore, murmure, sibilio aut sensu ullo, quamvis mille per tubulos itus & reditus *fluidorum* juges sint corporis functiones; alienânè de causâ, quàm quòd molles sint, obsequiosæ & flexiles partium meabilium fibræ, æquabiles diametri vasorum, *fluidorum* par ubique commensus? igitur *luctuosas* fieri sub morbis *respirationes*, stridoris aut sonitûs partium genus habebitur, cui pro causâ est fibrarum *spastica diathesis*, aut *spasmodicus* rigor, à quo durior factus *solidorum tonus*, *fluidorum* allisu sonum edit, qui strictioris factæ vasorum *diametri*, malèque respondentis *fluidorum* commeatûs indicia sunt & effecta, quæ graves ad Medicum admonitiones erunt.

APHORISMUS LV.

Τὰ ποδαγρικὰ ἔαρος, καὶ ἐν φθινοπώρῳ κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Podagrici morbi *vere & autumno moventur ut plurimùm*.

SUA sunt præacutarum curationum discrimina, sua quoque commoda & bona sunt, hæc si docuerit & regat observatio; quod autem suo *Hippocrates* didicit usu, hîc admonet, assuefacturus eos vel qui ab ortu podagræ debiti sunt, vel qui in hanc infeliciter facti sunt proclives, diætæ & medicinæ legibus servandis, sub iis anni temporibus, quibus exuscitari solent podagræ causæ; ver autem & autumnum his aptum esse scribit, ut alterutro adventante, ex harum tempestatum anni affectionibus & ingenio, de iis, quæ agenda habent, erudiantur. Sub vere, novis *elateribus* catuliens aer, sanguinem movet, pandit, evolvit, qui sic animatus quæ sinu condebat morborum semina fundit, ipsam ergò *podagram* si *podagræ* imbutus fuerit seminio. Eapropter illa tunc adhibenda erunt, quæ diluendo, temperando, continendo sanguini serviunt, medicamentosa imprimis ali-

men-

menta ; quæ *arthritica* salia *concentrent* , infringantvè , ut hæc additis æstatis ignibus elixa atque digesta , *diapnoicis* auxiliis autumno adveniente parata inveniantur , *amaris* maximè jusculis aut decocturis , *diaphoreticis* humentibus , ut *lignorum decoctis* , aquis *martialibus* , tandem *asinino lacte* , quo delinitus sanguis ad *transpirationis* vias duci se patiatur aut reduci .

APHORISMUS LVI.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νοσήμασιν ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποστήψιες , ἢ ἀποπληξίην ἢ σώματος , ἢ σπασμόν , ἢ μανίην , ἢ τύφλωσιν σημαίνουσι .

Morbis melancholicis ad hæc periculosi sunt humorum *decubitus* , *aut corporis siderationem* , *aut convulsionem* , *aut insaniam* , *aut cæcitatem significant* .

AB humore nullo metues magis quàm à *melancholico* , quippè qui à sanguinis benignâ , *balsamicâ & volatili* indole degener & alienus maximè sit , fixi , acris & ferini multùm in se habens ; his de causis mulceri indiget & cicurari , ne furiatus aut jugum naturæ detrectans , in morbos , *apostases & decubitus* , egerminet tam exitiales , quàm malignus ipse est ; quales sunt *apoplexia* , *convulsio* , *insania* , *cæcitas* ; adeò omnibus functionibus invidet ! quas sive universales sint , sive particulares , sive ad corpus , sive ad animum spectent , perdit omnes .

APHORISMUS LVII.

Ἀποπληκτοι δ' μάλιστα γίγνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα .

Apoplectici autem fiunt maximè , ætate ab anno quadragesimo usque ad sexagesimum .

NON ergò novelli sanguinis fœtus est *apoplexia* , sed veterascentis partus , non à sanguine humidiori venit , sed ab illo recocto , usto , *dephlegmato* (ut ajunt) qui apto defectus vehiculo , reses fit , tardigradus , stagnans , in *stases* proclivis . Hæc ostendit quadraginta annorum ætatis ratio , sub quâ consistere cœptus sanguis , quantùm à suâ partium mollitudine recedit , tantùm ad illarum duritiem accedit , & rigiditatem , quæ senescentis corporis qualitas & conditio est ; & reverâ juventutem dediscens homo quadraginta annorum natus , senescere discit . Itaque sanguinem *apoplecticorum* quem crudum , *pituitosum* & eliquatum prædicat vulgus , densum esse , firmum & compactum ostendit observatio , unde quoque se profert causa propter quam

exi-

exitialis tam ſæpè *apoplexia* eſt, graves enim & ponderoſi ſunt ſucci, quorum *ſtaſis phlegmonodes apoplexiam* committit, hi enim ſucci mole ſuâ & pondere *ſolidorum* ſtamina prementes, horum *ſyſtalticam* ſuffocant virtutem: exindè ſe promit adhuc ſereſcentis *apoplecticorum* ſanguinis ratio, ſpiſſati enim ſanguinis effectus eſt, cujus ſtricta aut contracta *ſpaſmodicè* fibra, hincque preſſus ſanguineæ molis textus, ſerum exprimit, hujuſq; facit colluviem.

APHORISMUS LVIII.

Ἢν ἐπίπλοον ἐκπέσῃ, ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

Si omentum exciderit, neceſſe eſt putrefieri.

OMENTUM per vulnus *excidere* foràs, ſtrangulari eſt, illud enim *peritonei* imprimis vulnerati *ſpaſtica* conſtrictio premit vehementer, porrò premi fortiter interceptam alicubi partem, arctari eſt vaſorum partis illius diametros, ſuccorum vaſa illa transfretantium circulationem proindè impediri, quod ad *ſphacelum* proximus gradus eſt: verùm ſub ejuſmodi caſu *ſphaceli* vicinius *omento* impendet periculum, *omentum* enim *adipoſarum* partium more, pauciſſimis ſanguinalibus arteriis, contra *lymphaticis* numeroſiſſimis inſternitur, rorari ergò ferè defectum rubrâ ſanguinis parte, quæ utpotè globuloſa plus habet molis, pluſque occupat ſpatii, quo preſſioni reſiſtit, imò ſanguinis albâ portione imbutum pleniſſimè, quæ cogi, deprimique facillima eſt, preſſum vel mediocriter, promptè ſtrangulatur, celeriterque putreſcit,

APHORISMUS LIX.

Οἷσιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης ἐξίσταται τὸ ἰσχίον, ἢν πάλιν ἐμπέσῃ, ἰσχίοισι μύξαι ἐπιγίνονται.

Quibus à diuturno coxendicis morbo vexatis coxa excidit, & rurſus incidit, his mucus innaſcitur.

MORBI à *laxo* non inevidens exemplum, hæc enim oſſis ſuo ab acetabulo labentis relabentiſve alternatio, *atoniæ* partium ſimul & lubricatæ nimis illarum ſubſtantiæ manifeſtum eſt argumentum; coxam namque veſtiunt ligamenta multa, quæ quia cruris flexurarum rationibus mille alendis ſerviunt, madore multo naturâ ſuâ hument, unde *ſinovia*, illud naturale gluten, quo firmantur illæ partes, ſimul & molleſcunt; at quam ſpirant *lympham*, dùm ſuo *tono* valent, hanc uberrimè plorant, ubi ab extenſione longiori perdito glandularum *tono* exolutæ laxantur, hinc enim flaccentia dehiſcunt omnia *lymphaticorum* oſcilla, quæ quaſi pleno alveo ſuam

fun-

fundunt *lympham*, quæ *Hippocrati mucus* est, morâ enim & copiâ gelascens in acetabulo spissatur, moleque suâ regressuro ossi obicem ponit.

APHORISMUS LX.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλυμένοισι χρονίης τὸ ἰσχίον ἐξίσαται, τυπόισι πήκεται τὸ σκέλος, καὶ χολῶνται, ἢν μὴ καυθῶσιν.

Quibus à diuturno coxendicis morbo vexatis coxa excidit, his crus tabescit, & claudicant, nisi usti fuerint.

LARISSÆ *Scamander coxendicem sideratam habuit, & os diù disparatum, hic post magnam sectionem ad os usque, denique subustus est.* (a) Grave malum! terribile remedium! condonandum fortè primis adhuc & rudibus Chirurgiæ temporibus, nunc autem ubi cultior facta est hæc Medicinæ pars, urbana & erudita, meliùs emendandum tolerabilioribus, similis tamen *indicationis* & ingenii, *hydroticis* nempè, *vulnerariis*, *desiccantibus*, quæ *colliquationum & seri* fontes primùm siccando, decumbentis in coxam *catharri* fomites submovebunt; interea dùm expectando, observandovè num nè fortè foràs adductus morbidus humor, severiorem postulaverit Chirurgi manum, quæ cauteriis ustam primùm secando partem, introducendis ad penitiora debitis remediis ingressum parabit.

SE-

(a) *Epid. lib. V. p.* 1041.

SECTIO SEPTIMA.

APHORISMUS PRIMUS.

Ἐν τοῖσι ὀξέσι νουσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν.

In morbis acutis extremarum partium frigus, malum.

AD ſanitatem pertinet ad habitum corporis ſanguinem ferri, cujus circulationis hæc omnis ars eſt, à corde ad habitum corporis pelli ſanguinem, huncque eundem ab habitu ad cor regredi; *frigere* ergò ſub morbis *extremas corporis partes*, maximum in motu ſanguinis à naturâ receſſum ſignificari eſt, ſanguiniſque circuitûs ab habitu ad præcordia retroceſſum fieri argumentum. Atqui naturâ ſuâ præcordia fervent eo gradu, quo ſub cane calet aer, (*a*) unde caloris habitûs corporis ad præcordiorum fervorem acceſſione factâ, concepti intûs incendii ſignum eſt: porrò arcana deflagare domûs penetralia, pro eminente periculo habetur.

APHORISMUS II.

Ἐπὶ ὀστέῳ νοσέοντι σὰρξ πελιδνὴ, κακόν.

Ex oſſe ægrotante caro livida, malum.

LIVERE os ab ægrotis carnibus, malum eſt, ab ægrotante oſſe livere carnes peſſimum. A malo enim eſt quidquid *ſphacelum* ſapit, hunc autem præſagit aut monſtrat partium livor. Sed *ſphacelus* deterior qui ab interiori quàm qui ab exteriori venit, periculoſus ergò maximè qui ab *ægrotante* oſſe manat, tunc enim ab imis medullis ſerpere malum indicium eſt. Unde intelligendum medenti venit ejuſmodi carnium livorem ab illius ſucci

ſtaſi

(a) *Vide* Boyle.

stasi provenire, qui abditiora rorat partium loca, eò proindè penetrasse mali labem, quò remediis attingere ægerrimè datur; insuper in vitio esse illud succi genus, roscidam nempè *lympham*, quæ labefactata semel tam inemendabiles induit sapores, quàm salini, acres & *caustici* evadunt; adde quàm arcani sunt aut arcanis & multiplicibus partium loculis stagnati ii, qui illos sapores ex se promunt succi.

APHORISMUS III.

Ἐπὶ ἐμέτῳ λυγξ, καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ, κακόν.

A vomitu singultus, & oculi rubri, malum.

HIc habes veram vomitûs aut illius causæ rationem, quam in stomachi infirmitatem refundi Medicorum vulgo solitum est; dum illam à nimiâ aut exasperatâ illius vi, *spasticâ* videlicèt, proficiscì admonet hæc *Hippocratis* observatio. Hæc enim accipienda de vomitu, qui non à crapulâ, aut à crudo stomacho nascitur, sed de vomitu qui *meracus est*, (a) à succorum indole pravâ magis quàm copiâ, proveniens ab acore magis humorum, quam pondere. Hinc ergò succedens singultus malus est, convulsio enim est ab *inanitione* orta, à vitiatâ ipsâmet partium habitudine, labefactatovè illarum *tono*, quæ pessima est *spasticæ diathesis* ratio, in stomachum vomiturientem cadens, ubi rejecto primùm vomitu eo omni quod *humorale*, succosum aut crassum fuerat; propriâ fibrarum suarum *ataxiâ* emotus & pertinaciter lacessitus, *singultum* contrahit, eò pernicioſiorem, si infelici partium viciniâ aut affinitate causarum *diaphragma* perculsum, pares ferat aut committat subsultus.

Infausti adhuc ominis *ocularum rubor* à vomitu veniens, hîc enim si quandò *oculi ut valent* (b) *ità & totum corpus*. Porrò ab hâc causâ rubentes oculi eò adactam esse ostendunt rubram sanguinis partem, seu ad illa vasa intrà quæ admitti non illi ordinariò donatum est, pluſquam capillares nempè tubulos *adnatæ* albentes & *arteriacos*; unde conjectura medenti fiet quotus fuerit & quantus partium sub vomitu *meraco* nisus, ejusmodi scilicèt impetûs, ut ad penitiores vaforum recessus abreptus sanguis fuerit. Hinc intelliget medendi doctus quanta illi adhibenda cura est, ut perditam sanguinis circuitûs æquabilitatem restituere queat: sed *non extrà oleas*.

(a) *Coac. IV.* 20. (b) *Hip. epid. lib. VI. sect. IV. text.* 26.

APHORISMUS IV.

Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, ἢ χρηστόν.

A sudore horror, non bonum.

RIGOR *non rarò malignitatis signum*, (a) *mentis alienationem portendit*, (*b*) *urinæ suppressiones*, (*c*) &c. Sed malus maximè qui sudorem proximè sequitur. Enimverò sita in eo est sudoris tota felicitas, quòd morbidi humoris subacti, triti, tenuati, cocti proindè argumentum sit, at cum infeliciter *tenuati* (*d*) humoris illius signum sit rigor, quidquid spei sudor habet, adimit omne, causæque altricis morbi partem maximam intrà sanguinem retineri significat, hincque rigoris ejusmodi pernicies non contemnenda; inde facta major, quod ut rigoris causa est astrictio cutis, hujusque spiraminum obstructio, *transpirationis* vias occludi testatur, quanto discrimine norunt, quibus perspecta est ad morborum solutiones evacuationis illius necessitas.

APHORISMUS V.

Ἐκ μανίης δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

Ab insaniâ dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio, bonum.

SEDULUS in observando & assiduus *Hippocrates*, iis quæ de insaniæ solutionibus annotaverat Aphor. XXI. Sect. VI. superaddi voluit hoc Aphorismo, quod aliàs inter medendum comperit. Igitur *hæmorrhoidibus & varicibus* quibus insaniam solvi noverat, *dysenteriam*, *hydropem*, & *extasin*, aut mentis *emotionem* addit, quibus solvi quoque didicit *insaniam*. De *dysenteriâ* palam est, hanc cum *hæmorrhoidibus* conferendo; suppar enim naturæ medentis ars est, humorem morbidum elocantis, aliòque transponentis. De *hydrope* secùs videretur, quid enim (inquient) *atræ bili*, quæ insaniam committit cum aquâ, unde fit hydrops? ignemnè cum aquâ componere vellet *Hippocrates*? ità fermè videretur, mille enim & miræ sunt artes quibus expedire se natura suevit, adeout quod illic per *metastases* agit, tentet hîc per *metamorphoses*.

Reverà bilis in aquam transmutationem hîc videre videberis, nisi prodigii rationem sic assequi daretur. Insaniæ causam habeto *bilis atræ* aut sanguinis ustulati *stasin* in cerebro, sed hinc per nervorum radices in ipsos nervorum funicolos meare sensim cogitabis salinam & acrem auram, quæ indigenæ

(a) *Hip. coac.* 14. (b) *Prædict. lib. I. sent.* 15.
(c) *Coac. XXIV. prædict. sent.* 110. *epid. lib. VI. sect. I. text.* 9. (d) *Hip. lib. I. de morb. p.* 445.

genæ nervorum lymphæ *crasin* & motum vitiando, circuitum illius tardabit aut impediet, quid inde? notum est *lymphaticas* venas, venas (*a*) esse nervorum, aut horum appendices venarum æmulas, ductu quarum ad sanguinem revehuntur nervoli laticis reliquiæ.

Igitur facto circulanti nervorum *lymphæ* repagulo, tardescit in *lymphaticis* venis corporis *lymphæ* regressus, hincque facta illuvies, seri fit regurgitatio, quæ hydropum parens est.

Posthàc *insaniam*, quæ mentis emotio est, *mentis emotione* solvi, obscurum videtur, sed *extasi* solvi illam, quæ *Hippocratis* vox est, intelliges; tunc ex usu perspicuum tenebis, insaniam, quæ delirium loquax & irrequietum est, *extasi* solvi quæ delirium mutum est, videre enim non infrequens est ex insanientibus non paucos, qui postquàm rixis, clamoribus & irrequie multâ astantes fatigarunt, silentes, taciti, secumque soli & soporati delirant.

APHORISMUS VI.

Ἐπὶ νόσῳ πολυχρονίῃ ἀποσιτίη, καὶ ἄκρητοι ἀποχωρήσιες, κακόν.

In morbo diuturno appetitus prostratus, & meracæ dejectiones, malum.

STOMACHUS coctionum fons, prima sedes, princeps organum, ab illo enim trituum prima vis & potentiæ principium, lapsæ cujus, languentis aut alienatæ indicium est appetitûs prostratio. Itaque *in morbo diuturno appetitus prostratus*, laborare ostendit & infirmari in corpore quod in horologio machinamenti totius anima audit, rota princeps, mobile primum. Intelliges ergo *solidorum* magis quàm *fluidorum* vitium esse vel morbum appetitûs prostrationem, quæ ideò sæpè medicaminibus reluctatur, exacerbatur non rarò, quia de numero eorum usurpantur quæ *fluidis* aut humoribus dicantur, cum illa seligenda fuissent quæ regendis *solidorum* oscillationibus convenirent. Unde morbum *chronicum* habebis ut confusum inconditumque coctionum chaos, indigestamque digestionum seriem; cujus argumentum & causa est stomachi vitium, signum autem appetitûs prostratio; quâ durante, vix à recidivâ tutus æger est; febrium cortice Peruviano curatarum, aut compressarum exemplo, sub illis enim qualiscunque à febrium turbis pax & *apyrexia* à cortice illo succedat, infida est, imò induciarum genus, quamdiù aberit appetitus, quo delinquente à recidivâ metues semper.

Meracæ dejectiones. Idest, mera succorum ejectamina, inutiles jacturæ quæ lucro sunt morbo, ægrotanti damno, putidorum enim eliquaminum spurcities sunt & egeries, *chyli*, *lymphæ* & *seri* spuriæ materiaturæ, quibus præpostero pressæ *spasmo* glandulæ, aut lacessita perperàm viscera perpluunt, porrò cruditatum illuvies, utilium simul & inutilium succorum dejectus infelices & uberiores exuviæ, quibus pauperatus sanguis fatiscit, victaque morbo dat manus.

(a) *Vide anthrop. novam Techmey.*

Intereà tamen sincerum & meracum utiliter excernitur sub illo *chronico* morbo, cui eo in viscere sedes aut fomes quòd succi excernendi in animali œconomiâ præcipui conditorium est, hujus enim succi facta *eclypsis* aut suppressio morbum alit, cujus restitutâ *secretione*, ut primùm sincerus excerni cœpit & prodire foràs, sanitatis vexillum dat aut argumentum. Sic sub *ictero* statim atque flavere conspiciuntur, quæ albescebant dejectiones, qua ntùm sinceræ bilis colorem referunt aut speciem, spei tantùm sanitati faciunt & fidem.

APHORISMUS VII.

Ἐκ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν.

A multo potu rigor, & delirium, malum.

A Ebrietate delirium quotidianum est, rigor autem & delirium ab ebrietate singularia fuêre vinorum Græcorum symptomata, tetrâ eâ vaporantium mephiti, quæ brevi spirituum *ataxias* dabant, & nervos feriebant acriter, nisi coctione, conditurâ aut vetustate cicurarentur. Intereà non minoris erunt malignitatis nostratia vina, si ex licentiâ aut libidine potiùs quàm ex ratione aut necessitate, eorum sit potus, cæco enim acore imbuuntur semper, qui intrà sanguinem evolutus nimiùm aut suprà modum evectus, venenato, acri & hostili sapore nervorum *lympham* inquinat, mutat & perdit. Hinc malum ingens, quo confici tam multorum viscera vides, quos decepit splendens in vitro dolosus vinorum color, quosque lusit blanda illorum luxuries.

APHORISMUS VIII.

Ἐπὶ φύματος ἔσω ῥήξεος ἔκλυσις, ἔμετος, καὶ λειποψυχίη γίνεται.

A tumoris intùs ruptione, exolutio, vomitus, & animi deliquium fit.

OBSERVABILE frequentem adeò de *suppuratis* mentionem fieri in veterum Medicorum monumentis, dùm (quod observandum non minùs) tam compertæ illis erant inflammationum & suppurationum causæ, *venulæ* (a) nempè, ut loquebantur, *convulsæ*, & *convulsæ* (b) *carnes*, *unde sanguis putrescit aut suppuratur*. Sic enim *congestionum & collectionum* (c) datis notisque originibus, in proclivi erat prævertendarum suppurationum

(a) *Hip. de morb. lib. 1. art. XII. v. 4.* (b) *Ibid. v. 5.*
(c) *Ibid. v. 2.*

num scientia : sed nostris temporibus ut *spasmorum* reservata erat medicina, suppurationum proindè declinandarum propria ars aut industria. Verum quas prævertere suppurationes non noverant satis, in his cognoscendis periti versabantur, in hisque præsagiendis minimè rudes. Factis ergò *in ventre aut præcordiis* (a) *congestionibus*, *collectionibus*, *stasibus*, ubi *exolutio*, *vomitus* & *animi deliquium* contingebant, *tumorem* vel suppuratum *intùs rumpi* didicerant, & de illorum numero esse quæ *suâ sponte intrò prorumpunt*, & *ex quibus pereunt* (b) *ægrotantes*.

Discant autem medentes ex his *animi deliquiis*, *exolutione*, &c. quæ gravibus morbis succedunt aut superveniunt, isthæc symptomata fatiscentis esse minùs quàm eluctantis naturæ indicia, oppressæque cæcæ alicujus & in aliquo viscere oblitæ *congestionis*, (c) aut *collectionis* onere, cui *venulas* (idest, capillaria vasa) *convulsas*, *convulsasque* carnes solvendo laxandove providere omissum sæpè est; meminerintque nauseas & *vomitus*, saburræ minùs humorum, quàm putrescentis (d) coacervati, stagnatique sanguinis *stasibus* tribuendos esse; quæ cum observante *Hippocrate* vera sint, quàm multa, *bone Deus!* *emetica*, *Kermesina*, similisque farinæ purgantia impetu cæco aut præposteto exhibita consilio!

APHORISMUS IX.

Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη, ἢ ἐὰν σπασμὸς, κακόν.

A sanguinis fluxu delirium, aut etiam convulsio, malum.

Quod de *convulsione* hoc ipsum de *delirio* pronuntiabis, exitiale esse quandò ab *inanitione* fit aut ab *exhausto*, hujusmodi autem *delirium* est quod à *sanguinis fluxu* venit. Hic enim fermè tolerabilis, quandiù eam sanguinis portionem unicè fundit, quâ redundare solet corporum pars maxima, hinc enim depleta tantùm majora, à *capillaribus* illicò recipiunt unde huic suppleant jacturæ; at ubi quantumcunque à *capillaribus* sarcitur, tantùm illàc effluit, necessarius abliguritur vitæ commeatus; vitæ, inquam, præterquamquòd enim exinanita sic jugiter majora vasa, animam cum sanguine fundunt, faciunt quòque sic factâ sanguinis motûs ad exitum determinatione, ut unà cum pereunte rubræ partis illius portione, alterâ (quæ alba est & *lymphatica*) defraudentur nervi, quæ cum rubrâ insimul effluit; sed tunc nervi indigenâ suâ defecti *lymphâ* exinaniti, suo cadunt *tono*, imparesque facti alendis suis oscillationibus solitis, *spasmos* inducunt & *ataxias* quæ *deliria* sunt & *convulsiones*.

APHO-

(a) *Ibid. l. coac. II. 236.* (b) *De morb. l. art. XII. 17.*
(c) *Hip. ibid.* (d) *Ibid.*

APHORISMUS X.

Ἐπὶ εἴλεῷ ἔμετος, ἢ λυγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ab ileo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut delirium, malum.

HIPPOCRATI solemne & proprium est ea tradere quæ morbis singularia sunt & quasi *pathognomonica* symptomata, ut morbi nativis suis medenti se monstrent notaculis, tanti illi erat morborum *diagnosis*! quâ defectus Medicus ad curandum *Hippocrati* ineptus habebatur. Juxtà hunc conceptum, *Hippocratis* mens hoc in Aphorismo non est, solita aut vulgò nota *Ilei* signa commemorandi, sed ex illis iisdem medicum edocendi, quomodò, quibusque indiciis intelliget, *tormina ventris* (a) *dysenteriam* aut similem intestinorum phlegmonem aut affectionem *Ileo* intestino insedisse, idest, eò usque arrepisse inflammationem, ubi *Ileum* morbum committit, quem tunc adesse monstrant *vomitus*, *singultus*, &c. propria Ilei morbi signacula; porrò gravissima symptomata, quæ cùm sub *Ileo* morbo exitium portendant, hîc quòque medentem admonent, *præsentiam urgere Turni*, idest, urgenda esse auxilia, ex quo quæ pluribus intestinis impendebat inflammatio, uni hæret unicè, illique quod confestim pessundare solet inflammatio, tam repentinus est, & velox ab *ileo* morbo ægroti raptus!

APHORISMUS XI.

Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη, κακόν.

A pleuritide peripneumonia, malum.

OBSERVATIONE dignum quàm facilè se pandant propagentque ad partes vicinas qui membranaceum genus occupant, morbi; *sympathiæ* modus est aut contagii, sub quo mirabilem animadvertis responsum, singularem consensum; neque aliundè repetes portentosam *catarrhorum* pullitiem, sic ut nata semel aut affricta parti alicui ad *catarrhos diathesis*, per omnes artus brevi se diffundat.

In causâ est primorum corporis staminum natura aut similitudo, quæ utpotè ex nervorum filis fibrata, membranulæ sunt aut membranarum primordia. Sed hinc concipere datur necessariam partium membranacearum communionem, ut enim in radice unius sunt prosapiæ, ejusdem quòque fiunt affinitatis. Exemplum profert *pleuritis*, sedis enim ratione, pleuræ nimirùm, quæ membrana primaria est, serpit ad pulmones, quæ ex vesiculis, quæ membranulæ sunt, toti compinguntur. Malum autem pronuntiat Hip-

(a) *Vid. Cels. p. 74.*

Hippocrates, ubi fit ejusmodi *epigenesis*, hanc certè ob causam quòd pulmo princeps ad vitam pars sit; insuper quòd loculis ut distinctus ille est, sacculisque mille divisus & succum morbidum penitiùs & de illo majorem partem combibat; hanc autem alteram rationem quòque tenebis, uberem nempè copiam morbidæ materiæ arguit isthæc *epigenesis*, quâ transfusâ ad pulmones parte illius bonâ, supereſt *pleuræ* satis ad prioris morbi perennitatem.

APHORISMUS XII.

Ἐπὶ περιπνευμονίῃ φρενῖτις, κακόν.

A peripneumoniâ phrenitis, malum.

MEMBRANACEI generis in universo corpore communitates loquitur tota animalis œconomia, teste illâ *meningum* cerebri cum oculorum *aduatâ* responsione, in cerebri vulneribus, quam enim tunc concepêre *meninges* inflammationem, *ophthalmia* repræsentat: significante iterùm illâ *pericranii* cum cæteris faciei & capitis externi partibus affinitate, quæ ea est ut *phlogosi spasticâ* tensum convulsumvè alicubi *pericranium*, in tumorem elevet omnes faciei partes. Sed singulare est & ad *acutos* morbos faciens exemplum quod hîc prodit *Hippocrates*, de *peripneumoniâ* nimirùm, quæ vesicularum pulmonis *phlegmone* est, quæ ad inflammationem cerebri *meningum* transire solet. Posthàc si recolligas tot & tam exitialia *symptomata*, quæ ex pleuritico humore, pulmoni & cerebro impendent, palàm fit, in conspectumque se dat *Hippocratis* his in *Aphorismis* consilium; admonitio enim illius est alias in observando recocti, quâ præmunit medentes, ne suâ committant incuriâ, tam gravia, quæ ex illorum negligentiâ nascerentur discrimina.

APHORISMUS XIII.

Ἐπὶ καύμασιν ἰσχυροῖσι σπασμός, ἢ τέτανος, κακόν.

Ab ardoribus vehementibus convulsio, aut tetanus, (rigor) malum.

CAUMATA fervores sunt & æstuationes, febribus, quæ *causodes* audiunt, ardentes & malignæ, singulares & propriæ; harum causas à præfervido sanguine, urente & *caustico* mutuantur, at cùm quidquid benigni habet sanguis, quidquidvè contrahit maligni à *solidorum systaltica* vi teneat, *solidorum* quòque *diathesi* tribues fervoris sensum & effectum. Porrò hanc *diathesin* putabis citatam nimis, fortiorem, vegetioremque oscillandi potentiam, quâ verberatus acriùs sanguis tenuatur impensiùs & incalescit. Sic autem sanguis incandescens *solida* siccat, hæcque celeriùs evibrata & vehementiùs se conficiunt, tabentque, unde rigor, *spasticaque* astrictio, quâ morata nervorum

lym-

ympha, circulandoque tardata, *ataxias* parit, aut oscillationes inordinatas, quæ *convulsiones* sunt, imò *tetani* genus; sunt enim stataricæ, nervis inhærentes, quorum non solùm tonum, sed & ipsum eorum habitum mutant; hâc autem de causâ, *spasmis* sunt pejores qui transitorii sunt & volatici, utpotè quos facit indelebilis sanguinis sapor hostilis, aut quos accersit *plethora*, impetus aut mora, quæ omnia cùm temporaria sint, arti morem gerunt tandem, artificisque sapientiæ auscultant.

APHORISMUS XIV.

Ἐπὶ πληγῇ ἐς τὴ κεφαλὴν ἔκπληξις, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

A plagâ in caput, stupor, aut delirium, malum.

SANGUINIS affluxu impeti principem aliquam corporis partem, eam affici dolore, *phlegmone* tentari, gravia certè mala, plenaque periculi! at inibi motum sanguinis supprimi, aut illius rumpi circuitum, malorum cumulus est; cerebri autem status est *à plagâ* quàm excipiunt *stupor & delirium*, consistentis enim & stagnati sanguinis hæc signa sunt, suffocatique sanguinis morâ cerebri, adde nervorum *lymphæ* factam *stasin*, quam parit mollium medullæ cerebri fibrarum compressus; ipsum enim *delirium*, quod tam sæpe committit præceps nimiùm sanguinis cursus, facit hîc circuitûs illius segnities, unde cohibita spirituum circulatio, in *ataxias* mutatur.

APHORISMUS XV.

Ἐπὶ αἵματος πτύσει φῦσα πτύσις, κακόν.

A sanguinis sputo, puris sputum, malum.

EXCREATIO sanguinis, rubræ illius partis per *lymphaticas arterias* excretio est, per illos scilicèt pulmonum arteriales tubulos, qui in cæca illius spiramina desinunt, & quorum oscillis vaporare solet transpirationis internæ materies; verùm cum hæc sit sub sanitate partis sanguinis *lymphaticæ* roscidus efflatus, sequitur *lymphatica* esse isthæc vasa, imò arteriaca, quippè quæ succum à corde ad extrema vasorum efferendo excernunt. Porrò sub excreatione sanguinis, ipsemet purpureus latex est, qui ab arteriis sanguinalibus in *lymphaticas*, vi qualibet ascititiâ, irrumpens, per harum oscilla exilit; à tali autem sanguinis excretione violari *lymphaticarum* diametros facilè concipitur, ut enim roscido succo crassior est ipsa sanguinis substantia, capacitates dilatari, spatiaque ampliari necessum est. Hiatum ergò & *atoniæ* genus vasis illis à sanguinis impetu factum intelliges, unde duplex incommodum, perditæ enim *secretoriorum* illorum capacitates, roris *lympha-*

phatici loco ipsam admittunt *lympham*, cui excernendæ cùm impar sit violatorum vasorum *tonus*, aut fracta *systaltica* virtus, lentescit hæc *lympha*, morâ putrescit, & in pus convertitur; à sputo ergò sanguinis malum est quod sequitur puris sputum, labefactatæ enim pulmonum substantiæ signum est, succique nutritii putrescentis argumentum.

APHORISMUS XVI.

Ἐπὶ πύῳ πτύσις φθίσις καὶ ῥύσις. ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἴσχῃ, ἵστανται.

A puris sputo, tabes, & fluxus. Postquam verò sputum retinetur, moriuntur.

TRADITÆ modò *ætiologiæ* veritatem asserit, quæ à puris sputo veniunt *tabes & fluxus*; stupendum enim est, ut tabescit corpus & eliquatur, ubi semel labefactari cœpit pulmonis substantia: rationem prodit puris excreationis data causa, ab *atoniâ* enim pulmonum laxatis *secretoriorum* retinaculis, hùc ingurgitat se affatim succi nutritii moles, quæ in hiantes incidendo *secretoriorum* exitus, diffluit tota, effluitque; in sputamina putabis? certè non falsò, hæc enim profusa succorum deliquia in se suscipientes pulmonum vesiculæ, immensam sputaminum eructant copiam, at non unica hæc fit per sputa *colliquatio*, confestim succedunt *fluxus per diarrhœas & sudores* enormes, non incerta diffluentis omninò corporis testimonia. Annè quia fractis pulmonis *secretoriorum* retinaculis, collabascerent insimul universi corporis *secretoriorum* potentiæ? id aliundè committit mali mutata *transpirabilis* per pulmones materiæ conditio, ut enim tanta est per cutem transpirandæ materiæ copia intrà viginti quatuor horas, quanta per alvum crassiorum excrementorum per quindecim dies, sequitur, mutatâ materiâ in sputorum crassamina, quæ efflari debuisset in halitus per pulmonum poros, minui maximè hanc *secretionem*, hujus autem refluæ ad sanguinem superstites reliquiæ, *secernendi, transpirandivè* per reliquum corpus laticis *lymphatici* fundo crescendum esse jubent. Hinc ergò materiæ moles nativæ *secretoriorum* potentiæ *resistentias* superante, exindèque succorum exuberantia effusis *excretionibus* alendis non impar.

Interim utut infelix est illa in tabidis sputaminum *excretio* liberalis, sustentandis luctuosæ vitæ miserabilibus reliquiis necessaria venit. Enimverò toto anteacto morbi progressu, ab impeditâ, vitiatâque pulmonis transpiratione; ad sanguinem quæ transpiranda fuisset *lympha* redundans cumulaverat vasa. hincque quasi onere pressa partium *systaltica* virtus, hâc illâc per cutis spiracula modò, modò per oscilla intestinorum fecerat sibi colliquias, per quas sub sudorum aut alvi dejectionum specie, aliquatenus se tuebatur, quamdiù larga per sputamina durabat *colliquatio*, verùm ab hâc compressâ novorum succorum tantùm sanguineę moli redit, quantùm materię retinetur; exuberantibus autem & refluis succis jam oppressa gemebat partium *systaltica*

virtus, hanc proindè adveniente illi onere novo, suffocari necesse est. Igitur, *postquam sputum retinetur*, *moriuntur* ægrotantes.

APHORISMUS XVII.

Ἐπὶ φλεγμονῇ ἧπατος λύγξ, κακόν.

Ab hepatis inflammatione singultus, malum.

NOTUS est *hepatis* cum *diaphragmate* adhæsus, illius ergò vitiorum affrictus facilis & spontaneus *diaphragmati* est, inflammationis potissimùm, hâc enim tactum hepar acri halitu vaporat, aut sudat rore ferventi, cujus *miasmate* diaphragma infectum *phlogosin* contrahit, sed inde pessimæ indolis, periculosioris aliundè quòd exitiales sint *diaphragmatis* inflammationes. In hujus mali partem *stomachum* vocabis? gravissimi *symptomatis* duplicem habebis causam, utramque ex æquo gravem, utpotè cum alterutrius grave vitium, grave sit periculum.

APHORISMUS XVIII.

Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

A vigiliâ convulsio, aut delirium, malum.

VIGILIA (ita & delirium) spirituum inquies, quæ utpotè *ataxiæ* proxima, ad *spasmum* nervos inclinat; ferventis enim *lymphæ* effectus est, quæ nervorum siccans succum eorum stringit fibras, corrugat, convellit, eò periculosius, quòd illorum siccando rorem, eorumdem inanit poros, hinc *convulsio* ab inanitione, quæ pessima est. Unde quod ad *prognosin* facit maximè, ominosam habebis in acutis febribus *convulsionem*, quæ progrediente morbo, post multas insomnes noctes, contingit, distinguendam singulariter ab alterâ quæ morbo ineunte observatur, illa enim ad *inanitionem* refertur, hæc ad *plenitudinem*, sanguinis *stasin* aut *phlogosin* partium, cui mederi faciliùs quàm inanitioni est, in quantùm *phlogosin* discutere datur faciliùs, quàm inanitionem supplere. Posthàc intelliges quàm assidua sit oportet Medici cura, quanta illius diligentia in afferendo in ineuntibus morbis ægrotantium somno, quandoquidem in tam grave discrimen eos vigilia conjiciat.

APHO-

APHORISMUS XIX.

Ἐπὶ ὀστέου ψιλώσει ἐρυσίπελας, κακόν.

Ab ossis denudatione erysipelas, malum.

HUJUSMODI *erysipelas* malum est, sic pronuntiante *Galeno*, non infelici *Hippocratis* interprete. Reipsâ carnes *ichoris* bilioſi, ferventisque aspergi signum est; intemperatique sanguinis argumentum, unde serum acre affluens carnium fibras densat, & *spastice* stringit, quâ de causâ stagnans *lympha*, acensque *phlogosin* accersit, quæ *erysipelatis* genus est. Porrò ad *cicatricem* inclinant malè sic infectæ carnes, pessimèque ad os nudatum se habent, quocum coalescere illas ἀδύνατον.

APHORISMUS XX.

Ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν, ἢ ἐκπύησις, κακόν.

Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum.

SUUS cuique morbo est *judicationis* modus, à quo descisens Medicus, aut natura impotens, perperàm quippè tractata remediis, difficilem, periculosam vel infelicem curam obtinet. *Erysipelatis* causa cum sit tenuis humor, de illorum morborum numero invenitur, qui *resolutione* vel *diaphoresi* sanari amant, ab illius igitur abest ingenio *suppuratio*, indoli illius sic adversa, ut *sphacelum* accerserent quæ *suppurationis* causâ adhiberentur remedia, à talium enim ut & *pinguium & oleorum* usurpatione, livor, indolentia, *phlyctenæ* se produnt, putredinis prænuntiæ, tantæque malignitatis, quanti recessûs est *à resolutione suppuratio*.

APHORISMUS XXI.

Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμορραγίη, κακόν.

A forti pulsu in ulceribus, sanguinis eruptio, malum.

PUBLICUM est vulgatumque omnibus, qui in Chirurgicis rebus periti versantur, quantùm ulcerum sanationi obicis apportat, *varicis* alicujus vicinia, quæ ulceris cui adstat, altrix ità est, ut quandiù pergit *varicis* satellitium, ulceris persanandi spes ferè omnis abjicienda. Stagnantis enim sanguinis testimonium est, unde, quod coercito sanguini aut impeditæ circulationi consuetum est, expressum exudans serum, ulceratas infi-

cit carnes, indurat, arcetque cicatricem. Gravius longè fit malum, si ad arterias propagatâ sanguinis *stasi*, *venæ* (seu arteriæ) *super ulcera moventur* (a) *vehementer*, imminentis enim *hæmorrhagiæ* prodromum signum est, tantò periculosioris, quantò arterialem sanguinem comprimere difficiliùs est, potissimùm ubi in ulceratâ parte contingit, cui admota *styptica*, quæ ex *vitriolicis* nobilissima eruuntur, ulceris irritamenta sunt & venena.

APHORISMUS XXII.

Ἐπὶ ὀδύνῃ πολυχρονίῃ περὶ τὴν κοιλίην, ἐκπύησις, κακόν.

A dolore diuturno partium circà ventrem, suppuratio, malum.

JAMPRIDEM (b) admonuerat *Hippocrates* de diuturnis *doloribus circà lumbos & umbilicum*, qui *in hydropem siccum firmantur*, à doloribus enim longis cùm *spasmodicæ* stringantur *nervosæ* partes, *fluidorum* omnis generis *stasis* committi plurimas sequela est. Sub illis, qui *lumbos* pertinaciter obsident, lympha nervorum coercita *hydropem siccum* accersit, ab his qui *diù partes circà ventrem* occupant, abscessum præsagit *Hippocrates*. Rationem aperit partium harum conditio, viscera sunt sanguinalia, quæ sanguinis copia ingens affluit, in quibus proindè quas pariunt *stases*, dolores diuturni, ipsius sanguinis *stases* sunt, qui sic stagnatus torpensque acescit, unde capiens vitium putrescit & in pus vertitur. Acoris enim nomine intelliges exstimulantia spicula, quæ morando evoluta, vasorum tunicas pingunt, hæque in *oscillationes spasmodicas* agitatæ, fluida sinistrè terunt, quassantque vitiosè, hâcque de causâ coctionum loco, suppurationes faciunt, dissolutions, putredines.

APHORISMUS XXIII.

Ἐπὶ ἀκρήτῳ χωροχωρήσει δυσεντερίη, κακόν.

A meracâ dejectione dysenteria, malum.

DYSENTERIA eò deterioris est conditionis, quò acrior, ferusque magis qui illam parit succus, sic autem est quem temperat nihil, ascito nullius humoris consortio, sed qui totus in acre evolutus, veneni magis malitiam quàm vivifici succi naturam redolet. Ejusmodi est *meraca dejectio*, quæ habet crudi nihil, nihil frigidi, spissi nihil, sed quæ tota à naturâ salsedo & acrimonia est, quam protulit viscerum ignis, sanguinis alit fervor, se-

(a) *Vid. Cels. p. 64.* (b) *Aph. II. sect. V.*

secretionum virulentia fovet; ut enim talem *dejectionem* inchoat *solidorum* vehementissimus *elater*, oscillationum turbamenta comitantur, sequuntur *fluidorum* inflammatoriæ *stases*, ulcera tandem & *sphaceli*, teterrima *dysenteriarum symptomata*, illorum ultima meta malorum.

APHORISMUS XXIV.

Ἐπὶ ὀστέου διακοπῇ παραφροσύνη, ἢν κενεὸν λάβῃ.

Ab osse perscisso delirium, si in vacuum penetraverit.

HIc *ossis* nomine *cranium* accipies, per *diacopen*, altam cranii fracturam, unde venit hujus Aphorismi genuinus hic sensus. A cranio altè fracto & in fragmenta rupto, si fragmentum hujus in cavum cerebri effossum ad *meninges* penetret, delirium sit, quia puncta jugiter allisu assiduo pulsans *dura mater*, *phlegmonem* concipit, *phrenitidis* & delirii parentem.

APHORISMUS XXV.

Ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατῶδες.

A purgantis potione convulsio, lethale.

NUNQUID non inde purganti medicamento veniret deleteriæ virtutis suspicio? enimverò non de *drastico* hîc sermo est, sed de omni *cathartico* quà *catharticum* est, cujus operatio ad *convulsionem* tendit, huncque suâpte naturâ inducere potest. Nervorum fodicatio est, oscillationumque turbatio cathartici effectus, verbo *erethismus*, qui *spasmi* veluti semen aut germen est.

Nihilque est nostratium purgantium prætexere benignos mores, ut enim *Simia semper Simia est*, quod naturâ suâ exasperans est, nocivum ferè natum est. Atqui utut benignum habeatur *catharticum* de stimulantium censu aut *tribu* habebitur, proinde de eorum numero, quæ *convulsionibus* initia dant, occasiones aut causas. Porrò à purgatione *lethales sunt convulsiones*; *quia solidorum systalticam vim* sic exasperaverit purgatio, quæ *convulsiones* accersivit, ut impotenter alienatæ illorum oscillationes *fluida* deterant, eliquent, dissolvant, deturbentque eo impetu, eâque copiâ quæ virium exhauriat fundum, unde quæ succedunt convulsiones, pessimæ notæ sunt.



APHO-

APHORISMUS XXVI.

Ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῶν περὶ τὴν κοιλίην, ἀκρωτηρίων ψύξις, κακόν.

A dolore vehementi partium circà ventrem, extremarum frigus, malum.

SUPPURATIONEM, unum quod *à partium circà ventrem dolore venit malum*, modò (*a*) observabat *Hippocrates*, alterum hîc addit ab eâdem causâ manans, *extremarum* nempè *frigus*: illic enim suppuratio alienatæ coctricis potentiæ signum est, hîc frigus lapsæ ejusdem potentiæ argumentum; illîc pervertitur calor nativus, hîc vincitur; illîc *abscessus* subest; hîc *sphacelus*; ampliùs, illîc *stasin* in sanguinalibus vasis fieri intelliges, hîc in *lymphaticis*; ibi tandem in vitio esse rubram sanguinis partem conjicies, hîc albam.

APHORISMUS XXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινεσμὸς ἐπιγενόμενος, ἐκτρῶσαι ποιεῖ.

Mulieri in utero gerenti, tenesmus superveniens, abortire facit.

MULIERI *in utero habenti* convenit maximè, ut quam oscillationum directionem à conceptu sibi fecit uterus, servet assiduè, ut in illo quem acquisivit *tono*, conquiescat; atqui ad superas partes diriguntur in gravidis oscillationes, quas si deorsùm reflecti contingat, devolvi quoque uteri fibras, retendique continget simul, unde laxatis fœtûs retinaculis, abortio brevi sequetur, sed id mali minatur *tenesmus*, quo fodicatæ utero hærentes & suppositæ partes, ad inferiora cogendo detrudunt oscillationes, quæ ad uterum refluæ, hujus mutant *tonum*, solvunt illum, laxant & aperiunt.

APHORISMUS XXVIII.

Ὅ, τι ἂν ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον ἀποκοπῇ ἐν τῷ σώματι, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται.

Quodcunque os, aut cartilago, aut nervus in corpore dissectus fuerit, neque augetur, neque coalescit.

NEQUE *os, neque cartilago, neque nervus dissectus* augetur *aut coalescit.* Annè igitur partes illæ omnes dissectæ semel aut vulneratæ, insanabiles erunt?

(a) *Aph. XXII. sect. VII.*

erunt? consanescunt quidem, sed *spermaticarum*, non sanguinalium partium more, hæ etenim dissectæ non ità difficilè adunantur, illæ ossis exemplo (quod fractum semel ascito tantùm callo resarcitur) nonnisi interpositâ spuriis carnibus rudi cicatrice, adventitiisque & peregrinis materiebus interjectis redintegrantur. Hinc lucidum se profert nec dubium *creationis principii* (*a*) argumentum, principii, inquam, illius quo statuitur *creata fuisse in principio* suis in germinibus prima corporum stamina, futura veluti in modulos aut loculamenta, quibus inposterum exceptæ nutricatûs corporum materiaturæ, aptam accretioni formam, seriem & ordinationem acquirant, adeout deperditis ejusmodi primigeniis rerum loculamentis, cùm insimul pereant nutricatûs moduli, necessariò consequitur corpora illa accretionis suæ rationibus aut potentiis exui; verùm ille ipse casus est *ossis*, *cartilaginis*, *nervi*, ideſt, partium *spermaticarum*, quæ *dissectæ* sunt, cùm enim sublicia sint aut subtegmina corporis humani, hujus fuêre prima germina, in quibus à Creatore condita fuerant loculamenta, quæ succorum nutritiorum futura erant exceptoria, quibusque nidularentur *coctionum*, digestionumque primæ potentiæ. Posthàc concipere datur, quare dissectæ primordiales illæ & *spermaticæ* partes non crescant, aut non regenerentur, suis enim defectæ sunt crescendi virtutibus & potentiis, vulneratæ ergò non coalescunt, nisi cumulatâ sibi succorum indigestâ aggerie, unde callus aut fœda cicatrix.

APHORISMUS XXIX.

Ἢν ὑπὸ λευκῆς φλέγματος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγένηται ἰσχυρή, λύει τὸ νοῦσον.

Si à leucophlegmatiâ detento vehemens diarrhœa superveniat, morbum solvit.

IN *Leucophlegmatiâ*, ait *Hippocrates*, *irriguo* (b) *corpore ab humiditate facto*, *liquefiunt carnes*; ipsa namque carnium substantia, ceu vascula ex quibus carnes conflantur, seroſam *leucophlegmatiæ* colluviem intrà se continent: dùm aquarum cumulus qui *ascitem* facit, extrà vasa positus, cavitatem abdominis occupat. Hinc medenti intelligendum, quòd inter utrumque hoc *hydropis* genus discrimen interjacet, in *leucophlegmatiâ* (de anasarcâ idem judicabis) morbi causa intrà vasa continetur, in viâ ergò ad *excretionem* proclivi, quandoquidem ut sibi respondent & accinunt vasorum communitates, facilis est vasorum ad se invicem responsus. At sicubi obvia est & naturalis isthæc consonantia, maximè illa inter vasa quæ cum similis prosapiæ sint & originis, similis etiam sunt exitus. Ejusmodi sunt vasa quæ *leucophlegmatiæ* serum continent, *lymphatica* omnia sunt (ad arterias sive vel ad venas ea retuleris) desinentia proindè in *secretoria*, quæ adhuc *lymphatica*

(a) *Vide nov. Medicinæ conspect.* (b) *De flat. art. XVIII. v. 5.*

ta ſunt ; porrò hæc in *inteſtinis* numeroſiſſima occurrunt patula aliundè, fulcris aut ſimilibus *epitomiis* defecta, utpotè cùm in inteſtinorum cava dehiſcant, itaque concipere in proclivi eſt per tot apertos exitus effluendum eſſe omni ſeroſæ colluviei, quæ *leucophlegmatiam* facit, idque ægri bono, promptæ quippè faciles & nativæ illi patent viæ.

APHORISMUS XXX.

Ὁκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ ἀλχωρήματα ἐν τῇσι ἀλφρόλῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς φλέγμα καταῤῥέει.

Quibus ſpumoſæ egeſtiones in alvi profluviis, his de capite pituita defluit.

AD *diagnoſin* ſpectat hæc Medicorum principis, aſpernanda proindè nunquam obſervatio, quâ diſcent medentes, quæ *diarrhœarum cephalicarum* nota eſt, ut nempè compertum habeant, quod ſigni genus ſit, unde diſcernant à cerebro fluere alvi fluxûs materiem ; *ſpuma* autem illud eſt, quâ bullantes *alvi ægeſtiones* quaſſationem oſtendunt, cujus agitatione & potentiâ à partibus altis, ſitiſque procul cum vehementiâ ad imas partes detruſæ ſunt ; hîc enim *ſyſtalticæ* virtutis operam inſignem obſervare convenit, quâ *lymphæ* cumulo oppreſſa *pituitæ metropolis*, quæ nervorum quoque fons eſt & principium, omnem inſumpſit oſcillationum vim, ut ſegneſcentes ſuccos quaſſando fortiter, in ſpumoſam pituitam ſolveret, liquaretvè, hancque per alvum exturbaret ; quæ cùm vera ſint, ex *egeſtionum ſpumâ* intelliget Medicus, quantùm ſub hoc morbi ſtatu ferveant *fluida*, quàm acriter *ſolida* oſcillent.

APHORISMUS XXXI.

Ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσιν οὔροισι κεμινώδεες αἱ ὑποστάσιες γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν.

Quibus febricitantibus, in urinis ſubſidentiæ fiunt craſſiori farinæ ſimiles, longam infirmitatem ſignificant.

SUBSIDENTIÆ *in urinis craſſiori farinæ ſimiles*, reliquiæ ſunt ſuci nutritii pinſitæ malè, craſſiùs molitæ, tritè oſcitanter, quæ mole ſuâ *ſecretoriorum* diametris incongruæ in horum nullo ſecerni non potuerunt : enimverò ut univerſum corpus multigenum colum eſt, ità ſerum ſanguinis *menſtruum* eſt commune, quod multiplicibus & variæ molis fœtum, has ut ſe habent in circulando offert *ſecretoriorum* oſtiolis, quæ ſi inaperta omnia ſenſerit aut exiliora, ad apertiora transferri illas neceſſarium illi fit. Tunc autem cùm tritûs imperfecti ſint effectus, coctionis tardæ & cruditatum ſe

dant

dant argumenta ; tales ergò *subsidentias in febribus longam infirmitatem significare* verè, sapienter, & eruditè asserit *Hippocrates*.

APHORISMUS XXXII.

Ὁκόσοισι δ' χολώδεες αἱ ὑποστάσιες, ἄνωθεν δ' λεπταί, ὀξείλω ἀρρωστίλω σημαίνει.

Quibus autem bilioſæ subsidentiæ, ab initio verò tenues, acutum morbum significat.

ECONTRA hoc *Aphorismo* addit *Hippocrates*, *subsidentiæ bilioſæ* factæ progressu morbi, ideſt, *subrubræ* (a) & rutilantis signum, quæ *initio tenuis*, brevem aut *acutum morbum significat*, hæc enim excretio *bilioſa prodit*, (b) *eò quòd combuſta ſint ea quæ* sunt in ventre.

Post Galenum alii vertunt, loco (*quæ initio tenues*) *quæ ſupernâ ſui parte tenues ſunt*, unde legendum, urinæ quæ in inferioribus sui partibus, seu in fundo sui ostendunt *subsidentias bilioſas*, in superioribus autem seu in superficie suâ *tenues ſunt*, *acutum morbum* significant ; indicio enim sunt *bilioſæ ſubsidentiæ* fervere sanguinem, unde decidua sunt isthæc recrementa, eoque humore illum redundare, qui *acutos* morbos facit aut reddit.

APHORISMUS XXXIII.

Ὁκόσοισι δ' διεστηκότα τὰ οὖρα γίνεται, τυφοισι ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματί ἐστιν.

Quibus autem urinæ diſtantes fiunt, iis vehemens eſt in corpore turbatio.

URINÆ *diſtantes* (*à pepaſmo* nempè) ideſt, varietatibus suis *coctionis* tarditatem & distantiam significantes, utpotè quæ coctionis modò rudimenta, argumenta modò cruditatis monstrant, quæ titubantis naturæ tuentis se modò, modò dejectæ signa sunt, vincentisque nunc, nunc vincendæ testimonia ; ejusmodi urinæ in sanguine simul & in *secretionibus* turbas duplices testificantur, significando quippè supràmodum impuratum esse sanguinem, tùm misceri *secretiones* ; insuper delinquere non mediocriter in terendo *solidorum* potentias, quorum turbatæ, confusævè oscillationes, malè sibi constant, quæ ideò infidas & securas minùs *excretiones* dant & *coctiones*.

(a) *Vid. coac. art. V. v. 6.* (b) *De morb. lib. I. art. XXVII. v. 30.*

APHORISMUS XXXIV.

Οἷσι δ' ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίστανται φυσαλλίδες, νεφριτικὰ σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀρρωστίην ἔσεσθαι.

Quibus verò in urinis bullæ superstant, renum affectiones significant, & longam fore invaletudinem.

Bullant torrentium aquæ, quæ per locorum anguſtias & anfractus, alliſuſque ſaxorum abreptæ, cum ſtridore currunt; idem repræſentant rutilantium urinarum bullæ, quæ rapidè & impetu ad renes factæ præcipites, horum illuvie ſuâ ſordidant colliquias, ſuas iis affricando ſubactas malè, hincque ſalinas factas, ſucci nutritii rudes moleculas, quæ inſimul *ſecretoriorum* renum anguſtias arctando, & illa viſcera impediri ſignificant (quod *apoſtaſis* genus eſt) tum in ſanguine, huncque pellentibus potentiis ſtimulum adeſſe multum; unde dives, multus & in multa tempora perennandi morbi fomes.

APHORISMUS XXXV.

Οἷσι δ' λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τηκτικοῖσι νεφριτικὰ, καὶ ὀξέα σημαίνει.

Quibus autem pingue eſt & confertum quod ſupernatat, his affectiones nephriticas & acutas ſignificat.

Pingue *in urinis*, ſi corpus intereà integrum ſe tueatur, *plethorici* habitûs indeque redundantis nutritii ſucci, utut cocti laudabiliter, ſignum eſt: ſi verò emacreſcat corpus, *colliquationis* fit indicium. Illîc ſuccis ſaturæ partes, illos utut *aſſimilari* aptos eructant; hîc uſtulati humores, nativoque quo *aſſimilationi* aptarentur glutine deſtituti, *ſolidorum* fibras mordendo repulſam patiuntur, & in pingue peregrinum eliqueſcunt. Tertium, addit *Hippocrates*, in renum affectionibus obſervandum, ſub his enim pinguis facta urina, gravem illorum & acutam arguit ægrotationem, *phlegmonem* nempè, quâ illos occupari prodit, quo in caſu vehemens & forte in renibus objici repagulum intelligitur, eam ſcilicèt tamque plenam ingurgitationem, ut *ſulphurum* quibus fervent & ardent renes, ad ſanguinem ingentem egurgitent copiam, quam repræſentans urinarum pinguedo, graviſſimæ *phlogoſis* periculum profert præſens & urgens.

APHO-

APHORISMUS XXXVI.

Ὁκόσοισι δ' νεφριτικοῖσιν ἔστι τὰ προφρημένα ξυμβαίνει σημεῖα, πόνοι τε περὶ τὰς μύας τὰς ῥαχιαίας γίνονται, ἢν μὲν περὶ τὰς ἔξω τόπους γίνωνται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω· ἢν δ' μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τὰς ἔσω τόπους γίνωνται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον ἔσω.

Quibus verò nephriticis existentibus, prædicta signa accidunt, & dolores circà musculos spinales fiunt, si quidem ad loca exteriora fiunt, abscessum expecta futurum extrorsùm. Si verò dolores fiant magis ad interna loca, etiam abscessum magis introrsùm fore expecta.

HACTENÙS quid sibi velint sub morbis *urinarum bullæ & pinguedines* singulatim expositis *Hippocrates*, hoc *Aphorismo* traditurus, quid de utroque sentiendum Medico sit, ubi simul aut junctim concurrunt in *nephriticis affectionibus*. Tunc ergò observari jubet, num aliquis alicubi suboriatur dolor à *nephritico* distinctus, qui si ad *spinales musculos* se convertat, iterùm adnotabitur ad exteriorane loca, vel ad interiora se proferat ille dolor, enimverò ex doloris loco futuri abscessûs sedem recognoscet Medicus. Sed unde doceberis, ad abscessum adeò inclinare renum morbos, ut ab illo metuendum habeas non solùm qui renes obsidet, sed & venturi alterius veniet suspicio, si condolescant vicinæ partes.

Hanc autem malorum pullitiem infert renum textura, tùm capacitas, sedes & natura loci; densa textura est, ægrè dilatabilis, obsistens proin humorum affluxui multo, quem adhuc respuit angustum loci spatium, hunc intereà invitat locorum declivitas; illuvie ergò ad renes descendente, ad circumpositas partes restagnare irrumpentes succos proclive est.

APHORISMUS XXXVII.

Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἀνευ πυρετοῦ, σωτήριον· ἐὰν δ' ξὺν πυρετῷ, κακόν. Θεραπευτέον δὲ τοῖσι ψυκτικοῖσι καὶ τοῖσι στυπτικοῖσι.

Qui sanguinem vomunt, si quidem sine febre, salutare: si verò cum febre, malum. Curandum autem refrigerantibus & adstringentibus.

SANGUINEM hàc vel illàc contrà naturæ leges erumpere formidine plenum *microcosmi phænomenum* est, disparis tamen, observante *Hippocrate*, ut naturæ sic & periculi: ubi enim, quod narium *hæmorrhagiis* solemne est, orgasmo perciti juvenum sanguinis, ex arteriis sanguinalibus in *lymphaticas* deliratio fit aut saltus, vividioris adolescentium *solidorum elateris* vi-

tium, breve & temporarium sæpè est, exorbitantis naturæ virtutis testimonium; aliquandò naturæ levantis aut expedientis se instrumentum; hâc enim evacuatione sui ipsius medicatrix est, ascitâ febris nequidem umbrâ; quod naturæ dominantis aut magistræ non anceps habebitur argumentum, secùs est si extimulata sic *solidorum systaltica* virtus *fluida* imperat, quæ *elatere* evecto quòque pleniora nisibus suis renitentia sentiat, hinc enim lucta, quâ repercussa *solida* excandescunt, iracundèque *fluida* reverberando tenuant, *exaltant*, accendunt, inde febris, quæ duplicis *solidorum* & *fluidorum* elateris nisus & renixus est. Intereà sub hoc certamine à *tenore* suo deflectendo partium oscillationes nativæ, sanguinis & succorum illius mutant *crasin*, *secretiones* labefactant, omniaque accersunt (quæ febris sunt) mala.

His ut occurratur, quod ex usu didicit, utendum exhibet supremus artis prudens; *curandum*, inquit, *refrigerantibus* & *astringentibus*; reverà mali totius causa est *fluidorum resistentia*, quâ resiliendo *solidorum elateri* suum æquiparant *elaterem*, *solidorum* ergo *tonum* roborari convenit & elevari, quo *fluidorum* resistentiam superando, illorum turbas subjiciant, compescantque tumultus, quod febrem sanare est, quæ malorum caput est. Sed hinc quanta *Mortono* nobili apud Anglos & felici Medico adhibenda fides! cùm in curandis *hæmorrhagiis*, *febrifugorum* princeps, *corticem* nempè *Peruvianum* suadet confidenter, & reipsâ fortunatissimum hunc experietur, præsertim in sanguinis exspuitionibus, qui illius peritissimi medentis ductus, doctusque prudentiâ, singularem hanc tentaverit *Peruviani corticis* virtutem. Hic enim ad *Hippocratis* mentem *astringens* est, *tonum* proindè *solidorum* roborans, firmansque aut elevans adversùs *fluidorum*, quos deprimit, renixus; quod sanguinem est *refrigerare*, quia illum compescere est.

APHORISMUS XXXVIII.

Κατάῤῥοι ἐς τὸν ἄνω κοιλίην ἐκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν.

Distillationes in ventrem supernum, in viginti diebus suppurantur.

HINC arguitur ordinarius & consuetus nimis tot hominum neglectus in curandis *tussibus* suis & stillantibus in pulmones *catarrhis*; hîc enim *ventris superni* nomine accipiendum pectus, quod reipsâ capacitas insignis est, duplici ratione dicta *Hippocrati* superior, quandoquidem suprà *abdomen*, quod inferior venter est, tùm suprà *diaphragma* situm, quod corporis centrum occupans & medium, partes ilius in inferiores dividit & superiores. Meminerint ergò aut discant quàm graviter suam in sanitatem neglectu illo delinquant, quandoquidem tam brevi temporis spatio in suppuratum abeant pulmones, scilicèt intrà viginti dies, sub quibus si *distillationibus* aut *catarrhis* imbibi eos permissum fuerit, pure posthàc emadere illos contingit. Hùc autem quadrat observatio non infrequens, quâ postquàm pertussi per aliquot septimanas vexati fuerunt, appetitu aliundè & vitæ functionibus integris, horrore aut rigore subitaneo corripi eos, qui pulmonis suppu-

purati testimonium est, confirmante infausto febris succedentis exitu, paucis ab hinc diebus extincto ægrotante.

APHORISMUS XXXIX.

Ἢν ἐρέῃ αἷμα καὶ θρόμβους, καὶ στραγγείλῃ ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ἦδοῖον καὶ τὸ ὑπογάστριον, καὶ τὰ κτένα, τὰ περὶ τὴν κύστιν νοσέειν σημαίνει.

Si quis *sanguinem & grumos mingat, & stranguriam habeat, & dolor incidat ad perinæum, & imum ventrem, & pectinem*, partes *circà vesicam laborare significat.*

LABORANT medentes in definiendis sanguinis per urinas excessûs rationibus, sede & causis, sed singula hæc ex traditis hîc *symptomatum* conditionibus & circumstantiis discernere dabitur, horum enim ductu intelliges, quodnam discrimen sit sanguinem illum inter quem fluidum reddunt *podagricorum & plethoricorum* urinæ, & alterum quem vesica fundit densatum in grumos; ille enim reseratos, violatosque renum tubulos *secretorios* ostendens, integram & liberam adhuc esse *vesicæ*, adjacentiumque partium *systalticam* vim asserit; hic autem *vesicæ tonum* prodit offensum, adeout dum ad illius curam sanguinis circulationis excessum aut dejectus refrænare sufficiet, aut redigere, ad curam hujus & universo corpori simul & *vesicæ*, hujusque appendicum vitiis, *phlogosi*, *atoniis* prospiciendum quoque sit.

APHORISMUS XL.

Ἢν ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται, ἢ ἀποπληκτικόν τι ἐν σώματι γένηται, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται.

Si lingua ex improviso impotens fiat, aut aliqua corporis pars sideratæ, melancholicum hoc ipsum fit.

PORTENTOSA *melancholiæ* opera! stupendi *spasmodicarum* affectionum affectus dices? an lusus? in eo singulares, quòd inquies, anxietas & labor quibus suos angit *melancholia*; *tremores*, *ataxiæ*, *spasmi* quibus agit & vexat suos *spasmodica diathesis*, in torporem, segnitiem, *atoniam* desinere videantur. Hæc est practica admonentis *Hippocratis* observatio, ne symptomatis externâ specie delusi medentes, humorum copiæ tribuant, quod fibrarum culpæ aut spirituum ceu nervorum vitiis donandum est: ut enim sanguinis rubræ parti, ità & albæ sua sunt delicta; insuper ut sanguini intrà sanguinalia vasa, ità *lymphæ intrà nervos* circulanti propriæ morationes sunt,

sunt, *stases*, stagnationes, unde *aphoniæ*, & *paralysis spasmodicum* genus; *spasmodico hystericarum* strangulatui non absimile, quo *œsophagi peristolen*, in nonnullis tam arctè & obstinatè compressam invenire datum est, ut omnimoda, etiam aquæ, vel cujusvis alius *fluidi*, intercluſa fuerit per integros dies deglutitio. Porrò id deglutitionis cohibitæ genus, à *spasmodicâ* constrictione committi adeò verum est, ut illam quasi incantamenti instar illicò solutam vidisse plus semel contigerit, naribus oblato calidè fumantis *Cafè* sorbilli odore: porrò præsentioris *cephalicæ* virtutis par, vel simile daturnè argumentum?

APHORISMUS XLI.

Ἢν ὑφηκαθαιρομένων τῶν πρεσβυτέρων λύγξ ἐπιγένηται, οὐκ ἀγαθόν.

Si senioribus nimiùm purgatis, singultus supervenìat, non bonum.

SINGULTUS morborum pernicies, prodromus mortis, *senioribus* maximè exitialis, in quibus ætatis necessitate, ut nervi rigent, aut arent partium stamina, minùs succi est aut humidi, quo ad suam se recipiant mollitiem aut flexibilitatem, unde ad consanescendum à singultu habilitas minor; potissimùm *in senioribus nimiùm purgatis*, quorum *lymphas* siccaverit *hypercatharsis*. Tantùm hostilitatis adversùs nervos habet purgantis medicamenti virtus aut virus!

APHORISMUS XLII.

Ἢν πυρετὸς μὴ ἀπὸ χολῆς ἔχῃ, ὕδατος πολλοῦ, καὶ θερμοῦ καταχεομένου κατὰ τῆς κεφαλῆς, λύσις τοῦ πυρετοῦ γίνεται.

Si febris, quæ non est à bile, detineat, aquâ multâ, & calidâ in caput affusâ, febris solutio fit.

BILIS principalis veteribus erat humor, à quo febris causam deducebant, à bile ergò, quæ facta non fuerit febris, idem est ab humoribus febrem illam non ortam esse; hujusmodi est *ephemera*, cujus hîc tradit *Hippocrates* curationis singulare genus, capiti nempè aquam multam calidè affusam; hinc autem succedere *febris solutionem*, præterquamquòd venerandum *Hippocratis* assertum est, intelligitur ex cerebri conditione, quò cùm confluat circulando maxima sanguinis ferventis, illòque rapti copia, majorem illàc spondet *transpirandæ* materiæ copiam, ad curationem *ephemeræ* febris in eo congruam, magis, quòd ab impeditâ *transpiratione* habeat utplurimùm originem; impeditâ autem à nimio fervidi sanguinis ad habitum corporis afflu-

xu,

xu, cui exitus mille aperiens aqua calens copiosè affusa, discutiendæ quæ cuti hærebat succorum *stasi*, servit opportunè.

APHORISMUS XLIII.

Γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται.

Mulier ambidextra non fit.

QUID, inquient, ad medicinam *mulieres* non esse, vel esse *ambidextras*? hinc subodorari Medicum voluit *Hippocrates*, qualis modi sit aut indolis in mulieribus *nervosum genus*, quòd conceptam ab ortu oscillandi normam dedoceri nequit. Ea est quæ utrumque latus, uno & æquabili tenore firmare non possit, adeout utrobique, dextrorsùm & sinistrorsùm, eamdem vim alat, eamdem agilitatem & dexteritatem fovendo. Secùs in viris, in quibus par est *nervorum lympha* roborando æqualiter utrique lateri, unde hæc & illa manus ex æquo dextra sit, ad opera perindè se habens, quæ eâdem agilitate, commoditate eâdem complet omnia. Meminerit ergò Medicus hujusmodi *cacoetoniæ*, quæ mulieribus ingenita est & indocilis flecti, in tractandisque illarum morbis resciat immorigerum esse *nervosum* illarum *genus*, imò impotens, quò cum mitiùs agendum quàm cum viris, quorum ut firmior nervorum *tonus* & facilior flecti, fortiorum medicaminum operibus commodabit se lubentiùs & obsecundabit magis.

APHORISMUS XLIV.

Ὁκόσοι ἔμπυοι καίονται, ἢ τέμνονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, σῴζονται. ἢν δὲ ὕφαιμον καὶ βορβορώδες, καὶ δυσῳδες, ἀπόλλυνται.

Qui suppurati uruntur aut secantur, si quidem purum effluat pus & album, evadunt. Si verò subcruentum & cœnosum, ac graveolens, pereunt.

SUPPURATIONIS securitatem ostendit *purum pus & album*; indicat enim ad sua vasa circulando remeasse maximâ parte sanguinis partem rubram, albæque portionem eam esse, quæ ab *apostasi* factâ reses & stagnata remanserat in *lymphaticis arteriis*, aut arteriacis tubulis, quæ tamen revectæ rubræ superstitibus particulis adulterata, in sincerum pus versa est. Contrarium ostendit pus *subcruentum*, in arteriis enim *lymphaticis* superesse & stagnari adhuc rubram sanguinis majorem partem notaculum est, ideòque nondùm redintegrari in sanguinalibus partis illius circuitum; hæc autem

tem cum albâ in *lymphaticis* omninò confundi pergens, initâ hâc inconditâ mixtione vitiatur non solùm, sed & loca quę pręter naturam & ordinem occupat fracedine tetrâ imbuendo corrumpit; sic labefactari vides propriam partium substantiam, *fluidaque* non tantùm sed & *solida* putruisse, unde coloris & odoris vitiatio, sed aliundène deterius augurium? hinc *empyematum* pectoris infelicitas frequens, ubi pus suppuratæ ipsius pulmonis substantiæ signum est.

APHORISMUS XLV.

Ὁκόσοι τὸ ἧπαρ διάπυον καίονται (ἢ τέμνονται,) ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίγνονται· ἐν χιτῶνι γὰρ τὸ πύον τουτέοισιν ἐστιν· ἢν δὲ οἷον ἀμόργῃ ῥυῇ, ἀπόλλυνται.

Qui ad hepar suppuratum uruntur (aut secantur) si quidem purum effluat pus & album, superstites evadunt: ipsis enim pus est in tunicâ. Si verò effluat velut amurca, pereunt.

SUPPURATIONIS infaustæ exemplum ab hepate mutuatur, cujus eas tolerandas observat suppurationes, ubi pus album, sincerum & æquale est, sartam tectam enim fuisse hepatis substantiam indicium est, quâ naturæ industriâ, prodit *Hippocrates*, adnotari jubens, quod ipse observavit naturæ scrutator sedulus, tunc temporis in tunicâ ceu cistâ pus esse conclusum, idest, folliculum (ut *vomicis* moris est) sibi finxisse naturam qui decumbenti stagnatoque succo nidulum formet. Intellige aliquem *hepatis* acinulum (*glandulam* alias dictum) intrà cujus succingentem membranulam coercitus humor, à totius hepatis substantiâ aut parenchymate exul, putruit solitarius: pessundatam verò profert hepatis ipsammet substantiam, quandò *velut amurca pus effluit*, quod ut perditi visceris signum, perdendi quòque ægrotantis non anceps est augurium.

APHORISMUS XLVI.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν, ἄκρητον ποτίσας, καὶ λούσας πολλῷ θερμῷ, φλεβοτόμει.

In doloribus oculorum, postquam merum bibendum dederis, & multâ calidâ laveris, venam secato.

VETERIS medicinæ consilium erat *oculorum* inflammatoriis *doloribus meri potu* & balneo medendi; meliùs, ab his remediis auspicandi horum morborum curam, quam quia successu felici cadere non rarò animadverteret *Hippocrates*, ad venæsectionem transeundum illicò admonet, utpotè

tè præsentius remedium quodque intuti habet minùs. Interim, ad hujus *Aphorismi* mentem, *multâ aquâ calidâ* oculum *lavare* frequenter convenit, omisso (qui vulgaris nimiùm hîc usûs est) *vini spiritu*, donec inflammatio remiserit; & reverà ineunte, vigenteque inflammatione, tensis nimiùm *spasmoque* strictis membranarum oscillis & vasis, facit *vini spiritûs* contactus intendi fibrarum *elaterem*, quem è contra molliendo laxandoque aquæ calentis particulæ molles, oscilla solvunt, fundunt succos, vasa reserant.

APHORISMUS XLVII.

Ὑδρωπικὸν ἢν βῆξ ἔχῃ, ἀφέλπιστός ἐστι.

Hydropicum si tussis habeat, desperatus est.

MORBI, qui gravis est, tragediæ ultimus actus est, in pulmonem *apostasis*, ceu humoris morbidi in pulmones *decubitus*, utut enim urgeant cæterorum viscerum *symptomata*, ab omni spe animos non dejiciunt, quandiù ab humore morbido integrum pectus supereſt: unde *à tussi hydropicum haberi desperatio est*, ad pulmones enim humorum illuviem fieri significatur; ideòque universale diluvium intrà *microcosmum* fieri, ideſt, eliquationem universalem, quæ non solùm externa corporis mergat pomœria, non hæc qualiacunque viscera, sed quæ abditiora attingendo vitæ penetralia, ipsissimas suffocatura est vitæ causas.

APHORISMUS XLVIII.

Στραγγέλλῳ, ἢ δυσουρίῃ οὔρησις, καὶ φλεβοτομίη λύει. πέμπτην ὅ τὰς εἴσω (φλέβας.)

Urinæ stillicidium, & urinæ difficultatem vini potus, & venæsectio solvit. Secandæ verò internæ (venæ.)

AD Aphorismum trigesimum sextum sectionis sextæ appendix hic Aphorismus est, in illo tradebat ad *strangurias* remedium, quæ *acutæ* sunt, aut quas comitatur sanguinis incendium aut febris, *venæsectionem* nempè quam singulariter commendabat; in hoc autem *Aphorismo* de remedio admonet *ad urinæ stillicidium*, aut *urinæ difficultatem*, quæ *stranguriæ chronicæ* sunt, senibus v. g. familiares, scilicèt *vini potum*, albi potissimùm, quod tempore & loco propinatum, facto tamen temperamentorum delectu, & castigatum iis quæ vini morsum leniant & extinguant ignes, pellit urinas, morbumque solvit; nisi subsit aliundè metus à sanguine arenulis saburrato, qui acore vini eliqueſcens infeliciter, renes & vesicam suis cumularet arenulis, quæ calculo proximè futuro; pro basi forent aut seminio.

APHORISMUS XLIX.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ, οἴδημα καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγιγνόμενον, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

Ab anginâ detento tumor & rubor in pectore superveniens, bonum: foràs enim vertitur morbus.

USQUAM bono esse *epigenesin* mali, vix observabile est; tolerabilem tamen reddit illam, à sede morbi quò fertur, loci distantia, cujusmodi hîc est pectoris externæ partes à *laryngè* distantes. Altera adhuc ratio est, propter quam condonabitur, quandò nempè, idem est, qui *epigenesin* facit humor, cum eo qui peperit morbum, quod hîc animadvertes, qui enim *anginam* commisit *phlegmonodes* succus, ipse est qui rubrum aut *phlegmonodem tumorem* in pectore profert. Laudaverat *Hippocrates* Aphorismo trigesimo septimo sect. VI. *epigenesin* ad locum proximum, *collum* nempè, factam, quæ alterius modi est, ceu ad remotam partem, pectus nimirùm, hîc approbat: neque perperàm, ex illo enim morbidi humoris longo à parte affectâ recessu, non mediocrem *systaltica* virtutis partium affectarum potentiam conjicere licet, quæ morbi partiendo causam, affectam partem expediet, proculque amandando fugabit, vincet, dissipabitque.

APHORISMUS L.

Οἷσιν ἂν σφακελιωθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· ἢν δ' ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Quibus cerebrum sphacelo fuerit affectum, in tribus diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt.

SPHACELI vox apud veteres, *Hippocratem* imprimis, generis nomen est, *phlegmonem* insignem (*a*) aut atrocem dolorem significans, qui putredinem, *gangrænam* aut *sphacelum* proximè minatur; quàm enim facilè in *gangrænam* propendeat inflammatio ingens, in confesso habetur, atrocemq; & obstinatum dolorem *grangrænæ* imminentis prodromum esse compertum est.

Nihil enim aliud quàm succorum vivificorum *stasis* & mora, *gangræna* est, hanc autem *stasin* facit maximè coercitus sanguinis circuitus; verùm sub *phlegmone* sanguinis rubra pars in *arteriis*, sub atroci dolore pars alba in nervis intercipitur, utrumque ergò *sphaceli* signum aut causa erit, potissimùm si partem mollem, teneram, consitamque nervis, cujusmodi cerebrum est, pertinaciter occupet.

APHO-

(a) *Vid. Hippocr. de morb. lib. II. art. V.*

APHORISMUS LI.

Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ. ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω. ψοφεῖ δὲ, ὅτι διάστενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστίν.

Sternutatio fit ex capite, percalefacto cerebro, aut perhumectato quod est *in capite, vacuo. Aer enim qui intùs est suprà modum (idest vi) foràs effunditur. Strepit autem, quia per angustum ipsi est transitus.*

EQUIDEM ad severioris *physicæ* mentem & voces non adeò quadrat hæc *ætiologia*, interim ad rei veritatem & naturæ ingenium; *explosionis* enim genus est sternutatio, quàm non ineptè exprimit hic Aphorismus, licèt aptis minùs verbis; de cætero, ut ad nervos extimulatos spectat sternutamentum, dilucidè satis exposuit nervorum *erethismi* causam, scilicet serosum quid, acre, aerium, calidum, *flatulentum*, impetuosum; conditiones & circumstantias, quas omnes in medendo intueri Medico commodum erit & ægro proficuum.

APHORISMUS LII.

Ὁκόσοισιν ἧπαρ περιοδυνᾶται, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὴν ὀδύνην.

Quibus hepar circumcircà dolet, his febris superveniens dolorem solvit.

CIRCUMCIRCA; deerrantis rei & evagantis vocabulum; *circumcircà dolere hepar, flatulento* humore aut inquiete spiritu convelli illius tunicas, aut evagante sero molestari indicium est, imprimis si primùm febris abest, tunc enim *spasmi* signum est dolor, quem ideò solvit superveniens febris, quæ cum *solidorum* in *fluida* everberationis sit augmentum, resolutionis instrumentum eorum fit, quæ *stasi* suâ irrequieta cum *spasmo* dolorem faciunt. Discrimen ergò intelliget multùm Medicus, eum inter *hæpatis* dolorem, quem febris comitatur, & alterùm cui febris postremò supervenit, illum parit ipsa febris à *phlegmone* nata, hunc febris sanat; illîc febris morbus est, hîc morbi remedium.

APHORISMUS LIII.

Ὁκόσοισι ξυμφέρει αἷμα ἀφαιρέεσθαι ἀπὸ τῶν φλεβῶν, τούτοις χρὴ τὴν φλεβοτομίην.

Quibus sanguinem de venis auferre conducit, his vere venam secare oportet.

OBSERVABILE! quantùm delinquitur ab iis qui *unâ & eâdem fidelià* morbos præcaveri putant, alii in eodem purgationum luto hærentes semper, alii jusculà *refrigerantia*, *amara* & *depurantia* crepantes, cæteri sanguinem fundentes indiscriminatim; quibus omnibus medicandi rationibus *veri* litare solent, quasi his veluti *libationibus energeticam* maximè animi tempestatem vellent propitiare. Venæsectionis exemplo docens *Hippocrates*, pro morborum ingenio instituenda esse quæ præcavendis iis adhibentur remedia, hanc commendat jubendam iis, *quibus sanguinem de venis auferre conducit*, sicque positâ remedii præcavendo morbo convenientiâ, admonet *ver* esse illi remedio accommodum. Rogas cujusmodi ii sunt *quibus sanguinem de venis vere auferre conducit?* docet *animalis œconomiæ* scientia, confirmavit observatio aut usus. Lex generalis esto, sanguinem auferre conducere iis, in quibus *eclipsin* aliquam patitur sanguis. Quæ quondam solemnis erat, deficit narium *hæmorrhagia?* abest quæ per *hæmorrhoides* solita erat evacuatio? cessant prodire *menses*, quos retinet ætatis progressus? hincque malè sanam & dubiæ valetudinis factam fœminam vides? his omnibus *sanguinem de venis auferre conducit*, vel necessum est ineunte *vere*, hâc enim providentiâ, mirùm! quàm multis invaletudinibus anteire dabitur.

APHORISMUS LIV.

Ὁκόσοισι μεταξὺ τοῦ φρενὸς καὶ τῆς γαστρὸς φλέγμα ἀποκλείεται, καὶ ὀδύνην παρέχει, οὐκ ἔχον διέξοδον ἐς ἑτέρην τῶν κοιλιέων, τούτοισιν ἢν τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τραπέηται τὸ φλέγματος, λύσις γίνεται τοῦ νόσου.

Quibus inter septum transversum, & ventrem pituita excluditur, & dolorem exhibet, in neutrum ventrem habens transitum, his per venas in vesicam pituitâ versâ, morbi solutio fit.

HANC observationem mendacii fermè arguit *anatomia* vetus, penes quam non erant arcanæ, per quas expedire se possent viscerum viæ; *pituitam* ergò, ut loquebantur, imis præcordiorum recessibus *intercluſam*, *per venas in vesicam pituitâ versâ* excerni per urinas posse mirabantur magis, capiebant minùs, unde non paucorum animos invasit suspicio, spurios esse *Aphoris-*

rismos ejusmodi, qui illorum *physiologiæ* captum superantes proferebant morborum solutiones. Illam autem omnem resolvit veritatis nubem anatome recens, quæ reconditiora prodens adita vasorum, arcanos illorum retegens exitus, verbo penitiora pandens eorum commercia, totum isthæc recludit naturæ prodigium. Revelat quid sit isthæc *pituita*, quæ præcordiorum imo congesta, *in neutrum ventrem transitum* inveniendo, *per venas in vesicam pituitâ versâ* eliminatur. *Pituitæ* ergò *quæ intercluditur* nomine, concipit *partem albam* sanguinis, aut *lymphaticam* quę ab impeditâ membranarum internâ *transpiratione* redeundo ad arterias sanguinales regreditur, ubi *stasi* factâ aut restagnatione, ejusmodi quam per *congestionem* vocant apostasin facit, *apostasin* tamen tubulorum *potentiis* tolerandam, quorum nempè utut pandat *diametros*, non frangit parietes; hâcq; de causâ, *in neutrum* rumpendo se, *transit ventrem*; sed quà evadet intelliges ex recolligente se tunicarum *elatere*, ad quem tandem tunicæ vasorum se recipiunt, sicque vegetiùs oscillando, congestam in arteriis *pituitam* ceù *lympham* terunt meliùs, tenuant, comminuunt, & ad *excretionem* parant, maximè cum excretioni faciat iter *arteriarum* sanguinalium directio, quæ quia in *lymphaticas* venas uno tenore & ductu desinunt, in has descendit venas eliquata in *serum* aut *versa* quæ in arteriis congesta erat *pituita*; porrò in venas *sanguinales* decapulantur *lymphaticæ* venæ, sanguinis ergò circuitûs fluento reddita quæ in arteriis congesta serescens *pituita* erat, per renes, ut moris est, *in vesicam* præcipitatur. Neque te morabitur, quod *venas lymphaticas* modò (*a*) faciebamus nervorum appendices, ut enim horum excipuli sunt *venæ lymphaticæ*, *arteriarum* quòque sanguinalium exceptoriæ sunt, utpotè communes & publicæ factæ per universum corpus decidui undequàque seri colliquiæ.

APHORISMUS LV.

Οἷσοισιν ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν ἐς τὸ ἐπίπλεον ῥαγῇ, τούτοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπιπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν.

Quibus hepar aquâ repletum ad omentum eruperit, his venter aquâ impletur, & moriuntur.

QUIBUS *hepar aquâ repletum*. Hîc sui interpretem ipsum habes *Hippocratem*, qui multis in locis (*b*) hoc de hydrope pronuntiat periculum, quandò ab hepatis vitio incipit hic morbus. Enimverò non infrequenter ab ustulatâ, *lixiviali & alcalisatâ* bile, in hepate fixâ initium capit *hydrops*, hinc namque siccato & durescente illo viscere, sanguini multo ab omnibus fere abdominis partibus per *portæ venam* regredienti aditus præcluditur, indeq; restagnatione ortâ in vasis serum exundat eâ elluvie ut cumuletur non tantùm *hypogastrii* fossa, sed, ut habet *Hippocrates*, aqua *super* ex-

---

(a) *Vide Aph.* (b) *Prænot. VIII. coac. III. &c.*

excrescat (*a*) ad partes superiores, quod ad *omentum erumpere est*. Verùm à tali augmine morbi, qui in primario abdominis viscere sedem habet & radicem, quid aliud quàm exitium expectabis? in morbis enim qui graves sunt, desperatione plena omnia sunt, ubi & *fluida* simul & *solida* principalia (ut in hoc *hydrope*) pessundata videntur.

APHORISMUS LVI.

Ἀλύκην, χάσμην, φρίκην, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος λύει (τὴν νοῦσον.)

Anxietatem, oscitationem, horrorem, vinum par pari aquâ *potum solvit* (*morbum.*)

ANXIETAS, *oscitatio*, *horror spasmodes*, *oscillationis* turbarum in nervis & *ataxiarum* in spiritibus effecta sunt & indicia, quibus ad ordinem revocandis necessaria admonet *Hippocrates cardiaca* temperata, aquâ v.g. quam hîc cum vino pari quantitate mixtam commendat. Tantùm sapientiæ adhibendum voluit in *cardiacorum* usu, eorum etiam quæ domestica sunt & familiaria! reverà vehementia erant *Græca vina*, quæ proin sic castiganda erant; at inertioresnè sunt, hodiernorum hominum palato familiares nimiùm & ad luxuriam compositi *vini spiritus* aut ignescentes liquores, quos affatim & meracos diù noctùque glutiunt? posthàc miraberis nostratium perire mores, crescere morbos, decrescere vitas?

APHORISMUS LVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα γίνεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύεται ὁ πόνος.

Quibus in urinaria fistula tuberculum fit, his suppurato eo *& perrupto, solvitur dolor.*

HIc animadvertis propriam *Hippocrati* in morbis observandi rationem, scilicèt illius consuetudinem in explorandis recognoscendisvè genuinis morborum exitibus, ut ad ingenium naturæ sua medendi consilia modularetur. Sic *urinariæ fistulæ tuberculum suppurando* sanescere hîc admonemur, ut cæterarum curationum declinemus pericula. Adnotabis tamen incompletam esse adhuc hanc à suppuratione *tuberculi* curam; hâc enim *dolor*, non morbus, solvitur, illorum ergò remediorum fit necessitas, quæ *tuberculi* exhauriant superstitem fundum; hujusmodi sunt, quæ sanguinis molem ab aco-

---

(b) *De affect.XXVI.v.12.*

acoribus eluunt, tùm quæ duratas aut *fungosas* ab ulcere, spuriasque carnes deterant, mutent, resarciant, quo dato, *dolor* non tantùm, quem tollit suppuratio, sed ipse morbus *solvitur*, completaque sequitur sanitas.

APHORISMUS LVIII.

Ὁκόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπὸ τινὸς προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι, παραχρῆμα.

Quibus cerebrum concussum fuerit ab aliquâ causâ, necesse est eos *statim mutos fieri.*

NON *commotum* tantùm cerebrum (quod ad sanguinis rubræ partis in arteriis sanguinalibus *stasin* pertinet) sed *concussum* illud (quod ad *stasin lymphæ* nervorum spectat) *ab aliqua* quatiente *causa*, tam vehementi, ut ipsam quasset cerebri medullam, succussuque nimio, cerebri disturbet tubulos & nervorum originem premendo opprimat; sic, inquam, *concussum* cerebrum *aphoniam* illicò parit, quæ tardiùs se prodit, quandò *membranosâ* potissimùm sui parte commotum cerebrum fuit; unde elicitur *diagnosis* hæc regula, in tubulis cerebri medullaribus, & in ipsa nervorum *lympha* hærere *stasin*, quandò *statim à concusso cerebro* mutescit ægrotans; hanc verò in *meningibus* consistere, quandò non *statim*, sed interjectis aliquot diebus aut horis, præmissisque *delirio*, *sopore*, *febre*, similibusque *phlegmones* signis, mutescere ægrotum observatur.

(Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐκομένῳ ὁ τράχηλος ἐπιστραφῇ, καὶ καταπίνειν μὴ δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῷ τραχήλῳ, θανασιμον.)

(*Si à febre detento collum invertatur, & deglutire non possit, tumore non existente in collo, lethale.*)

IN nullo numero optimæ notæ authoribus habetur hic *Aphorismus*, qui nullius hîc numeri est, unde peregrinari videtur, extrà locum suum incerto fortunæ statu aut temerario à sect. IV. Aph. XXXV. hùc allatus: ut ergò otiari hîc sapientibus sic visus est, ut illum prætermiserint, actum agere nolentes, quod citato loco expositum est repetere non suscipimus, ne *eamdem crambem recoquendo*, in inutilibus utiles videri velimus, aut in superfluis abundare.

APHO-

APHORISMUS LIX.

Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν· λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα.

Corporibus humidas carnes habentibus, famem inducere oportet: fames enim siccat corpora.

ATHLETARUM *habitum ad summum progressum solvere statim jubet Hippocrates*, (a) quod hîc *humidas carnes fame siccare* vocat. *Humidas* ergò hîc partes non intelligit, quæ *catarrhali sero* ebriæ forent, at eluxuriantibus nutriminibus madentes, illis nempè succis quos siccare potest fames. Noverat namque ille animalis œconomiæ rerum prudens, quanti ad debitum partium *tonum* momenti sit firmum servari insitum illarum *elaterem*, qui laxior factus corporis pessundat vires. At id committit omne mali succorum nutritiorum nimia ubertas, quibus turgidula partium vascula madent suprà modum, torpent, hebescunt; hinc *asthenia* corporis, motuum tarditas, lentorque *secretionum*, unde factâ sanguinis circulationi morâ, *stases* hîc illîc fiunt, quas alimenta subtrahendo prævertis, utpotè hujusmodi humiditatum fomites & fontes.

APHORISMUS LX.

Οὗ κὰν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ τὸ σῶμα καταψύχηται, καὶ πάλιν θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλλῃ, μῆκος νόσου σημαίνει.

Ubi in toto corpore mutationes, & corpus perfrigeretur, & rursus calefiat, aut color alius ex alio permutetur, longitudinem morbi significat.

MUTATIO. Symptomatum nova identidem facies est, recessus proindè ab illo motuum æquabili tenore, quo morbidæ materiæ *coctionem* elaborare solet natura; mutabilis autem & inconstans hic labor, morbi longitudinem portendit, unde aut impotentiam naturæ aut succi coquendi pervicaciam auguraberis: hinc corporis *secretionum* difficultas, quæ naturæ tardando regressus, miscendoque consilia, hujus prævertit aut vertit opera. Sub illo enim morbi statu inchoata in horas aut dies, in dies aut horas mutantur consilia, unde tarditas eventûs aut solutio morbi.

APHO-

(a) *Sect. I. Aph. III.*

APHORISMUS LXI.

Ἱδρὼς πολὺς, θερμὸς ἢ ψυχρὸς, ῥέων ἀεὶ, σημαίνει ἔχειν πλησμονὴν ὑγρῶν. ἀπάγειν οὖν χρή, τῷ μὲν ἰσχυρῷ ἄνωθεν· τῷ δὲ ἀσθενεῖ, κάτωθεν.

Sudor multus, calidus aut frigidus, semper fluens, humidi redundantiam habere significat. Educere igitur oportet, robusto quidem, supernè: debili verò, infernè.

HUMIDI, ideſt, humoris nutritii *redundantiam ſignificat ſudor multus*. Succi autem nutritii exuberantiam infert alterutra hæc cauſa, vel ſtomachi terentis potentia major, quæ *ſyſtalticæ* virtutis indubium teſtimonium, roboriſque argumentum, vel coctionum, digeſtionum, *ſecretionum* vitiatio, quâ putres & eliquati humores, in ſudores multos vaporeſcunt. Priori cauſæ vomitus debetur, quo acorum ſtimulis levatus quibus imbutus urgebatur ſtomachus, ad mitioris tritûs modum ſe componit, unde factus temperantior appetitus, ut alimenti minùs ingeri poſtulat, minùs quòque ſuggerit nutrimenti: alteri cauſæ dabitur *catharſis*, quæ identidem evertendo putres alimentorum reliquias, purgat *fluida*, *ſolida* firmat, laxioraque facta ſtringit *ſecretoria*; tantùm in *laxando* dextrè, aut *ſtringendo* ſapienter, poſita non rarò eſt felicitas artis!

APHORISMUS LXII.

Οἱ πυρετοὶ οἱ μὴ ἀφιέντες, ἢν ἰσχυρότεροι ἀφ' τρίτης γένωνται, ἐπικίνδυνοι. ὁπῷ δ' ἂν τρόπῳ ἀφιέωσι, σημαίνει, ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres non intermittentes ſi per tertiam vehementiores fiant, periculoſæ. Quocunque autem modò intermittant, ſignificat, periculi eſſe expertes.

SUB morbis periculum majus, ubi continuus magis fit naturæ labor, cujuſmodi eſt ſub febribus continuis; licèt enim interceſſus hîc quadantenùs videatur, ad viginti quatuor aut circiter horas remittendo, formidine tamen plenus habebitur, ſi ex brevibus illis induciis veniant graviores inſidiæ; ſed has ſuſpicaberis, ſi doloſæ nec durabili paci ſuccedant turbæ majores aut laborum vehementia. Itaque ſi alicundè ſecuritatis ſpecie blandiri ſibi velit Medicus, febri confidet ſoli, quæ penitùs intermiſerit, factus inde tutus integras & magiſtras conſtare naturæ vires, quæ quidem hoſtilibus ſuccis ad tempus jubet pacem, ſed ut ad illos expugnandos inſurgat alacriùs, fortiùs, feliciùs.

APHORISMUS LXIII.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισιν ἢ φύματα, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐγίνοντο.

Quibus febres longæ sunt, his aut tubercula, aut ad articulos dolores fiunt.

CRISES nullæ, impotentiam naturæ produnt, malæ vel infelices errorem illius ostendunt aut oppressionem, dimidiatæ vel imperfectæ laborem illius aut infirmitatem, quâ succos quos omnes simul & semel aliquò amoliri non valet, per partes hàc illàc à se dispellit; ut autem vis unita fortior, invalidiores quæ dispersæ sunt vires. Sed tardatur sic *concoctrix* aut *digestiva* naturæ vis; itaque produci morbum necessum est, ubi *tubercula ad articulos* fiunt, plures enim veluti tunc fiunt succorum officinæ, quorum partitò cudendo naturæ veniunt coctiones.

APHORISMUS LXIV.

Ὁκόσοισι φύματα μακρὰ, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐν πυρετῷ γίγνονται, τουτέοισι Σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula diutina, aut ad articulos dolores ex febribus fiunt, hi cibis utuntur copiosioribus.

TUBERCULORUM ejusmodi (quæ *crises* inabsolutæ sunt) causas tribuit *Hippocrates*, ingestæ perperàm *ciborum copia*, à quibus si tantùm venire periculi animadvertit sub illis diætæ tenuis temporibus, ubi unis ferè ex oleribus institui illa solebat, quantùm mali redire debet nostratibus ægrotis, ex succosis carnium jusculis, ovis sorbilibus, offulis, *gelatinis*, quibus eos insuccari moris hodie est? posthàc miraberis, tot abortivos enasci affectus ex morbis, sub quibus ægrè coctilibus alimentis indultum impendio fuerit? duriores & coriaceas vasis intrudere est materies, quæ fibratum densèque gelatum sanguinem illum compingunt, qui, quæ facit, alitque in visceribus tubercula, chronicos, difficiles & incurabiles, heu sæpiùs! post se trahit morbos.

APHO-

APHORISMUS LXV.

Ην τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι ἰσχὺς· τῷ δὲ κάμνοντι νοῦσος.

Si quis febricitanti cibum det, convalescenti quidem, robur: ægrotanti verò, morbus fit.

LEGIS quæ diætæ generalis est, singularem morbi temporibus hîc vides usum, cibum enim utilem esse tantùm, quandò cedit in corporis robur, confessa res est, hancq;ad normam cibatûs commodum in morbis docet *Hippocrates*, illum temporis articulum, sub quo robori esse potest ægrotanti: illud autem tempus est quo convalescit æger, tunc enim cum absolvi capit sanguinis *depuratio*, recentibus nutrimentis locus fit atque facultas; insuper suis stomacho & visceribus redditis nativis oscillationibus, harumque & *fluidorum* directionibus restitutis, tritûs instrumenta coctionumque potentiæ reparantur, unde ut decet subacta alimenta bellè digeruntur, assimilanturque laudabiliter, unde insuccatæ opulentur partium fibræ roborantur. Contrarium fit, ubi cum febre viget morbus; impuritatibus enim sordidantur vasa, quæ proin nutriminibus cumulare, sordibus illa conspurcare est: adde turbatis *solidorum* oscillationibus, delirantibusque *directionibus fluidorum*, alimenta perdi, verti coctiones, vires defraudari.

APHORISMUS LXVI.

Τὰ διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα ὁρᾶν δεῖ, εἰ οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. τὰ ἴκιστα οὖν ὅμοια τουτέοισι, ταῦτα νοσωδέστερα. τὰ δὲ ὅμοια τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἥκιστα νοσερά.

Per vesicam prodeuntia inspicere oportet, an sint *qualia sanis prodeunt. Quæ igitur minimè his similia, ea morbosiora. Sanis verò similia, minimè morbosa.*

URINA à *coctionibus* corporis universi, omnibusque *secretionibus* serum est superstes, lixivium sanguinis, recrementorumque illius vehiculum, proindè sanguinis statûs, conditionisque testis, *crasis* illius notaculum. Urinam ergò inspiciendam Medico vult artis parens, ut morbum futurum præcognoscat, hujusque *prophylaxi* provideat. Hunc enim *Aphorismum* (utut facto morbo convenire possit) ostendit proximè sequentis (*a*) contextus (qui hujus appendix est aut corollarium) de *prophylaxi* morborum aptiùs intelligendum esse. Hujus ergò mens sit ex urinarum conditione conjici posse venturum esse morbum, simul atque esse desunt quales *sanis* prodeunt, cùm

(a) *Aph.LXVII.*

enim inde recedunt, *morbosiores* sunt, hoc est, morbum prænuntiare solent: non sic autem, quandò *sanis similes sunt*, nam *minùs sunt morbosa*. Sed hinc ducitur argumentum, de morbo facto non accipiendum esse hunc *Aphorismum*, in medendo enim ut sagax & versatus erat *Hippocrates*, usu certè noverit, in tantùm non morbosas minùs sub morbis urinas esse, quæ *sanis similes* sunt, ut arcanæ malignitatis comites esse soleant & indices.

Mali enim cumulus est, tam siniſtrè aut præposterè se habere *secretiones*, ut (quod malignis febribus non insolitum est) à propriis *secretoriis* deflectendo, à naturæ viis aut instituto adeò delirent, ut nativorum effugiorum loco (cuiusmodi sunt urinæ & renes, qui his se præbent patentque) ad inaperta, cæcaque reflectantur loca, *nervos* nempè, qui utpotè ad *secretiones* inepti, incongruos, quibus se malè macerant, combibunt succos; taliumque hospitio irati anguntur & angunt; inde anxietates variæ & multiplices, quæ sub malignis febribus *spasmos* produnt aut edunt.

APHORISMUS LXVII.

Καὶ ὅσα τὰ ἀποχωρήματα, ἢν ἑάσῃς σταθῆναι καὶ μὴ κινήσῃς, ὑφίσταται, οἷον ξυσματα· καὶ ἢν ὀλίγα ᾖ, ὀλίγα ἡ νοῦσος γίνεται. ἢν δὲ πολλὰ, πολλή. τετρωμένοισι ξυμφέρει ἀποκαθῆραι τὴν κοιλίην. ἢν δὲ μὴ καθαρὴν ποιήσας διδῷς τὰ ῥοφήματα, ὅκόσῳ ἂν πλείω διδῷς, μᾶλλον βλάψεις.

Et quibus, egestiones, si stare permiseris, & non moveris, subsident veluti ramenta: & si pauca fuerint, parvus sit morbus: si verò multa, magnus. His confert alvum infernè purgari. Si autem non purgatâ alvo sorbitiones dederis, quantò plures dederis, eò magis lædes.

Quæ *diachoremata* vocat præteritus modò *Aphorismus*, præsens *apochoremata* dicit, de *subsidentiis* enim aut sedimentis *apochoremata* quibusdam habentur; quâ de causâ de urinarum ramentis vel sedimentis, hunc Aphorismum interpretatur huius ævi nobilis Medicus. (a) Igitur quæ *inspicienda* Aphor. LXVI. jussit *Hippocrates* urinarum sedimenta hoc LXVII. sic judicare docet. Hæc, inquit, *stare permiseris & non moveris*, quo facto *si pauca sint quæ subsident ramenta*, *parvus*, ceu minoris momenti erit qui veniet *morbus*; si verò *multa*, magnus, ideſt, majoris periculi. Reipsâ cùm urinarum sedimenta, præcipites factæ sint reſides succi nutritii moleculæ, ubi densa sunt & *multa*, maximam arguunt refluentis à *transpiratione* impeditâ materiæ copiam, hincque futuri magni morbi fit augurium, utpotè cum tam multæ succorum reliquiæ, eructantium undequàque vasorum notæ sint, amplæque morborum materiaturæ; quas ideò *catharsi* præscindi jubet: rationem innuit, *impurum* nempè, ut tunc corpus est, *sorbitionum* aut

(a) *D. Lyter in hunc Aphor.*

aut alimentorum utut laudabilium operâ, has castigando sordities, vincere frustrà tentabis, cùm enim *impura corpora quò plus nutries, lædes magis, quantò* plures tunc *dederis sorbitiones, tantò magis lædes.*

APHORISMUS LXVIII.

Ὁκόσα κὰτω ὠμὰ ἀφίσχωρέη, ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἐστίν, ἢν πλείω, πλείων, ἢν ἐλάσσω, ἐλάσσων ἡ νοῦσος.

Quæ cruda deorsùm secedunt, ab atrâ sunt bile: si plura, major: si pauciora, minor est *morbus.*

APAGE igitur communes, heu communes nimiùm! cruditatum notiones. Finxêre sibi, hujus medicinæ parentis moniti malè memores, crudum esse quod caloris indigum est, frigeratum ergò, hincque crudè coctum: illam de cruditatibus doctrinam castigat hic *Aphorismus*, ab *atrâ bile* esse docens, *quæ cruda deorsùm secedunt. Cruditates* ergò ejusmodi, colliquationes sæpè erunt aut *præcipitationes* succorum, quos deturbat, abigitque in acre evecta bilis, quæ sanguinis dissociando humores eliquat, fundit, profunditque; quantùm enim succorum copulam firmat, vincitque nitidum bilis *sulphur*, aut ætherea illius & mitis pinguedo, tantùm illorum connubia solvit ustulata bilis aut in salinum evoluta. Hinc ergò tantò crescet emergens malum, quantò major acrimonia erit, aut quantò major erit ustulatæ bilis copia.

APHORISMUS LXIX.

Αἱ ἀποχρέμψιες, αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ ἀφιλείπουσιν, αἱ πελιδναὶ καὶ αἱματώδεες, καὶ χολώδεες, καὶ δυσώδεες, πᾶσαι κακαί. ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί· καὶ κοιλίῃ, καὶ κύστιν, καὶ ὅκου ἄν τι ἀποχωρέον στῇ μὴ κεκαθαρμένον, κακόν.

Excreationes, in febribus non intermittentibus, lividæ, & cruentæ, & biliosæ, & graveolentes, omnes malæ sunt. *At ritè secedentes, bonæ.* Sic *etiam per alvum, & vesicam & ubicunque quid secedens restiterit non purgatum, malum.*

DOCUERAT *Hippocrates*, ex qualitate judicandum esse de iis quæ evacuantur, hîc autem addit conditionem, sub quâ hanc qualitatem, utut mala sit, tolerandam quadantenus recognosci docet. In exemplum illi veniunt *excreationes*, quæ cum *lividæ, cruentæ, biliosæ & graveolentes sunt*, formidabiles habentur; est interim unde desperes nihil, *quando ritè secedunt*, ni-

nimirùm cùm *euphoriâ* quâdam, quâ toleratu facilis fit ista evacuatio, eoque moderamine ut in *secretoriis restitet* nihil, quæ ergò eructent tantùm quantùm excipiunt; id enim aliquid præ se fert *boni*, boni scilicèt *solidorum elateris*, & vegetæ fibrarum resilientisque potentiæ, quâ putres à se depellentes succos omnes, mali fundum siccare valent, omnesque à se abigere morbi reliquias. Sub hâc eâdem conditione, damnabiles minùs veniunt per *alvum*, *vesicam*, &c. excretiones, hoc titulo excusabiles, si integro superstite viscerum *elatere*, eliminent omnes fomites mali.

APHORISMUS LXX.

Τὰ σώματα χρὴ ὅκῃ τὶς βούλεται καθαίρεσθαι ῥοα ποιέειν, κῆν μὲν ἄνω βούληται ῥοα ποιέειν, στῆσαι τὴν κοιλίην· ἢν δὲ κάτω, ὑγρῆναι.

Corpora oportet, ubi quis purgare vult, facilè fluentia reddere. Et si quidem velit efficere facilè fluentia sursùm, alvum sistere: Si verò deorsùm, humectare.

COGITARE cesses repetitum hunc esse sectionis II. novum *Aphorismum*, sub eodem enim verborum sono, utriusque dispar est sensus, dissimile consilium. Illîc ad purgationis facilitatem generale præceptum habebatur, hîc ad determinandam humorum purgatione educendorum hùc aut illùc directionem, particulare documentum. Hîc ergò *fluentia reddere corpora* ad purgationem, horum sic est tractare partes, nervorum sic ordinare & dirigere oscillationes, ut eò ferantur quò versùs arte vel naturâ destinantur evacuandi humores: unde si ad stomachum vomitu duci velis humores, quæ deorsùm ad intestina descendunt, oscillationes comprimendo sursùm reflecti coges, quod *alvum sistere* erit; è contrà si ad alvum humores cupis præcipites dari, *intestinalium* fibrarum molliendo laxabis *tonum*, quod *humectare* est; at sic *deorsùm* inclinare erit aut invitare nervorum oscillationes, & evacuationem ad alvum determinare.

Hinc causa propter quam tam incerta esse solet *sudoriferorum* operatio, tamque infelix, ubi conveniunt in peste, illorum eventus, *solidorum* enim oscillationes & *fluidorum* ductus ad corporis habitum convertere, paucorum scientia est. Itaque sudoriferorum ignes perperàm & temerè ingerendo, dùm introversùm & ad corporis centrum *solida* convelluntur & reflectuntur *fluida*, *surdo canunt*, morbi enim impetum sequendo sudorifera, in viscera furunt, quorum cancellos rumpunt, *continentia* frangunt, profundunt *contenta*.

APHO-

APHORISMUS LXXI.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γινόμενα, νοῦσος.

Somnus, vigilia, utraque modum excedentia, morbus.

SOMNUM & *vigiliam, utraque modum excedentia* sub morbo, pessima esse *symptomata*, Aphorismi III. sect. II. effatum est, illa ipsa eadem excedentia sub sanitate, ad morbum præludia esse præsentis *Aphorismi* est pronuntiatum: quâ enim ratione pessimi sub morbis videtur ominis, aut segnescere, torporemque contrahere *nervorum lympham*, unde fit sopor, qui *somnus excedens* est; aut fervere nimis sanguinem, unde *excedens vigilia*; similiter in sanis ad somnum propensio jugis, vel ad somnum jugis impotentia, futuri fovent, aluntque graves morbi causas.

APHORISMUS LXXII.

Ἐν τοῖσι μὴ ἀπολείπουσι πυρετοῖσιν, ὦν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ἦ, τὰ δὲ ἔσω καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In non intermittentibus febribus, si externa quidem sint frigida, interna verò urantur, & sitim habeant, lethale.

EQUIDEM repetitio hîc est Aphorismi XLVIII. sect. IV. at unà simul observationis Medicis inculcandæ plus semel, utpotè admonentis, quantumvis mala sint morborum *symptomata*, tolerabilia hæc esse præ iis quæ absolutam in nervis, illorum *lymphæ stasin* arguunt, quò spectat externarum partium frigus; vel quæ completam ostendunt in vasis sanguinis *stagnationem*, quò pertinet partium internarum *urens* calor, aut *phlegmone* præsens.

APHORISMUS LXXIII.

Ἐν μὴ ἀπολείποντι πυρετῷ, ὦν χεῖλος, ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς ἀποστραφῇ, ὦν μὴ βλέπῃ, ὦν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενὴς ἐών· ὅ, τι δὴ τουτέων γίνηται, θανάσιμον.

In febre non intermittente, si labium, aut nasus, aut oculus, aut supercilium, distorqueatur, si non videat, si non audiat jam debilis existens; quidquid horum fiat, lethale.

NON *videre*, *non audire*, viribus defici, sub febre continuâ, unà comite *labii*, *nasi*, *oculi* vel *superciliorum* spasmodicâ contractione, rigere to-

totum, crispari, stringique suâ in radice, ideſt in cerebro, totum *ſyſtema nervoſum*, argumenta ſunt non inevidentia. Posthàc quid aliud à morte expectabis, quæ conniventia jam claudat vitæ lumina? quod enim futurum prænuntiant gravibus ſub morbis *tendinum ſpaſmodici* ſubſultus, hoc monſtrat præſens tota convulſa ægri facies.

APHORISMUS LXXIV.

Ἐπὶ λευκῷ φλέγματι ὕδρωψ ἐπιγίγνεται.

Leucophlegmatiæ hydrops ſupervenit.

LEUCOPHLEGMATIA diſperſus per carnium loculos *hydrops* eſt, *aſcites* (de *aſcite* enim hic ſermo) hydrops eſt in uno loco congeſtus. Igitur ſub *leucophlegmatiâ*, ab incumbente carnibus aquarum illuvie aut mole, preſſionem fieri jugem cogitabis in ſingulis carnium compacturæ canaliculis; atqui pluſquam millia modorum ſunt, quibus inter ſe communicant vaſa, tendentiæ mille quibus ad *ſecretoria* ſe convertunt, denique nullibi *ſecretoriorum* numeroſior copia, quàm in abdomine, quò velut ad mare magnum contendunt omnes corporis rivuli, publica ergò maximè ſunt iſthæc *ſecretoria*; in proclivi proin videtur illò confluere excernendorum eluviem, imprimis aquarum, quæ pondere ultroneo ad ima feruntur, aut infera loca. Porrò ut *Hippocrati* moleſtum non fuit illam hîc adnotare vaſorum ſua versus *ſecretoria* ſpontaneam propenſionem, gratum eſt nobis denuò eandem exponere.

APHORISMUS LXXV.

Ἐπὶ ἀῤῥοίῃ δυσεντερίη.

Ab alvi profluvio, dyſenteria.

AB hinc ad finem uſque ſectionis, totus eſt *Hippocrates* in adnotando proprios quorumdam morborum exitus, poſteros edoſturus, ſingularem eſſe cuique morbo & conſuetum exitum, in quem deſinere ſolet, ut illius exitûs ſcopo & imitamine ductus Medicus reſciat, quid agendum habeat, omittendumvè aut committendum, quò ſua dirigat opera aut aliorsùm convertat. Hîc autem admonemur *diarrhœa* proclive eſſe in *dyſenteriam* abire, facto proindè nobis documento, quàm multa adhibenda ſint mulcimina, quàmque plura à medicaminibus arcenda, quæ ſtimuli, caloris, *ſtypticitatis* aut ſiccitatis ratione inteſtina deterunt, ut ſuus illis integer conſtet *tonus*, ſarta tectaque ſervetur eorum ſubſtantia; ejuſmodi remedia aliundè uſurpando, hinc quæ *fluida* dulcorant, illinc quæ *ſolida* ab acrium morſu protegunt.

APHO-

APHORISMUS LXXVI.

Ἐπὶ δυσεντερίῃ λειεντερίη ἐπιγίνεται.

A dysenteriâ inteſtinorum levitas ſupervenit.

IPSIUS quòque *dyſenteriæ* exitum docet, quem in *lienteriâ* ponit, quâ alimenta eadem quâ ſumpta ſunt ſpecie, immutata fermè redduntur. Tunc temporis quid *atoniæ* aut laxi in inteſtinorum fibris ſuſpicantur, non pauci, hincque reſoluta aut fatiſcentia inteſtina putant, malè ſano tamen errore, cùm iſthæc coctio manca, à tritûs præcipitantiâ magis quàm debilitate veniat, ſic enim perfunctoriè ſubacta alimenta feſtinantiùs in inteſtina deſcendunt & ſemicocta excernuntur. Utut ſit trituræ vitiatio *lienteriæ* eſt, quæ vitiatio cùm in exceſſu oſcillationum non infrequentiùs conſiſtat quàm in defectu, medentis officii & ſapientiæ erit, ſuam ſic modulari curandi rationem, ut ſtomachi roborando vel elevando *elaterem*, oſcillationes illius non exſtimulet fortiùs, non diſturbet. Hîc *opiata* ut decet tractare, horumque cum *ſtomachicis* noſſe connubia, artis apex eſt, totaque medendi dexteritas.

APHORISMUS LXXVII.

Ἐπὶ σφακελισμῷ ἀπόστασις ὀστέου.

A ſphacelo abſceſſus oſſis.

SPHACELUM hic accipies pro corruptione oſſis vel læſione gravi, quæ in abſceſſum deſinit; hoc eſt, ſic offenſa laceravè oſſis compages ut putredinem contrahat, poſt ſe trahit *abſceſſum*. Equidem non admodùm in propatulo habetur, quomodò exſucca, ut videretur, oſſis ſubſtantia putredinem queat incurrere, ſed rationem prodit doctrina de *vaſculoſa* partium etiam *ſolidarum* compacturâ; hîc enim ſuus partibus ſingulis aſſeritur humor, qui in his vaſculis continetur, quique ad putredinem fundus aut materies eſt, id atteſtante chirurgiæ uſu, quo oſſium *apophyſes*, & *epiphyſes* arcanâ putredine imbutæ candente ferro uri peritis familiare eſt, vel incompleto aut dimidiato terebræ operæ calvariam forare, quo ſublatâ calvariæ oſſis priori lamellâ, curationi pateat *diploe*, ut ajunt, aut illius meditullii *abſceſſus*.

Verùm aliò tendit adhuc hujus *Aphoriſmi* effatum, de eo admonens quod in *tumorum* curationibus diligenter obſervandum venit, ſcilicèt ſub illis tumoribus qui oſſibus ſubſtratis non procul accumbunt, latere poſſe oſſis *abſceſſum*, cujus ut cauſa, ità & ſignum eſt ſuperpoſitarum carnium *œdema*, putre, livor, *ſphacelus*.

APHORISMUS LXXVIII.

Ἐπὶ αἵματος ἐμέτῳ φθόη, καὶ τοῦ πύου κάθαρσις ἄνω.

A sanguinis vomitu tabes, & puris purgatio sursùm.

AD quid, inquies, perditio hæc, in repetendis iis qui antehàc traditi jam sunt *Aphorismis?* sed neque in his locatam malè putabis *Hippocratis* diligentiam, benè conscii, veritates esse ad artis usum spectantes, quæ cùm medentium oculis subjici debeant jugiter, illorum mentibus mandari, & remandari crebriùs non possunt. De illarum numero sunt repetitæ hîc de *sanguinis vomitu, tabe & puris sputo* observationes, quibus Medicus imbutus, totâ suâ providentiâ in curando *sanguinis vomitu* cavebit à *tabe* & *puris sputo*: quippè quæ affectus sint, in quos desinere moris est sanguinis excreationi illi, quam vomitum vocat *Hippocrates*, quamvis enim ad tabem vergat quodlibet sanguinis sputum, de eo hic *Aphorismus* est, quod enormi quam fundit sanguinis copiâ, vomitum meliùs quàm sputum repræsentat.

(Ἐπὶ φθόῃ ῥεῦμα ἐκ τῆς κεφαλῆς· ἐπὶ τῷ ῥεύματι διάῤῥοια· ἐπὶ διαῤῥοίῃ σχήσις τῆς ἄνω καθάρσιος. ἐπὶ τῇ σχήσει θάνατος.)

(*A tabe, fluxus ex capite; à fluxu, alvi profluvium. Ab alvi profluvio, inhibitio purgationis sursùm. Ab inhibitione, mors.*)

(Ἐπὶ αἵματος πτύσει, πύου πτύσις, καὶ ῥύσις· ἐπὴν δὲ σίαλον ἴσχῃ, ἀποθνήσκουσιν.)

(*A sanguinis sputo, puris sputum & fluxio. Postquàm autem sputum inhibetur, moriuntur.*)

EXules hùc proscriptique videntur duo hi sequentes *Aphorismi*, quos alieni ferè censûs putares & extranei ordinis, quasi enim ad præcedentium seriem non pertinerent, horum non sunt computationis. Interim non temerè hùc adductos fuisse illos ostendit eorum affinitas aut similitudo cum *Aphor.* LXXVIII. Hic enim de tabe præluserat, igitur in sequentibus *Aphorismis* cœptam de tabe observationem pergere conveniebat; at alibi jam traditi duo fuerant de tabe pertinentes hùc *Aphorismi*, quos hùc materiæ necessitudine & memoriæ gratiâ revocavit *Hippocrates*. Dùm ergò contextûs cum præcedentibus defectu præter ordinem locati viderentur hi *Aphorismi*, suam debitamque in *Hippocratis* animo seriem obtinent. Posthàc has *Aphorismi* LXXVIII., geminas appendiculas legenti, ut tabis historia miserabilis, sic rectitudo & consilium *Hippocratis*, in apertum venient.

APHO-

APHORISMUS LXXIX.

Ὁ κοῖα καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κύστιν, καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρήμασι, καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας, καὶ ἢν πῃ ἄλλῃ τῆς φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα· ἢν ὀλίγον, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίγνεται. ἢν δ' πολὺ, πολλή. ἢν πάνυ πολὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον.

Qualia etiam in his quæ per vesicam, & in his quæ per alvum fiunt *egestionibus, & in his quæ per carnes, & sicubi aliâ naturæ* viâ *corpus exeat: si parùm, parvus morbus fit: si multùm, magnus: si admodùm multum, hoc ipsum lethale.*

BREVITER hîc & in summâ perstringit *Hippocrates* corporis universi *excretiones*, per *vesicam & alvum* consuetas non tantùm, sed etiam *per carnes*, idest, carnium meatus, aut cutis spiramina, unde vides quo in pretio illi jam erat *transpirationis* consideratio, cujus singulare & nominatim (*per carnes*) instituendum Medico commendat examen. Comperta ergò fuerit Medico singularum *secretionum* quantitas naturalis aut mensura, ut ad illam perdendo evacuationum quantitatem, intelligat quid inde ægroto corpori jacturæ accidat aut detrimenti. Detrimentum autem æstimabis ex *excretionis* conditione, si succorum enim sit utilium quos profusissimè perdat, mortiferum est, ducto ex mulierum *mensibus* exemplo, qui si copiosiùs fluant, in *hæmorrhagiam* lethalem erumpunt. Alterum offert exemplum *diabetes*, cùm enim fructuosa sit *perirrhœa*, exitialis *diabetes* est. Tertium habes in *alvi fluxu*, qui si paucus, *parvus morbus* fit, *magnus* verò, si enormis, admodùm *multus* aut *colliquativus* evadat.

SECTIO OCTAVA.

APHORISMI

Interjecti.

AT unde *interjecti?* aliundè nè quàm ex iisdem fontibus, ex quibus eliciti fuêre cæteri aliarum sectionum *Aphorismi?* ejusdem ergò doctrinæ sunt cum aliis quos adoptari placuit Medicorum scholis; ab iisque cùm habeant minùs nihil; fastidiri nec merentur, nec ut abortivi jacere debent, nèc ut suppositi vilescere. Nihilique est quâ illos severiùs insectantur repetitionis exprobratio, si memineris *Aphorismos* omnes *Hippocratis* mera esse ex operibus illius excerpta, observationumque illius corollaria; communi ergo cum cæteris *Aphorismis* laborarent culpâ, si culpa sit eorum repetitio, quæ repetita placent, utpotè repetitæ observationis monumenta, observationis autem ab observandi magistro profectitiæ.

Enimverò si rem ut decet expendendo nullum sectionis VIII. *Aphorismum* invenias, qui alicubi in *Hippocrate* radicem non habeat, quique ab illo suos non ducat natales, iniqui rerum æstimatoris est & crudelis nimiùm, adulterii nota aspergere, & dicere spurios, qui ejusdem sanguinis sunt nepotes & alumni. Sed ejus sortis sunt sect. VIII. *Aphorismi*, quorum verba, dictio & sensa *Hippocratis* praxim, sententias, & medendi rationes sapiunt; ejusdem ergo ut sunt saporis, super illorum expositionibus nauseare non debent *Hippocratis* seduli interpretes. Ad hæc ut inertiæ genus est, in aliquo deserere illum quem amare officium est, in artem medendi delinqui videtur, medicinæ parentem aliquatenùs derelinqui, quem, si aliquem, amicum suis cum delictis amari decet & excusatum indulgeri.

APHORISMUS PRIMUS.

Ὁκόσοι ὑπὲρ τὰ τεσσαράκοντα ἔτεα φρενιτικοὶ γίγνονται, ἧσσον τάχιστα ὑγιάζονται· ἧσσον γὰρ κινδυνεύουσιν, οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, ἡ νοῦσος ᾖ.

Qui suprà quadraginta annos phrenitici fiunt, non admodùm sanantur: Minùs enim periclitantur, quorum naturæ, & ætati, morbus similis fuerit.

Hic *Aphorismus* XXXIX. sect. II. expositio est, quod enim illic generaliter de senibus horumque morbis afferebatur, specialiter *quadragenariis & phrenitidi* in hos cadenti hîc adscribitur. Admonente ergò *Hippocrate* meminerit ad ægrotum ingrediens Medicus, pejori loco res illius esse si quadragesimum agens annum *phreniticus* evadat, tunc enim prima salutans senectutis limina, senii prima sentit incommoda. Hæc autem gemina sunt, ut enim duplici partium genere constat corpus, *fluidarum* scilicèt & *solidarum*, hæ à *tono*, illæ à crasi suâ desciscunt in senescentibus, in quibus sanguinis cadit flos, quia parte illâ minuitur, quâ spiritus est, *bilis* quo lenitas perit, quorum loco succedit partium gravitas & spirituum depressio, insuper à suâ mollitudine fibræ recedunt, fiuntque ad oscillandum habiles minùs. At his de causis in quadragenariis minor erit *fluidis* ad *depurationem* facilitas, *solidis* ad tritum agilitas minor, minor ergò ad sanescendum promptitudo.

Rationem hanc habes, *quia minùs periclitantur, quorum naturæ & ætati morbus similis fuerit*; talis est juvenibus *phrenitis*, quæ in his sanguinem nacta molliorem agilioremque, tùm & partium fibras ad terendum faciliores, faciliùs sanescit, quia deteritur promptiùs.

APHORISMUS II.

Ὁκόσοισιν ἐν ῥῆσιν ἀῤῥωστίῃσιν οἱ ὀφθαλμοὶ κατὰ προαίρεσιν δακρύουσιν, ἀγαθόν. ὁκόσοισι δ' ἄνευ προαιρέσιος, κακόν.

Quibus in infirmitatibus oculi ex proposito (ideſt, ob causam) lachrymantur, bonum. Quibus verò sine causa, malum.

Hic certè verbis expressis repetitum habes LII. IV. sectionis *Aphorismum*. At perperamnè vel inutiliter? quin imò sensu dives adeò *Hippocratis* sermo est, ut erudiat semper, etiam multoties repetitus, illius pronuntiatum aliud est, *temerè nihil*, *nihil* in medendo *negligenter* habendum; juxta quam regulam, *secretionum* minimam, qualis *lachrymarum* est, medenti *considerandam* vult, *num volenti aut invito*, *multæ vel paucæ*, *calidæ*

aut

aut frigidæ emanent; in quibus etiam craſſitudinem & guſtum (ægro (a) explorandum) *inſpicere oportet.* (b) *Quibus enim* (ut alibi pergit) *invitis per febres acutas lachrymæ effluunt, in his modò cætera exitialiter ſe non habeant, expectanda hæmorrhagia; his verò qui malè ſe habent non hæmorrhagiam, ſed mortem portendunt:* (c) tantùm affert aut monſtrat periculi *ſecretionum* vitiatio, quâ foràs prodeuntes, qui clàm excernendi erant ſucci, *lachrymarum* v. g. quas extùs excerni naturæ non moris eſt, quarum proindè involuntarius effluxus, ſanguinis circuitûs ſeriem & filum rumpi monſtrat, diſſutos ergò humorum nexus, qui *ſolidorum* ſubactionem aut trituram eludentes, à digeſtionum coctionumvè artibus & modis ſe ſubducunt.

APHORISMUS III.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἔσῃ αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῇ, πονηρόν.

Quibus in febribus quartanis exiſtentibus ſanguis ex naribus fluxerit, malum.

REPETITI nihil habet hic *Aphoriſmus* præter repetitam *Hippocratis* doctrinam, quæ per illius fata libros, hunc elucidat. Poſthàc quid nothi habere queat aut ſpurii non videtur, proprium imò illi dices, ſi illum de narium *hæmorrhagiâ in quartanis* loquentem audias. Illîc hunc ſanguinis fluxum arguit quod *quartanas* non ſolvat; (d) hîc quòd *ægrè* (e) *ſolvat*, verbo ad mentem *Hippocratis* ejuſmodi ſanguinis fluxus, unum eſt ex *judicatoriis* malè aut non *judicantibus*, quæ ſemper ægrotantium *malo* ſunt; ſed ipſiſſimum eſt quod habet præſens *Aphoriſmus*: prætereà hunc *Hippocrati* aſſerit de quartanis febribus illius doctrina, juxta quam à *melancholia* (f) illas fieri docet, ſub illis ergò ſanguinem naribus effluere, aliud à causâ morbi perdi eſt, ſanguinis nempè florem, quem in affectibus *melancholicis* conſervare tanti fit. Denique cùm doceat uſus, nihil committi pejus in quartanarum curationibus, quàm cùm calidorum medicaminum abuſu, ſanguis vehementiùs *evehitur*, adeòut flammatus & fervens quartanam in continuam mutet, quod ad exitium via eſt; à ſanguine per nares prorumpente idem auguraberis: ſcilicet ſanguinis molem exaltari nimium, mutarique eam illius *craſin*, quæ *quartanam* alebat; cum autem pejor morbus eſt qui ægri temperamento non reſpondet, ambigua & præpoſtera eſt evacuatio humoris qui (ut hîc ſanguis *à melancholia*) ab humore morbido alienus eſt.

APHO-

(a) *Mercurialis hic.*
(b) *Hip.epid.VI.ſect.VIII.text.23.*
(c) *Ibid.epid.lib.I.ſect.III.*
(d) *Hip.de judic.X.7.*
(e) *Epid.VI.art.II.v.40.*
(f) *De nat.hom.p.181.*

APHORISMUS IV.

Ἱδρῶτες ἐν τῇσι κρισίμοισιν ἡμέρῃσι γιγνόμενοι σφοδροὶ καὶ ταχέες, ἐπικίνδυνοι· καὶ οἱ ὠθεόμενοι ἐκ τοῦ μετώπου, ὥσπερ σταλαγμοὶ καὶ χρυσοὶ, καὶ ψυχροὶ σφόδρα, καὶ πολλοί. ἀνάγκη γὰρ τὸν τοιοῦτον ἱδρῶτα προδύεσθαι μετὰ βίης, καὶ πόνου ὑπερβολῆς, καὶ ἐπιθλίψιος πολυχρονίου.

Sudores in diebus criticis oborientes, vehementes & veloces, periculosi: & qui expelluntur ex fronte, velut guttæ, & aquæ salientes, & frigidi valdè, ac multi. Necesse enim est talem sudorem prodire cum violentia, & laboris excessu, & expressione diuturna.

CONSIDERARE (a) *convenit sudores, fiunt enim aliqui propter corporum exolutionem, aliqui propter inflammationis rigorem.* Hujusmodi sunt *sudores in diebus criticis oborientes vehementes*, &c. *acervati* (b) *enim sunt*, quos damnat idem *Hippocrates*, utpotè *præ suffocatione* (c) *& impetu & violentiâ, superantibus morbis* factos, quosque ægri *molestè ferunt*, (d) dùm *prosunt* (e) *paulatim oborientes. Omne enim nimium naturæ inimicum*, cujus nimietatis signa sunt *guttæ & velut aquæ salientes*, sub quarum specie se produnt non *critici*, neque salutares, licèt *diebus criticis oborientes* sudores, excretiones enim ejusmodi coactæ naturæ effectus sunt, exolutionis partium argumenta, *spasticæque solidorum* astrictionis *violentæ expressiones*. Quanti enim est ad *excretiones* quaslibet quæ salutares erunt, ut *secretionibus* naturalibus similes modo sint & ingenio, tanti ad sudores est, qui saluti erunt, ut *transpirationi*, cujus simii sunt, lenitate & tenuitate sint similes; adeout quantum insensibilis & imperceptibilis illa est, tantùm oportet vaporosi & mites exhibeant se sudores. Inde se produnt tot malæ artes in tractandis sudoribus, tam gravia delicta in sudoriferorum usu!

APHORISMUS V.

Ἐπὶ χρονίῳ νοσήματι κοιλίης καταφορὴ, κακόν.

Ex morbo diuturno alvi defluxus, malum.

HUJUS *Aphorismi* expositionem habes, in hoc *coacarum* (f) loco. *In iis qui longo tempore consumpti sunt, temerariæ & præter rationem alvi exolutiones, unà cum vocis defectione tremula perniciem minantur.* Hæ nam-

(a) *Hip. prænot. v. 9.* (b) *Coac. III. 90.*
(c) *De vict. acut. art. LIII. v. 9.* (d) *Prædict. I. art. V. v. 7.*
(e) *Coac. art. III. v. 90.* (f) *Coac. 934.*

namque alvi exolutiones de *diarrhœa* intelligendas esse author est *Duretus*. Itaque *Aphorismi* hujus mens eadem est cum geminâ *Hippocratis* sententiâ, proindè à spurii notâ absolvendus erit. Interim observabis *Aphorismi* contextum, qui non est de alvi fluxu in morbo diuturno, ubi certè salutaris esse potest, ut in *leucophlegmatia* quam solvit *diarrhœa*, sed de alvi fluxu, ex *morbo diuturno*, unde intelligitur sub morbis diuturnis *malum esse alvi fluxum*, quandò à lassatâ aut fatiscente naturâ provenit, non item quandò vi tuentis & expedientis se naturæ prorumpit. Enimverò cum morbus lucta sit sub quâ *solida*, quæ vasa sunt, *fluidorum* stagnatorum *stasi* & onere gravantur, salutis spes durat, quandiù integro manente *fibrarum tono*, lentescentem sanguinem oscillando, terendove valent à se dispellere, at desperatio venit, quandò fracto fibrarum *tono*, lassata *secretoria* fatiscunt, quosque continebant succos elabi sinunt, quod *atoniæ* genus est, summumque in morbis malum; *tabis* exemplo, quæ ubi *diarrhœa* contingit, ruit in perniciem, ultimi enim deliquii argumentum est.

APHORISMUS VI.

Ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται. ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται. ὅσα δ' ὦν πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα.

Quæ medicamenta non sanant, ea *ferrum sanat*. *Quæ ferrum non sanat*, ea *ignis sanat*. *Quæ verò ignis non sanat*, *ea insanabilia existimare oportet*.

IN *tota arte tibi imprimis allaborandum*, *ut quod ægrum est ad sanitatem reducas*. *Quod si ea multis modis possit restitui*, *is qui minimum habet eligendus*. (a) Hinc *Aphorismi* hujus verè *Hippocratici* sinceritatem animadvertis, ne aliquandò enim curationem despondeat Medicus, omnes summatim & in unum hîc coacervat *Hippocrates* medendi rationes & artes quibus restitui potest sanitas, ab iis initium faciendo quæ *minùs habent molestiæ*, tùm progrediendo ad ea quæ plus virtutis habent aut efficaciæ. In morborum curis agmen ergò primùm ducent quæ minùs molesta fuerint, medicamenta hæc vocat, ex alimentis nempè medicamentariis, aut in alimento medicamentis desumpta vel selecta ex ipsimet medicaminibus, ex quâlibet *mineralium*, *vegetabilium*, *vel animalium* ducta sint familiâ. Frequenter enim comperitur, sanandis incipientibus morbis unicum necessarium esse, leves nimirùm adhuc *fluidorum* circuitûs aut *solidorum* oscillationis aberrationes compescuisse aut redegisse in ordinem, quod operâ levis diætæ, vel relaxationis animi, vel exercitationis corporis, facilè interdùm obtinetur.

Miraberis enim quàm multas dispellant futuras, quamque multas incipientes prævertant ægritudines abstinentia, animi quies, aut solatium, corporis labor! si tamen brevis nimiùm aut curta fiat hæc providentia, tunc *medi-*

(a) *Hip. de artic. p.* 814.

dicamentis patebit locus. Sed ad hæc accedendo, à vulgari cavebis opinione multorum, quibus medicamentorum titulo remedia veniunt, quæ in humores agunt, quos castigandos, evacuandosvè unicè susciplunt, horum enim in curando crimen intelliges, permultorum exemplo, qui posita jam gravium morborum initiamenta, simplici *diluentium*, sedantium, demulcentium usu, interdùm venâ sectâ semel dissiparunt, ideò certè quòd cum sæpè ab evagante sanguinis circuitu, à *spirituum ataxiâ* & *secretionum* disturbationibus inchoentur morbi, otii plus aut temporis quàm remediorum naturæ laboranti indulgendum sit. His non obstantibus, si humoris stagnati *stasis* alicubi insederit, ad *amara*, *stimulantia*, evacuantia, *purgantia* fiet progressus, quibus humorum demoliendo congestiones, *apostasin* excutias. Hæc facta est? tumet pars aliqua? pure turget? *sanabit ferrum*; sin minùs *ignis* adhibendus, potentissimum sanandi instrumentum, *sphacelos*, *caries*, *siderationes* partium emendans, coercensque non tantùm, at radicitùs delens, in quantum violento, molestoque admodum suo affrictu, in partem affectam agit non solum, at oscillationum eò appellentium modum quoque mutat & partium *tonum*, sicque mutatâ *systaltica* virtutis ratione revirescit *digestionum* aut *coctionum* vis. Posthàc hunc *Aphorismum* à genuinis resecare, medicinæ bono invidere est, utpotè cum tot condat artis opes, tamque divites auxiliorum thesauros.

APHORISMUS VII.

Φθίσιες μάλιστα γίνονται ἀπὸ ὀκτωκαιδεκάτου ἔτους, μέχρι τεσσαρακοστοῦ καὶ πέμπτου.

Tabes maximè fiunt ab anno octavo decimo usque ad quintum & tricesimum.

HIC quidem actum agitur; toleranda tamen isthæc repetitio futura non inutilis, si de naturâ *tabis* verâ medentes magis ac magis admoneat, inculcando enim ætatem *phthisi* propriam maximè esse quâ viget sanguis & spiritibus ditatur, docere est sub hoc morbo *elateribus* turgere sanguinem, quod ad *phlogosin* vergere est; si addis in *tubercula* pulmonum *phlegmonosa* desinere *phthisicos* affectus, infructuosumnè erit, quod ex hoc *Aphorismo* venit ad artem documentum?

APHORISMUS VIII.

Τὰ δὲ κατὰ φύσιν γιγνόμενα καὶ φθίσιν, πάντα μὲν ἰσχυρά, τὰ δὲ καὶ θανατώδεα. δεύτερον δὲ, ἢν μὲν ἐν τῇ ὥρῃ νοσέῃ, αὐτὴ ἡ ὥρη ξυμμαχέῃ τῇ νόσῳ, οἷον καύσῳ θέρος, ὑδρωπικῷ χειμών· ὑφηνικὴ γὰρ τὸ φυσικόν· φοβερώτερον δὲ ἀπλῶς.

Quæ secundùm naturam ad tabem dispositа sunt, *omnia quidem vehementia : quædam verò etiam lethalia. Secundùm autem, si quidem in* eo *tempore ægrotet*, cum *tempus ipsum unà cum morbo impugnet, velut cum febre ardente æstas, cum hydrope hyems. Natura enim longè superior est : lieni verò plus affert timoris.*

COEPTA in *Aphorismo* proximè præterito, pergit hîc tabis historia ; illîc natales illius, hîc nativæ ad tabem *diathesis* vides potentiam. Talis hæc, ut *symptomata* ad phthisin spectantia, quæ in aliis tardigrada essent & mitiora, vehementia fiant in iis qui *phthisicam* contraxêre labem, celeriora*que quædam etiam lethalia*, 2°. Admonet *Aphorismus* cùm periculo crescere isthæc incommoda, si qui ad tabem naturâ suâ proclivis est *ægrotet*, ceu morbum incurrat sub eo tempore quo ad phthisin inclinat aeris conditio, sic enim facta fortior, potentiorque ad tabem natura ægrotantis, temporis nimirùm aut aeris qualitate roborata, vehementiùs agit & periculosiùs, ratione pari quâ *febris ardens ab æstate* in malum adjuvatur, & ab *hyeme hydrops*. Natura enim, ceu quod naturale est in ægro ad morbum illum contrahendum, vim morbo addit superiorem, quâ suas strages edat vehementiùs ; verùm si illa ad tabem naturalis ægri *diathesis* à *lienis* vitio veniat, nimirùm in acore melancholico aut *atrabilario* succo fundata, *plus affert timoris* & periculi, & reverâ quantumvis periculosa sit *phthisis* undelibet pendeat, tam exitialis nulla, quàm quæ in mœrore animi, vel amarore radicem habet.

APHORISMUS IX.

Γλῶσσα μέλαινα καὶ αἱματώδης, εἴ τι τῶν τοιούτων σημείων ἄπεστι, μὴ σφόδρα κακόν· δηλοῖ γὰρ νοῦσον σμικροτέρην.

Lingua nigra atque cruenta, si quid horum signorum abest, non valdè malum : morbum enim minorem declarat.

LINGUÆ nigrities malignis febribus propria, ejusdem *cruentatio* ab *aphthis* proveniens, *lienosisque* aut *scorbuticis* singularis, teterrimi morbi signa sunt, acerrimæ nempè salsuginis aut *alcalisatæ* bilis soboles, quâ eructans sanguis, talem linguæ affricat spurcitiem ; quantùm enim vaporis

tran-

transpirando efflant cæteræ partes, tantùm *seri* à se emittit lingua, quod cum in vasis impuritatum sanguinis vehiculum esse soleat, harum sorditiem lingua monstrat (*a*) & malitiam: hujus indicia sunt nigrities & *cruentatio*, unde in quantùm utraque aut ex his alterutrum vanescit aut abest, in tantùm nitescere sanguinem intelliges, morbique cùm morbo minui vel decrescere causas.

APHORISMUS X.

Ταῦτα μὲν ἐν ὧν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ὀξέσι σημεῖόν ἐστι, ὁπότε μέλλει ἀποθνήσκειν, καὶ ὁκόταν σωθήσεται.

Hæc igitur in febribus acutis notare oportet, quando quis *moriturus sit, & quando evasurus.*

APHORISMIS suis coronidem additurus perorat *Hippocrates*, summatim perstringens & ad præcipua veluti capita revocans quæ sunt de præsagiendâ vitâ & morte (in quo positum est *Aphorismorum* omne consilium) intra paucos sequentes *Aphorismos* præcipua concludit præsagiendi argumenta: præcipua, inquam, utpotè ex præcipuis fontibus eruenda; in totâ autem corporis œconomiâ, cum principale sit *nervosum* genus, ex illo ducit, quæ sequentibus *Aphorismis* continentur præsagiendi documenta.

APHORISMUS XI.

Ὄρχις δεξιὸς ψυχρὸς καὶ σπασμώδης, θανατώδες.

Testis dexter frigidus & convulsus, lethale.

QUANTUM ad *nervosum genus* pertinent *testes*, indicat illorum cum universo corpore consensus (*b*) ostendit adhuc *judicationis significatio, quam in causo notho facit testiculi contentio*, (*c*) quæ nempe *sistaltica* potentiæ ad coctionem signum est: quibus si addas, *testiculos sursum contractos denuntiare vehementes dolores & mortis periculum*, facilè intelligere, quare *testium frigiditas & convulsio lethales sint*, illa enim *lymphæ* nervorum circuitûs languores, hæc *erethismum generis nervosi* penitissimum significat.

(a) *Vid. epid. VI. sect. V. text.* 13. (b) *Vide lib. de genitura p.* 182.
(c) *Lib. rat. p.* 382.

APHORISMUS XII.

Ὄνυχες μέλανες, καὶ οἱ δάκτυλοὶ τῶν χειρῶν καὶ ποδῶν ψυχροὶ, ξυνεσταλμένοι ἢ καθειμένοι, ἐπὶ τὸ θάνατον δηλοῦσι.

Ungues nigri, & digiti manuum & pedum frigidi, contracti vel remissi, mortem in propinquo esse *ostendunt.*

EX *hoc ipso glutinoso humore (quo nervi) ungues (a) producti sunt*; unde *nervorum exordia (b)* & *clausulæ* veteribus habebantur, recentioribusque anatomicis ipsius *tendinosi* aut *nervei* cutis texti productiones. Ungues ergò partes adhuc sunt ad *nervosum* genus pertinentes, tanti proin faciendæ ad *prognosin*, utpote cùm *lymphæ* nervorum vitiationem prodant, aut sanguinis intra *capillaria stasin* vel tarditatem. Hinc autem portendi proximè mortem auguratur *Hippocrates*, si alia consentiant prava *symptomata*; *alia* enim *signa considerare jubet, cum si facilè videatur æger ferre malum, & aliud quoddam ex salutaribus ad hæc signa subindicet, morbum ad abscessum verti spes est, itaut æger quidem superstes mansurus sit, corporis verò partes nigræ factæ casuræ (c).*

Mali augurii rationem *ex digitis pedum contractis* eruendi concipies ex his quæ de *testibus contractis* modò expositum est.

APHORISMUS XIII.

Τὰ χείλη πελιδνὰ, ἢ καὶ ἀπολελυμένα, καὶ ἐξεσταμμένα, καὶ ψυχρὰ, θανατώδεα.

Labia livida, aut etiam resoluta & inversa, & frigida, lethalia.

LABIORUM ut oris mira teneritudo, ex quorum mutatis colore & habitu, non pauca sunt penitioris corporis statûs quæ conjicias, ut pallent enim, rubent, aut livent, valetudinem aliquando æstimabis. Hîc autem *labiorum* habes offensas, quâ parte *nervea* sunt, *inversiones* nempe & *resolutiones*, quæ ex æquo ad nervorum usque capillamenta penetrasse morbi causam testificantur: sub illis enim stringitur partium *tonus*, *spasmo* quippe perversæ invertuntur fibræ, sub his laxatur, remissæ enim elongantur; Utrinque livorem produci intelliges, quandoquidem sub vitiato *solidorum tono*, tardari posse sanguinis circuitum, hincque lentescere sanguinem ipsum, *stasinque* incurrere concipitur.

APHO-

(a) *Hip. lib. de carm. p. 210.* (b) *Ter. de animâ. c. 15.*
(c) *Plin. hist. lib. XI. c. 45.*

APHORISMUS XIV.

Τὰ ὦτα ψυχρὰ, ἀλαφρέα, ξωεσταλμένα, θανατώδεά ἐίσι.

Aures frigidæ, pellucidæ, contractæ, lethales sunt.

QUÆ molles sunt partes, si tumendo *pellucidæ* fiant, vel *emphysemate* laborant, si de *membranaceo genere* participant magis, vel *œdemate* tentantur, si pulposæ notæ sunt & ad *carnium genus* pertinentes, sed utraque pallent: tertium genus lucidarum partium invenitur quæ unà rubent & inflammantur, tuncque de *erysipelate* illarum pronuntiabis; sed *pellucidarum* partium quartum genus habetur, quæ insimul pallent, frigent, tensæ & *contractæ*, quæ *spasticæ* afficiuntur, quod vitium illarum fit quæ compactura firmæ, densæ, & *cartilagineæ* rigent, cujusmodi sunt *aures quarum* tunc temporis *extremitates aversæ* videntur, tum & *cutis circà frontem dura, circumtensa ac arida*. (a) Hinc ægrotanti malè auguratur *Hippocrates*, tot enim staminum solidorum vitæ præ fervore & *spasmo* resiccatorum, lapsæque vitalis virtutis indicia, maximè si *interrogando* (b) ægrum constet nullas subesse causas quæ hæc excusent.

APHORISMUS XV.

Καὶ σκοτοδινιῶν, καὶ ἀποστρεφόμενος, ἐς ὕπνῳ καὶ καύματι πολλῷ κατεχόμενος ἀπέλπιστος.

Et tenebricosâ vertigine laborans, & lucem aversans & somno ac ardore multo detentus, desperatus.

ALIA inter signa quæ considerandæ sunt, *tenebricosa vertigo* est, unde disturbari, pessundarivè omnem *generis nervosi* œconomiam comprobatur, cum insimul *distorqueri oculos vides*, (c) *qui agitati*, jactari, nictitare, interdum *fixi* videntur; his occupatus æger *somno* ceu sopore & *ardore detentus desperatus* est.

APHO-

(a) *Hipp. prænot. art. II. v. 9.* (b) *Ibid. v. 13.*
(c) *Ibid. v. 117. 119. 124.*

APHORISMUS XVI.

Καὶ λυσσάων ἄτρεμα, ἐς ἀγνοέων, καὶ μηδὲ ἀκούων, μηδὲ ξυνιεὶς θανατώδης.

Et qui in rabiem actus furit intrepidè, & non agnoſcit, & neque audit, neque intelligit, jam *moribundus* eſt.

SCENAM claudet *rabioſa* phrenitis ſub quâ furit æger, impotens ſui & inconſcius, non ſibi, non aliis reveritus, abſque conſilio mentis, ſine ſenſuum diſcerniculo, capit nihil, agnoſcit neminem; verum ſic ſolvi cœptis corporis & animæ nexibus, titubare vitæ cauſas palàm fit, fractoque *ſolidorum & fluidorum fœdere*, *moribundum* eſſe ægrotum extinguique proximum.

APHORISMUS XVII.

Μέλλουσιν ἀποθνήσκειν ταῦτα (σαφέστερα γίνε) καὶ αἱ κοιλίαι ἐπαίρον) καὶ φυσῶν).

Morituris ſigna *hæc magis fiunt manifeſta, & ventres attolluntur, atque inflantur.*

INSTANTIORA quæ ſunt urgentis mortis ſigna, & *quæ magis fiunt, manifeſta* habes, quandò unà cum peſſimis ſignis quæ modò memorata ſunt, *ventres attolluntur atque* inflantur, lethiferi enim *ſolidorum ſpaſmi* indicia ſunt, caſſique & ultimi vitæ flabelliniûs teſtimonia.

De cætero laudabile prorsùs & utile *Hippocratis* hoc conſilium, congerendi ſcilicet, poſteriſque tradendi comperta ſibi inſtantis aut proximæ mortis ſigna, quibus eruditi medentes, de mortis appropinquatione ancipites minùs, feliciùs pronuntiarent; ſed ferit iſthac obſervandi incuria, ut quæ adnotanda ſuperſunt, proximè advenientis mortis indicia (quod ſapientiſſimi temporum noſtrorum obſervatoris (*a*) querimonia eſt) inter *deſiderata medicinæ* reſederint.

APHO-

(a) *Baglivi.*

APHORISMUS XVIII.

Ὅρος ὁ τοῦ θανάτου, ἐὰν τὸ τῆς ψυχῆς θερμὸν ἐπανέλθῃ ὑπὲρ τὸν ὀμφαλὸν, εἰς τὸν ἄνω τοῦ φρενῶν τόπον, καὶ συγκαυθῇ τὸ ὑγρὸν ἅπαν. ἐπειδὰν ὁ πνεύμων καὶ ἡ καρδίη τὴν ἰκμάδα ἀποβάλλωσι, καὶ θερμοῦ ἀθροΐντος ἐν τοῖσι θανατώδεσι τόποις, ἀποπνέει ἀθρόον τὸ πνεῦμα καὶ θερμόν, ὅτεν περ σωέσῃ τὸ ὅλον ἐς τὸ ὅλον. πάλιν τὸ μὲν ἀφὶ τῶν σαρκῶν, τὸ δὲ ἀφὶ τοῦ ἐν κεφαλῇ ἀναπνοῶν, ὅθεν τὸ ζῆν καλοῦμεν, ἀπολείπουσα ἡ ψυχὴ τὸ τοῦ σώματος σκῆνος, καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ τὸ θνητὸν εἴδωλον ἅμα καὶ χολῇ, καὶ αἵματι, καὶ φλέγματι, καὶ σαρκὶ παρέδοκεν.

Terminus verò mortis est, *si animæ calor supra umbilicum ad locum septo transverso superiorem ascenderit, & omne humidum fuerit combustum. Postquam pulmo & cor humorem amiserint, calore in mortiferis locis coacervato, caloris spiritus confertim exhalat, unde totum cum toto constitit. Rursùs partim quidem per carnes, partim verò per spiracula in capite, unde vivere dicimus, relinquens anima corporis tabernaculum, & frigidum, & mortale simulacrum, unà cum bile, & sanguine, & pituitâ, & carne, deditione tradit.*

PHISICUM hic agit *Hippocrates*, quasi admoniturus ultimò, quod philosophiæ genus sit, quod medico competit & medicinæ. Igitur termini vitæ aut mortis articuli modum expositurus, non nugamenta verborum, non opinionum commenta adhibet, verùm quas observavit in corpore morientis mutationes commemorat. Docet ergo *animæ calorem*, ceu *undulationem lymphæ* nervorum, quæ à cerebro in viris descendere solet, introverti in morientibus, & ad superas reflecti partes; in nervorum enim molliter undulantium oscillationibus ad universas corporis partes, poni memineris *calidi & humidi nativi* rationes, & utriusque vim & potentiam in *pulmonibus* & *corde*, utpote primis aut principalibus *elateris* vitæ organis. Hinc est (ut alibi habet) quod *in morientibus implentur arteriæ*, (*a*) *ex febre* enim *resiccantur sicciores* (*b*) partes, ideſt *solidorum* fibræ quæ præ carnibus sicciores sunt; ubi autem *humiditas* corporis (vel mollis partium *elasticitas*) *exhausta fuerit & resiccata*, languet arteriarum *systole*, *sanguis congelatur*, (*c*) *fluida* torpent, *perfrigerantur*, *ac sic homo moritur*. (*d*) *Postquam enim pulmo & cor humorem amiserint* (flexibili *elatere* suo destituta) *calore* (aut oscillatione nervorum) *coacervato* & remeante *ad mortifera loca*, ad pulmones nempe & cor, quæ oscillandi virtute defecta mortem inferunt, *caloris spiritus* (seu vitæ causa) *confertim exhalat* (*e*). Exhalat autem per *carnium*

(a) *Hip. lib. I. de morb. art. XXX. v. 5.* (b) *Ibid. v. 11.*
(c) *Ibid. v. 12.* (d) *Ibid. v. 15.*
(e) *De alimento art. VI. v. 13.*

nium spiracula; cessato enim partium *elatere raritatis* (a) *corporis* loco, *densitas* illius fit ad *perspirationem*, *quæ* quia *& toti* corpori *& parti cuilibet* communis est & familiaris, coercita fit omninò, necessum fit *corporis tabernaculum* exeunti *frigidum & mortale relinquere simulacrum*.

FINIS.

(a) *Ibid. v.* 8.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Numerus Arabicus operis paginas oſtendit.

Numerus romanus paginas proloquii.

A

ABDOMEN. *Ejus conditio ad purgationem.* pagina 72
Abortiones. *Illarum cauſæ ordinariæ.* 195.196.198
—— *Illarum epidemicarum ætiologiæ.* 97
Abſceſſus. *Coctionis ſupplementum eſt.* 137
—— *Unde fiunt.* 148. *Naturæ aut Medici culpa.* 144
—— *Criſimi non critici; Judicatorii non judicantes.* 148
—— *Ad orgaſmum coctionem propendentes.* ibid.
—— *Clam collecti.* 252. . . . . *in oſſibus.* 305
—— *In folliculo concluſi.* 288. . . . . *Medici opprobria.* ibid.
—— *Qui critici ſunt & quomodo . . . horum ſigna.* 149. 163. . . . *hæc quomodo æſtimanda.* 180
—— *Horum materies, lympha vel ſanguis.* 149. 163
Acidum. *Aliud quod ructum, aliud quod morbum facit.* 247
—— *Illius in primis viis ſaburrati inepta opinio.* ibid.
—— *In ſanguine.* 80
Acre. *In ſanguine.* ibid.
Acrimoniæ. *Salſedines in ſenibus.* 115
Acuti morbi. Illorum diæta. 10
Adoleſcentes. *Illorum ſanguinis natura . . . exaltatio.* 113
—— *Illorũ morbi, quomodo fiunt.* ib.
Aer. *Illius vis ad morbos.* 88. . . . . *ad æquilibrium partium corporis.* 89. *ad hujus potentiarum momentum.* 95
—— *Spiritus ille fuit qui ferebatur ſuper aquas.* 94
—— *Illius ſerenitas.* 100. *analogiæ illius ad ætates.* 102. *ad chymiam.* 105
Aer, quomodo corrigendus in cubiculis ægrorum. 94
Ægrorum *cuſtodes, medentium oculi.* 3
Ægris, *quomodo gratificari licet.* 74
Æquilibrium. *Ejus modus.* 42. 171. . . *quomodo ſervatur.* 56. 250. . . . *quomodo vitiatur.* 89. 158
Æquilibrium. Ab illo pendet ſanitas. 211
Æſtûs, *ætiologia.* 158
Ætas. Illius rationes, differentiæ. 21. 87. . . . *ad tempora, victum, regiones.* 91. . . . *ad morbos . . . . ad tabem.* 175. . . . *ad phrenitidem.* ibid.
Ætatum *morbi, horum ſeries.* 108
Alimenta. *Multùm nutrientia.* 56. . . *euchyma quando noxia.* 57. *quomodo ſtomachum afficiunt.* 74
Alterantia. *Quomodo ſanguinem immutant.* 84. 219
Alvus. *Turbationes illius, harum rationes.* 5. . . . . *in hydrope.* 234. . . . *ætiologia.* ibid.
—— *Dura in infantibus.* 109. . . . . *hujus lubricandæ ratio.* 124
—— *Illius dejectiones meracæ, quid. quando utiles.* 263.

—— *Turbationes quales sint oportet* 5. . . . . *quot sint* . . . . *quomodo juvant.* ibid.
—— *Fluxus in phthisi* . 179. . . . *hydrope.* 234. . . *in pleuritide.* 175. . . *ophthalmia.* 236. *in chronicis, undè malus.* 312
—— *Egestiones spumosæ.* 280. . . . . *lymphis sanguinem exuunt.* 236
Alvi fluxus ab atonia 235. . . . . *à solidorum vi.* 234. . . . . *in dysenteriam transiens.* 304
Amara. *Horum decocta, succi jusculæ quando nociva.* 90
Amnios. *Liquor ejus vermium in fœtu seminium.* 111
Analarca. *Hujus siccandæ modus.* 244. . *illius natura.* 304. . . . *cura.* 279
Anatomia . . . . *veterum imperfecta.* 199. . . . *illius lapsus non medicinæ veterum.* 292
—— *Novæ præstantia.* 293
Angina. *Horrenda quæ . . . febri supervenit vel anteit.* 138
—— *Diligenter curanda.* 176. . . . . *quæ mala est.* 290. . . . *quæ bona.* 249. . . . *deliteſcens.* 176
Anginosæ affectiones . . . spasmodicæ. 32
Animi *labor, causa morborum.* 81
—— *Fortitudo in morbis.* 70
Anni tempestates. *Harum rationes.* 23. 26. *mutationes.* 91. . . . *consideratio.* 92. 94. . . . *constitutionem corporis faciunt.* ibid.
—— *Stativæ, fugaces.* 102. . . . *aquiloniæ* . . . . *austrinæ* . . . . . *illarum morbi.* ibid.
Anni tempestates, *purgationi ineptæ.* 118. 121
—— *Vernalis chirurgiæ operibus non convenit.* . . . . *autumnalis lactis usui favet.* 90
Anni tempora chymiæ comparata. 105
Anodyna *resolventibus admixta.* 251
Aphonia *vid.* Sopores.
—— *a lympha nervorum.* 295
Aphorismi. *Quid Hippocrati.* 1. 31. 117. 147. *horum apologia. IX.* . . . . *Hippocratis adversaria fuere.* p. i. ij. *non sunt dissuti sermones.* 7. . . *an sibi contrarii.* 124. . . . . *rudes continent quasdam observationes.* 201. 292. ij. . . . *quædam repetita.* 256. *illorum stylus.* ij. . . . *Medicinæ traditionis codex.* ibid. *Medicinalis sapientiæ effata sunt. IX. veritatum seminia.* ij. v. . . . *indè eruendum optimum medendi studium. IX. qui spurii immeritò vocantur sect. III. sparsim. IX.* . . . . . *horum summa.* 317. *horum expositio quæ hic datur. X. spurii nulli sunt. XII. præsentis expositionis ratio. XV.*
Apoplexia. *Fortis causa.* 258. . . . . *à lympha nervorum.* 76. . . . . *qualis in illa sanguis.* 261. . . . *sub qua ætate accidit.* ibid. . . . . *illius ætiologia.* ibid. *vid.* Sopores.
—— *Criticæ . . . symptomaticæ.* 151
Apostasis. *Quid.* 50. 51. *vid.* Abscessus.
—— *Illarum ætiologia* 252
Aposyrmata, *quid.* 165
Appetitus. *Hujus tarditas in convalescentibus.* 49
—— *Sanitatis signum in convalescentibus.* 74. 267
—— *Hujus ratio.* 267
Non est mensura cibationis. 56
—— *Initio morborum, malo est.* 69. . . . . *in phthisi malus.* 70
Appetitus incongruorum. 69
Aqua. *Calidæ fotus.* 186. . . . . *in ephemera.* 286. . . *in oculorum morbis.* 289. . . . *frigidæ fotus* . . . . *hujus ratio.* 187
Aquæ, rerum natæ matrices . . . quomodo examinandæ sunt. 190
Arabes *Hippocrati addicti . . . illorum studia* . . . . *quæ invexere mala. III.*
Arenulæ, *à renibus vel à vesica?* 167
Ars *medendi longa.* *undè* 1
Arteriæ *distributio in lymphaticas & sanguinales.* 159

Articuli. *Horum textura singularis.* 189
Astringentia (*Styptica*) *periculosa.* 179. 182. 189. 276. . . . *in alvi fluxu.* 304
Athletarum *vires.* *undè* 24
Atonia *in senibus.* 86. . . . . *in tabidis* 177. 178
—— *Secretoriorum.* 227. 262. 312
Atræ bilis *notio . . . morbi.* 106
Austri, *quid & quomodo agunt.* 92
Autumnus. *Transpirationi obest . . . illius morbi acuti sunt.* 95. . . . . *quare morbidus.* 91. 106. 96
—— *Tabidis malus.* ibid.
Aures. *Illarum conditio in morbis.* 319

B

BALBI. *Horum naturæ.* 246
Balnea *frigida. Horum ætiologiæ.* 182. 185
Bethica. *Illorum ratio.* 236
Bilis, *motus sub morbis.* 156

C

CACHEXIARUM *causa.* 183. 194
Calculus. *Diagnosis . . . . causæ.* 167. . . . *ætiologia mechanica.* ibid.
Calida, *frigida remedia . . . . rationes illorum & pericula.* 181. 182. 183. 191. 197
Calor, *undè.* 140. 271. *in senibus.* 22
—— *mirabilis in sanguine . . . morbi locum designat.* 141. *nativus.* 22
—— *Viscerum, quantus.* 264. . . . *ejus vera notio.* 181. *mutationes.* 141
Calvities. *Ejus ratio.* 244
Cancri, *causæ, remedia.* 249. 250
Canicularis *fervor, quid ad purgationem.* 119
Capilli. *Defluvium.* 244
Cardiacorum *pericula.* 28. 294
Cardialgia. *Undè.* 158
Carnes. *Harum incommoda.* 26. . . . *pravitas.* 228. 230
Cathæretica. 165
Catarrhi. *In senibus.* 7. 115. . . . *horum causæ.* 105. . . . *quos juvat purgatio.* 251. . . . *in pulmones.* 284
Vide Colliquationes.
Causarii. *Qui purgandi.* 126
Causæ *morborum, à mente aut corpore.* 82
Cerealium *præstantia.* 25. . . . *lumbricis fœta sunt.* 111
Cerebrum : *ejus textura in infante.* 110
—— *Pituitæ metropolis.* 280. . . . . *ejus ex calida fœtus.* 286. *commotio à stasi rubræ partis sanguinis . . . . concussio à stasi lymphæ.* 295
Chirurgus. *Hujus opera dirigat Medicus.* 250
Chirurgiæ operationes tutiores autumno quam vere. 256
—— *Veteris linquenda sævities, indicationes tenendæ.* 263
Chlorosis. *Ejus ætiologia.* 197
Chronici *morbi.* 112
Ciborum *luxuria.* 144
Cicatrix. *Quomodo fit.* 279. *vide* vulnera.
Circulatio *sanguinis insensibilis est.* 140
—— *Cognita Hippocrati.* 188
—— *Sub somno.* 36. 159. . . . . *in senibus.* 87. . . . . *in pueris.* 112. . . . . *in adolescentibus.* 113. . . . . *sub febre.* 154. 264
—— *Æquabilis est.* 34. . . *devia facit morbos . . . . tunc quæ cura.* 155
Circulatio spirituum. 14. . . . *lymphæ.* 286
Coctio. *Ejus ratio.* 14. 16. . . . *nocte fit.* 26. . . . . *undè præcox undè tarda.* 33. . . . . *propria cuique morbo.* 175. 275
Coctionum instabilitas. 296. . . . *necessitas.* 137. . . . . *signa.* 32. 36. . . . . *vitia.* 144. 281
Coctiones secundæ à prima dissentientes.

tes. 68
Colica *ſpaſmus eſt in hyſtericis, pictoribus, &c.* 122. 230. . . . . *curatur narcoticis.* 122
Collapſio partium. quid. 66. 179. . . . . *undè fit.* 98. 99. 227. 273. 274. . . . . *à gelu.* 101. 182
Colores, *infidi.* 183. 196. 197. . . . *rubri . . . . atri partium, unde.* 188
Conceptio. *Illius ætiologia.* 215. . . . *à menſibus ſuccedit melius . . . hinc facilior graviditas.* ibid. *vide* Graviditas.
Congeſtiones *undè.* 114. 213. . . . . *in ſenibus.* 115. . . . . *humorum qui non ſuppurant.* 239
Conſiſtens *ætas. Ejus ratio.* 114
Conſuetudo. *Illius vis . . . . ætiologia.* 82. 83
Contactus *vis.* 188
Contagio. *Ejus notio . . . natura, realitas.* 51
Contraria. *Quomodo intelligenda.* 60
Convenientia *loca, quæ.* 30
Convaleſcentes. *Horum ſtatus* 74. . . *cibandi eos ratio.* 299
Convulſio. *In vulneribus.* 168
—— *A ſanguinis jactura . . . à purgatione.* 172
Convulſionis notio. ibid.
Corpus. *Totum à natura tubuli.* 57. . . *nervi.* 58. . . . . *prælum eſt.* 48. . . . *quadratum optimum.* 87
Corporis craſſitudo periculoſa. 78. *Longitudo quid.* 87. *quid brevitas portendit.* ibid.
Cortex peruvianus. *Infidus appetitum non reddit.* 49
Coxendicis *morbus. Ejus cura ſeverior.* 263
Criſes. *Obſervandæ.* 27. . . . . *illarum ratio.* 28. 233. 266. *effectus.* 50. . . . . *ſigna.* 163. *ſecuritas.* 51. 149. 163. 299. . . *certitudo.* 61. . . *incertitudo ab Hippocratis mutata medicina.* 62 *per urinas.* 163. *per quemvis humorem.* 231. *morborum ſcopi.* 52. *ſpuriæ.* 51. 266. 297. 312. *de criſibus modernorum nugæ.* 62. *contemptus. Ill.*
Criticæ *artis temeritas.* xiij. xiv.
Cruditates. *malè intellectæ.* 183. 301. . . . *in vaſis & ſanguine ſunt.* 68, *&c.*
Cucurbitæ. *Harum ætiologia.* 207

D

DEBILITANDORUM *ægrorum ſcientia.* 35
Delirium. *Illius ratio.* 40. 148. . . . . *cum riſu.* 259. . . . . *prognoſis* 260. . . . *ad mortem.* 148. *phreniticum.* 320
Deliteſcentiæ. *Quomodo fiunt.* 176. 179. 242. *effectus.* 15. 80
Dentes. *Sordibus obſiti, quid notant.* 150
Dentium natura. ibid.
Dentitio. ibid.
Depuratio *imperfecta.* 38
Deſiderata *medicinæ.* 147
Determinationes, *quid mutant.* 12. 51
Diabroſis, &c. *Quid.* 147
Diæta. *Illius rationes, abuſus, defectus.* 10. 12
Diæta *diapnoica.* 118
Diagnoſis. *De illa maximè ſollicitus Hippocrates.* 213. 257. . . . . *qualem tradere ſolet.* 270
Diaphoreſis. *Quomodo promovenda.* 93. 175. *quando convenit.* 43
Dies, *pares, impares.* 157. *horum reſpectus.* 162. . . . . *numerus.* 175
Diluentia, *ad purgationem.* 124. . . . . *horum utilitas.* 36. *ætiologia.* 175
Directiones, *&c. ut ſervandæ.* 28
Diverſiones *oſcillationum.* 196. 233
Dyſſenteria. *Recurſus ut præcavendus.* 126. . . . . *ætiologia pertinax ſalvâ vitâ quando periculoſa.* 276. . . . . *excretiones ſub illâ quid ſunt.* 227. *hæ meracæ quid.* 276
—— *In mutilatis, plethoricis, &c. quid.* 253
Dolor. *Quid.* 137. . . . . *morbum portenden-*

tendit. ibid. . . . . *non semper morbi locum.* 80
Dolores spastici. 230. *elevati, inflammatorii.* ibid. . . . *hydropem* . . . . *abscessum* . . . *gangrænam præsagiunt.* 276.283.278
Domesticorum *cura.* 2

E

EBRIETATIS *ratio.* 172.268
Epigenesis *à membranarum responsu.* 271. *quando bona est.* 290
Epilepsia. *Causa.* 174. . . . . *sanabilis.* ibid. *insanabilis.* 79.174. . . . *curanda.* 79. . . . *per plures annos.* 174
Erysipelas. *Natura.* 202.242. *pericula recursus.* ib. & 274. *pinguibus læditur.* 275
Evacuationes. *Omnes exploranda.* 20. . . *partis albæ sanguinis vel rubræ.* 164
——— *Chylosæ* . . . . *puriformes.* 147. . . . *exuperantes.* 20. . . . . *ad deliquium* . . . *harum ætiologia.* 36. . . . . *quævis ad crisin bonæ.* 231
——— *Harum qualitates.* 307. . . . . *mutationes.* 53. . . . *directiones quomodo servandæ.* 302. . . . . *dolus* . . . *& fraudes.* 35. *pericula.* 315
——— *Bonarum criterium.* 139. . . . *modi, rationes ut æstimandæ.* 145. 271
Eunuchi. *ætiologia.* 244
Euphoria. *Bonæ purgationis signum.* 37. . . . . *ad evacuationes requisita.* 145
Eutonia. *Ejus signum.* 158
Excretiones. *Ætiologia.* 53. *vide* Evacuationes.
Exercitium *corporis.* 7. 79. *quomodo juvat.* 7.8. . . . . *quâ ratione.* 81. . . . *mechanicâ.* 82. *quam utiliter.* ibid.
——— *Senectutem tardat.* 82. . . . *purgationem adjuvat.* 125
Externa. Quid sunt. 2.3
Extrema *remedia. Cautè adhibenda.* 13. . . . *ratio qua mechanicè juvant.* 13.14
Extasis. Quid. 267

F

FAMES. *Causa.* 43. 59. *spastici quid habet.* 59
Febris. *Coctionum architecta.* 52. . . . *homotona, quid* . . . . *hæc ad crisin minus pergit.* 52.251
——— *Universalis morbus est.* 163. . . . *spasmum solvit.* 64. . . . *sæpe commoda habet.* 52
Febris, leonina quæ, &c. qualis 24. . . . *delitescens sub rheumatismi forma.* 80. . . . *intermittens continua facta* . . . . *ætiologia illius.* 143. . . . . *à fervore.* 271. . . . . *à spiritu, non humore.* 150.286
——— *Ephemera, quid.* 151.286
——— *Colliquativa, maligna.* 152
——— *Intermittentis & continuæ differentia singularis.* 157
——— *Ab apostasi, bubonibus cessans, quid notat.* 15
——— *Longæ, quid sunt.* 144
Flatus. *Quid?* . . . *spasmi, in quos cadunt.* 224
Fluida. *Horum rationes ad diætam.* 12.78. . . . *ad remedia.* 13
——— *Energiæ.* 17. . . . . *pigrities.* 177
——— *Quomodo solida afficiunt.* 248
Fomites *morborum.* 141
Fœtus. *Illius forma, fulcrum in utero.* 97. . . . *cur morbidus nascitur.* ibid. . . . . *sexum ex vultu matris discernere.* 202
Frigida. 182. . . . *nervis* . . . . *pulmonibus inimica.* ib. & 188. . . . *hysterici, convulsis, podagricis, quomodo prosunt.* 185.189
Frigus. *Ejus natura.* 264
Furfures. *In urinis.* 166.280

G

GANGRÆNA *à vasorum pressu.* 262.... *ætiologiæ illius.* 264.290
Gibbus. *Sanitati obest.* 255.... *ætiologia illius.* ibid.
Glandularum *morbi à lympha.* 71. *in infantibus undè.* 110
—— *Horum rationes.* 152
—— *His adveniens febris mala.* ibid.
Gravidæ. In iis vasorum status. 116... *aeris actio.* 97
—— *Harum status in quo consistit.* 278.... *non in humorum cumulo.* 117.191
—— *Quando purgandæ.* 116.191.... *gravius laborant acuto morbo correptæ.* 192
—— *Quæ tenues Hippocrati* .... *tales abortiunt.* 203. *hæ à matrimonio arcendæ.* ibid.
—— *Vultu suo non sexum, sed sanitatem fœtûs monstrant.* 202
Gravidæ attenuatæ sine ratione, quid. 210
Graviditas. *Illius divinandæ remedium* .... *unde ortum.* 201.213..... *signa mechanica.* 207.209..... *in virginibus.* 215
—— *A mensibus cœpta facilior est.*
Grumi *sanguinis in urina.* 168
Gymnastices *regula. vide* exercitium.

H

HABITUS *corporis. Ejus textura.* 7..... *quomodo cuique servandus.* 9.... *solvendus.* 8
Harmonia, *quomodo vitiatur.* 141
Helleborus *alterando sanat*... *parvis dosibus datus.* 240. *vide* Mochlica.
Hæmorrhagiæ. *Crebræ morborum origines.* 183
—— *Harum causæ.* 178.283... *non à* rexi. 194
—— *In pueris.* 112..... *è naribus, cur sanant.* 164.283
—— *Unde manant.* 178..... *quando & cur periculosæ.* 269. *in quartana malæ.* 310
—— *Quæ suppurant, quæ non.* 239
—— *Naturæ nisibus remedio sunt.* 240
—— *Cortice Peruviano curantur.* 284
Hæmorrhoides. *De illis interrogandi ægrotantes.* 3.20.... *de his crebrò admonet Hippocrates.* 232.... *sunt naturæ nisus.* ibid. *utiles etiamsi non fluant.* 233.240.... *vesicæ.* 160.... *renibus.* 233.240. *lieni compatiuntur.* 253
—— *Pinguibus topicis læduntur.* 187
—— *Illarum insidiæ.* 68... *symptota.* 212
—— *Quâ cautione curandæ*... *hydropem cur invehunt.* 233
Hepar: *dolor ejus à flatu* .... *abscessus.* 288..... *vitiatio.* 293
Herpetes. *De iis interrogandi ægrotantes.* 3
Hippocrates. *Naturæ speculator.* 9.... *mechanismi spectator & tutor.* IX... *observator sedulus.* 266.... *naturæ contubernalis.* IV.... *ejus confessio.* 2..... *sinceritas.* 312. *physica* .... *philosophia.* 22. *stylus.* II. XIII. XIV... *interdum ad vulgi mentem.* 213. 244.... *notionum & doctrinæ uniformitas.* 198... *illi servandus honor* 308. XII. *Hippocratis apologia.* XII. XIV. *scripta cujusmodi sunt.* 104. XIV. *repetitionibus erudiunt.* 309. 310.315. *ex iis formandum medendi studium.* V. VI.... *indè recuperanda quæ perit optimè medendi via.* IV. *iniquè à criticis suggillata.* XIII.
Humectantia, *ad purgationem laudata.* 124
Humidum, *nativum, quid.* 83
Humores *sunt in sanguine* ... *in parte illius rubra, vel alba.* 30. *insensibiliter circulantur.* 260..... *cur mi-*

minùs aut tardiùs vitiantur. 177
—— *Singulares cuique morbo.* 31.... *duo sunt in singulis partibus.* 180
—— *Horum qualitates ætate.* 118. .... *mitificationes sub morbis.* 32. .... *vergentiæ.* 163.249
Humorales morbi. 55
Humoristæ. *Illorum conceptus modi.* 75. *opiniones,* 51
Hydrops. *Non à frigiditate .... sæpiùs à calore .... cur autumno.* 106. *à bile alcalisatâ .... rationes.* 293
—— *Serosus, lactescens, chylosus ... qui tutiùs punguntur. Omnium ætiologiæ.* 242. *utricularius.* ibid.
Hydrops siccus. Quid. 123
Hypochondria. *Horum conditio.* 72. 163
Hypochondriaci. vide Hysteric.
Hystericæ *affectiones. Harum causæ.* 42.63.76.196
Hystericæ cur diu causariæ revalescunt tamen. 174
—— *Deliræ factæ à converso mammas sanguine.* 200
Hysterica passio cur sub mensibus maxime fit. 210..... *cur flatibus obnoxia.* 225..... *protheiformis est.* 285..... *hujus strangulatus caffè odore curatus.* 286

I

ICTERUS. *Ab evectâ bile.* 252.... *flatuum exors est.* 224. *bonus cum humorum confluxu.* 158.... *malus cum hypochondrii duritie.* 157. 252..... *hujus prognosis.* 156..... *cura.* 252
Jejunium. *In senibus, pueris.* 5.22.
Impuritates. *Quid & ubi sunt.* 48
Inanitionis *quæ ratio habenda.* 54. *effectus.* 274. *indè convulsio.* ibid.
Indicationes, *quomodo & undè repetendæ.* 4..... *spuriæ quæ.* 144
Inedia *culpatur.* 11.54.... *usus illius in veteri medicina.* 15
Infantium *corpora. Illorum textura, mechanismus.* 108..... *morbi.* ibid. *convulsiones.* 109. *tumores vulgo orillons.* 110. *à sanguinis parte alba.* 111. *horum cura.* 113
inflammationes. *Harum causæ.* 146. 213..... *differentiæ.* 236..... *quibus diarrhœa nocet.* ibid..... *quæ glandulas afficiunt.* 152
Initia *morborum, quomodo veniunt Medico considerandæ.* 67
Insania, *quid.* 267
Intercipientia. 187. *vide* Astringentia.
Interrogandi *ægrotantes, & quomodo.* 3. *de quibuslibet evacuationibus.* 20. *de hæmorrhagiis.* 112
—— *Tabidi quomodo.* 175
Ipecacuanhæ *felicitas à narcoticorum sodalitio.* 126. *undè specifica est.* 235
Ischuriæ, *genus insolitum.* 254
Judicari, *quid est.* 29
Judicii *difficultas.* 2
Judicationes (*crises*) *fieri amant in puerorum morbis ..... impeditæ chronicos accersunt.* 112
Jusculà, *è carnibus periculosa.* 26. 298
Juventus, *hujus status naturalis.* 75... *dispositio ad morbos.* ibid. *in fluidis est.* 86. *vide* ætates.

K

KERMES *mineral. Ambiguum remedium, formidabile medicamentum.* 65

L

LABOR *corporis, vide* exercitium.
Labia, *horum textus .... ratio ad prognosin.* 318
Lac, *usus illius autumno felicior est... rationes illius usus.* 219
Lacteæ diætæ leges .... ætiologiæ mechanicæ. ibid..... *incommoda ut prævertuntur.* ibid.

La-

Lactis morbi in puerperis. 98. *rationes mechanicæ in gravidis.* 199.208
Lachrymæ, *sub acutis, chronicis morbis, quid indicant. undè fiunt.* 149. *voluntariæ .... involuntariæ* ibid. *de illis prognosis .... judicium.* 150
Laxitudo, *ejus causa.* 136. *ratio mechanica.* 81. .... *prognosis.* 136. *cura.* 81. *sensus illius.* 163. *alius à sensu doloris.* 137
Laxi *homines, in quo similes fœminis.* 227..... *morbi à laxo.* 262. *vide* stricti lex.
Lepra, *quid olim, quid hodiè.* 104
Lienosi *hæmorrhoiis obnoxii.* 253.... *de his ætiologia.* ibid.
Lienis fabrica. ibid. *morbi cur difficiliores.* 257
Lienteria, *ejus causa.* 226. 305..... *cura.* 123
Lienteria vasorum seu sanguinalis. 253
Lingua *non sicca sub febribus.* 151. *nigra, cruenta quid monstrat.* 316. *quantùm observanda.* 317
Livor, *quid.* 264
Lochia, *illorum causæ.* 98
Lumbrici, *suis sunt proprii animalibus singulis & cerealibus .... illorum seminia.* 110.111
Lympha *coctionum materies.* 235. *vitiosè circulans.* 146. *vitia.* 54.64.76. 293
Lympha *infantilium morborum causa .... illius ratio ad infantile corpus.* 110. *ad abscessus.* 149
Lympha nervorum. 44. 64. *libraminis causa in corpore est.* 171. *ejus status sub somno.* 40. ibid.
——— *Morbos & vulnera deteriora facit.* 237
Lymphaticæ *arteriæ stagnatæ.* 19. 184. 194. 232. 279..... *harum natura.* 178. 232.... *chylum eructant.* 164
Lymphaticæ venæ, nervorum sunt appendices. 267
Lypiria *febris, quid .... ejus ætiologia.* 146
Lypothymia *in plethoricis.* 9
Lypothymiæ, undè fiunt. 75. *quid portendunt.* ibid.

M

MALIGNA *febris à nervorum lymphâ.* 37
Mammæ, *illarum textura.* 199. *ad uterum responsus.* 198.199
——— *Suffusæ quid., quid mammæ enormes.* 200..... *flaccescentes, quid significant.* ibid.
Martialia, *in mulierum morbis.* 194
Mechanismus, *hujus vis industria.* 232. *ex Hippocratis libris eruitur. V. XI.*
——— *Verbum novum, idea vetus. IX. X..... hæc creationis legibus affinis. IX.*
——— *Cum chymia consentit. VIII.*
Medicina, *quid.* 18.64.65..... *occasionem scientia est .... tota in factis.* 181..... *sapientiæ agnata.* j.
——— *Illius difficultates.* 2. *modus, mensura.* 10. *incertitudo.* 57. *consilii scientia magis quàm operis.* 250
——— *A Creatore corpori donata.* 61. 151... *leges habet certas.* 61. X. *corporis indigena ut operatur.* 239.... *munus hujus.* 152. *prudentia.* 312
——— *Negativa est vel positiva.* 55. 249. 303..... *nostra Hippocraticæ dissimilis .... & quare.* 153
——— *Veterum lapsa non est, sed physica .... anatomia.* 206..... *progressus illius ratio.* j. XI..... *hujus ab Hyppocrate recessus. iij..... chymiæ culpâ. IV. veræ via.* j. *modernæ ab hac deviatio. V.*
——— *Olim ars muta, cur hodie loquitur. VII. .... &c. recens veterem explicit. V.*
Medicus *diligens sit in agendo.* 64. *interim lente festinet.* 68. 250..... *prima illius cura.... ineunte morbo.* 66. 174.... *sapientia.* 250. *ad natu-*

turæ rythmum se componat. 156. 163. . . . . *ad coctionum proprietates.* 175
Medicus chirurgiæ operum præses. 354
Medicamenta *in alimento.* 122
Melancholia, *appetitum illicò frangit.* 70
Melancholici, horum morositates. 71
——— *Morbi, cujus modi sunt.* 106. 241. 271. . . . . *cur ægrè sanescunt.* 240.241.261
——— *Qui purgandi.* 121. . . . . *uberiùs.* ibid. & 247. *non fortiùs.* 121
Melancholicarum affectionum ætiologiæ. 76.261
Membranaceæ *excretiones.* 165. *vesicæ.* . . . . *ureterum desquammationes.* ibid.
Membranæ *sympathiarum causæ.* 270. 271
Meninges, *harum vis propagines.* 182. 271
Menses, *horum errata.* 193.194. . . . *quantitas* . . . . *rationes ad æquilibrium sanitatis.* 212. . . . . *suppressio à morbo aut à conceptione.* 215
——— *Horum tempore morbi fiunt.* 211. *sub graviditate nocent.* 214. *suppressi dent morbos.* 245. *sub illorum fluxu arceatur maritus.* 215
Mente, *valere quid, quid mente frangi.* 70
Metastases, *ut fiunt.* 176.249
Mochlica, *quomodo regenda.* 170. . . . *acceleranda.* 125
Morbi, *quid sunt.* 2. . . . . *illorum notiones.* 51
——— *Suas habent leges.* 61. *suam metam & regulas.* 61.294.304. *suam historiam.* 64. *suos impetus, qui frangendi.* 13. *luctæ sunt.* 312
——— *Insidiosè mansuescunt.* 121. *undenam graves.* 71.297
——— *Acuti quos invadunt, quos chronici.* 75. . . . . *affines temperamento minùs periculosi.* 71. *hæreditarii.* 79. *ineuntes quomodo tractandi.* 313
——— *Illorum fraudes.* 79. *labores.* 163. . . . *primæ origines.* 82. *series.* 148. *periodi.* . . . *differentiæ.* 115. *suppurationes arcanæ.* 252
Morbi, à spasmo oriundi. 127. . . . *quibus anni opus sunt ad sanationem.*
——— *Ab elocatis humoribus fiunt.* 194.200.232.240.266
——— *Sæpè à parte rubrâ vitiatâ.* 195
——— *Insanabiles undè.* 230. *à nervorum lymphâ periculosiores.* 237. *minùs qui ætati congruunt.* 309
——— *Horum magnorum parva sunt initia.* 212.236
Mortis, *proximæ præsagia.* 147.320. *descriptio physica.* 321
Movere, *quid.* 66
Mulierum morbis incongrua purgatio. 118
——— *Qualis in iis partium tonus.* 287
Mutatio *formæ remediorum.* 85

N

Narcotica, *purgationis die danda.* 126. *in hystericis.* ibid. *vulneribus.* 171. . . . . *stomachicis quomodo socianda.* 126.
Natura, *quid. V.* . . . . *apud Hippocratem describitur.* ibid.
——— *Natura alienata.* 153. *dubitans* 141.163. *laborans.* 153.297. *cadens.* 140.145.259
Naturæ gressus ut explorandi. 65. *differentiæ ad ætates, regiones anni tempestates.* 89
Nervi, *horum vitia.* 41.45. *oscillationes quomodo tractandæ.* 14. *lymphæ colliquiæ.* 110. *arteriis continui sunt.* 158. *in cute ultimâ hiscunt.* 223
Nervis humores morbidi quâ mechanicâ ratione illabuntur. 148. 158. 161.162.173

Novare, *in morbis, quid.* 28.29
Nutritio, *quid.* 42. *solidorum opus est.* 45. *modus à solidis venions.* 56
Nutritio *hujus vitia.* 46. . . . *mensura. Modus.* 56. . . . . *bonæ signum.* 70. *in convalescentibus.* 46. . . . . *tempus.* 299
Nutrire, quando lædere est. 54
Nutritii succi tubulati sunt. 46. *horum tritus.* 5

O

OBESI . . . *corporis crassitudo . . . facilè vomunt.* 120. *vide* plethora.
Observationes, *quales sint oportet.* 18. 98. 99. . . . . *in iis vel minima notanda sunt.* 222
Occasio, *ejus rationes.* 2. . . . . *celeritas.* ibid.
Oculus, *ejus compositura.* 236. . . . . *morbi horum rationes . . . remedia.* 246. . . . *hæc inter vinum.* 288
Oculorum rubor à vomitu. 265. *signa sub morbis.* 319
Odores, *fœtor undè.* 177
Oeconomia *animalis, hujus turbæ morbum miscent & curam.* 153
Operationes *Chirurgicæ verè minus benè succedunt.* 90
Ophthalmia *sicca, &c.* 99. *ejus ætiologia.* 236
Opiata, *in quartana febre.* 62
Ordo *naturæ.* 29. 103
——— *Inter medendum.* 64
Orgasmus *malè expositus.* 31
——— *in peracutis.* 122. *in gravidis, quid, an purgationem indicat.* 117. 192
——— *Mechanice expositus.* 33. . . *quomodo purgationem innuit.* ibid.
Oscillationes, *partium naturales.* 22. . . . . *vitiata.* 51. *febriles.* 48. *redivivæ.* 51
——— *Mutare, sanare est.* 233
Ossium *caries.* 254. . . . *abscessus.* 305. *status explorandus sub tumoribus.* 305

P

PARACENTHESIS, *circa illam observationes.* 243
Paroxysmus: *Tempus cruditatis.* 17 *quomodo examinandus.* 27
Partes, *spermaticæ, quid.* 17. 188. 250. . . . . *vix coalescunt.* 238. 279. . . . *omnes in ovo creatæ.* 241. 238. 279
Partûs, *ratio mechanica.* 196. *omnis ad crisin bona.* 231
Pavores, *quare periculosi.* 159
Pectoris, *morbi, spastici . . . catarrhales.* 229. . . . *hos narcotica bechicis sociata curant.* ibid. *vide* pulmones.
Pepasmus, *hujus causæ.* 154. 162. *vid.* coct.
Peracutorum *labores.* 14
Peregrinationum, *utilitas.* 79
Perirrhæa *utilis.* 163
Peristole, *spastica facta in fibris ventriculi humores sursum reflecti facit.* 120
Phthisis, *ætiologia.* 120. 313. 316. *acuta, chronica.* 175. . . . *colliquatio est.* 179. . . . *lactis usus sub hoc morbo.* 219. . . . *hic macies, unde.* 219. *ad hanc proclivitas, unde.* 316. *à liene pessima.* ibid.
Pictorum, *colica ut curanda.* 122
Pili, in urina . . . ætiologia. 165
Pilulæ, *unde nocent.* 124
Pituita, *quid.* 167. 293. *malè intellecta.* 181. 183
Pleuritis, *ejus coctio per sputa.* 180. *non per alvum.* 175. . . . *ficca, quæ & unde.* ibid.
Plethora, *quid.* 49. 60. 78. 297. 293. *in gravidis.* 98. . . . . *quomodo minuenda.* 297
——— *Nutritioni obest.* 46. . . . *convulsionem facit.* 25. 274

Podagra, *non cadit in Eunuchos.* 244. .... *non in puellas* .... *in mulieres, quando.* 245 .... *cur non in pueros.* ibid.
—— *Inflammatio est.* 257 .... *calidis non curanda.* ibid.
Podagrici morbi quando moventur. 260
Potus, *non frigidus.* 182
Ptisana *laxativa, quomodo stibiata juvant.* 126
Pubertas, *pubescere vegetare est.* 112. .... *hujus ætiologia.* ibid. .... *quomodo epilepsiæ medetur.* 112
Præcautionis *remedia periculosa.* 73. .... *illorum conditiones.* 292. *huc urinarum inspectio.* 299
Præsentes, *quid.* 3
Pruritus, *unde.* 231
Puerorum *ad aerem ratio.* 103
—— *Morbi à sanguinis parte rubra.* 112
Puerperæ, *mortis illarum causa.* 98. .... *lac tormina, &c. in illis.* ib.
Pulmones, *vesicularum illorum mechanismus.* 104. .... *frigus cur sentiunt tam promptè* .... *illorum teneritudo* .... *morbi cur contumaces* .... *cur flaccescere proclives.* 108. .... *illorum textura.* 107
Pulmo, *publicum tritûs organum.* 148. .... *brevi suppurat sub morbis.* 284
Pulmones *tandem invadit morbidus humor.* ibid. .... *horum sub morbis purgatio periculosa.* 175
Purgatio, *illius modus, utilitas.* 5. .... *cautiones.* 6. 17. 34. 172. .... *necessitas.* 28. .... *præposterus usus.* 29. .... *punctum.* 31. .... *abstinentia in fine.* 29. .... *conditiones.* 37. .... *singularitates ad morbos, sexum, &c.* 38. *inutilitas.* 46. 47. *rationes ad anni tempora.* 68
Purgationis ætiologia. ibid. *utilitas in convalescentibus.* 47. *in catarrhis.* 251
—— *Pericula initio morborum.* 67. 73. 172. 277. .... *in gravidis.* 117
Purgatio, laudabilis quæ. ibid. & 118. *non æstimanda ex humorum copia.* 35. .... *optima quæ debitos pellit humores.* ibid. 37. *acceleranda vix.* 37, *non acceleranda ut plurimum.* 36. .... *illius cacozelia.* 31. .... *de illa decretum triplex.* ibid.
Purgatio, agit in solida. 125. .... *æstate non convenit, nec hyeme.* 118. *cassa quid habet mali.* 119. .... *uberior, quomodo in melancholicis.* 125. *hanc quies modò, modò labor adjuvat.* 124
Purgatio, pingues potiones. ibid.
Purgantia, incongrua, quomodo mala. 39. 40. .... *alterando curant.* 240
Pus, *febris finis est, vel effectus.* 80. *illius qualitates.* 287. 288
Pustulæ, *latæ fastigiatæ; ut differunt.* 231

Q

Quartanæ, *harum differentiæ* .... *ætiologiæ.* 62. .... *ingenium.* 310
—— *In continuam transeuntes.* 63. .... *epilepsiæ medentur.* 223
Quiescendi *tempus & scientia.* 55

R

Rachitis, *illius notio.* 111
Recentes *quomodo veteribus consentiunt. X.*
Recidivæ *causa.* 47. 51. 121
Regionum *proprietates.* 89
Remedia, *omnia cognoscere, non omnia usurpare.* 246. *initia initio morborum.* 312. 314
—— *Illorum rationes melius retegit mechanismus. IX.*
—— *Præcautionis, quando bona quando mala.* 260. .... *quo sensu*

mutanda. 85
Renes, *illorum secretio læsa.* 167.283. .... *morbi ad abscessum vergunt.* 283
Renutritio, *quid.* 9.11
Repercutientia. 182. 187. *vid.* astringentia.
Repletio *vide* plethora.
Respirationes luctuosæ. 260
Rhabarbarina, *stomacho curando propria.* 39
Rigor, *quid.* 63. ... *spasmus est* ... *ad crisim lucta.* 145. .. *naturæ roboris signum.* 157
—— *Bonus, quis.* ibid. *febrem solvit* ..... *crisis est.* 154. 157. *aliquando rapti ad nervos humoris nota.* 145
Ructus *acidus, undè.* 226

S

SANGUIS, *illius status.* 54. *immensè ductilis.* 48. *corporis libramen est.* 171
—— *Dissociatus.* 162. .... *ardens, quâ ratione,* 89. 271. *phlegmonodes.* 173. .... *effusus qui suppurat, qui non.* 228. .... *pleuriticus in quartanâ.* 62. .... *vitiatus rubrâ parte, vel albâ.* 30. 271. *lentescens in cerebro.* 272
—— *Motu progressivo, tardatus, urgetur intestino.* 258. *jacturâ æquilibrium tollit.*
Sanitas, *hujus ratio.* 73. .... *in quo consistit.* 250. *omnia habet mediocria.* ibid. *æquilibrium est.* ibid.
Sanis periculosa remedia. 73. 126
Sanæ *carnes, quid.* ibid.
Sapores *rerum, quomodo agunt.* 74
Satyriasmus, *quid Hippocrati.* 110
Scrophulæ. 151
Secretoria, *illorum cuique morbo proprietas.* 32. .... *illorum aptitudo ad purgationem.* 48. .... *errata.* 53. 146. 300. .... *in minimis non contemnenda.* 310
Secundinæ, *ad solida pertinent.* 206. .. *illarum adhæsûs mechanismus.* 151
—— *Illarum mora* .... *ptarmicis, non emmenagogis pellendæ.* 207
Senes, quomodo frigidi. 22. 75. 229. 248. *illorum morbi in solidis.* 75. 115
Senes, *alvo laxi* ... *duri* ... *qua de causa.* 86. .. *illorum ad aerem ratio.* 103. .... *morbi.* 115
Senectus, siccitas est. 21. 115. 309. *spasmus est.* 115. 230. *ætiologia.* 58. 75. 82. .... *illius morbi, quomodo præcavendi.* 59. .... *curandi.* 115
Septum, *morbi supra septum qui purgandi.* 128
Serosæ *evacuationes.* 169. .... *alvum quomodo siccant.* ibid.
Serum, *utile in sanguine* .... *illius qualitates.* 249
Siccitas *aeris quos acutos morbos portendit.* 93. 100. *viscerum.* 94. *gelascens.* 101
Siderati *qui hippocrati sunt.* 258
Sinere *in morbis, prudentia medentis.* 29
Singultus, *ab hepate.* .... 213. *hoc inflammato.* 274. .... *à purgatione nimiâ.* 286
Sinovia, *illius natura.* 262
Sitis, *causa.* 146. .... *à purgatione* ... *quid significat.* 128. .... *à solidorum vitio, anodynis levatur.* 190
Sitis absentia in febribus. 150
Solida, *illorum potentiæ.* 78. *rationes.* 79. 84. *modi in vitæ mutationibus.* 83. .... *hinc morborum causæ.* 82. .... *solidorum spasmi.* 14. .. *vires* 17. 114. *status in gravidis.* 97. *in juvenibus.* 114. *senibus.* 115. 229. *in ophthalmia.* 99. .... *directiones in infantulo.* 108. *affectiones modi.* 150. *à purgantium actione.* 125
—— *Suppressiones, delitescentias, apostases faciunt.* 84
Somnus, *illius ætiologia.* 39. 126. *natu-*

*tura.*40.*longus, unde.*23. . . *convulsorius.* 40.ibid.
Somnus conciliandus initio morborum 274. *illius effectus.* 40.41. *sitim solvit.* 190
Sopor, *aliquid habet convulsorii.* 41. 173. . . . *ætiologia illius.*ibid. *cura.* ibid.
Spasmus, *illius rationes, opera.*60. . . . *in ophthalmia.*100.*in hysticis.* 173
Spasmus febre curatur. 64
——— *Seu strictura vasorum.* 41. . . . *cur & quando minus periculosus.* 173
*Spasmodicæ affectiones, undè fiunt.*63. 77. . . . *à plenitudine.* 274
Spastica *diathesis sub morbis.* 40. 43. 48. 63. 184. 224. *evacuationum, colliquationū causa vel fomes.*2.121
Spastici labores. 14. 34. . . . *sub pulmonum morbis.*40.*in sopore.* 41. *in pluribus morbis.* 54.173
Spirandi *difficultas.* 148. *spiritus magnus rarus, densus.* 160
Spuma *oris sub morbis in hystericis, apoplecticis.* 77
Spumosæ egestiones. 280. . . . . *harum causæ.* ibid.
Sputa, *horum rationes.* 19. . . . *fætor.* 177. . . . . *purulenta lymphæ excretiones sunt.* 273
Sputum sanguinis, undè purulentum. 272
*Sputorum necessitas.*273. *propria quæ pleuritidi &c. sunt.* 235
——— *Quando minùs mala sunt.* 301
Stasis *humorum à spasmo.* 29. . . . *maximè attendenda in morbis.* 13. 16. 19. 40. 81. 98
Stases, sanguinis. 55. *lymphæ.* 76.101
——— *In viscerum plurimis.* 113. . . . *phlegmonodes cerebri.* 159.162.173
——— *Seminia sunt tumorum.* 144
Sterilitas, *ejus causa.* 205. . . . *mechanica.*217.*in viris.* ibid. *vide* conceptio, graviditas.
Sternutatio, *spasmodicis morbis metetur.*196. *explosio est.*291. *secundas pellit.* 206
Stibiata *quando & quare necessaria.* 37. . . . *hæc adjuvant ptisanæ laxativæ.* 126
Stimulantia, *horum pericula.* 155.313. *in hystericis.* 196
Stomachus *maximè considerandus sub morbis.* 49. *huic partes cæteræ respondent.* ibid. *salicto comparatur.* 59.*illius eutonia.* 49
Stragula, *quæ illorum habenda ratio.* 4
Stricti & *laxi lex.* 96.99.117.224
Squammæ *in urinis.* 168
Sudores, *sudamina, illorum rationes.* 142. . . *mechanicæ,*140.*initio morborum.*139. . . . *in acutis . . . chronicis .* 140. . . . *judicatorii . . . . levantes .* 139. . . . *particularis quid significat.* 140
——— *A somno quid indicant.*142.*horum cura.*ibid. . . . *plethoram ostendunt .* 297. *non omnem febrem levant.*311. . . . *qui transpirationi similes sunt.* ibid.*boni soli qui levant.* ibid.& 152. . . . *cruditatum, colliquationum, malignitatis signa sunt.* 311
——— *Purgationem modò, modò vomitum indicant.* 297
——— *Frigidi calidi undè fiunt.* 140. 143
Sudorifera, *illorum difficultates.*302. . . . *acidis & narcoticis adjuvantur.* 93. . . . *ætiologia illorum.* ibid. & 224
Suffitûs *ætiologia .* 191. . . . *utilitas .* 214
Suppuratio, *illius signa. . . . ætiologia.* 81.229.*prognosis . . . judicium.*180. . . . . *obscuritas .* 268. . . . *ad solida spectans & fluida.* 180. . . . *ab hac metuat Medicus in gravioribus morbis.*251. . . *erysipelati noxia.*275
——— *Hepatis.* 288
Surditas, *ejus causæ.* 155

Sym-

Sympathia *partium.* 44. 56. . . . *à nervorum consensu.* 44
Symptomata, *horum gravitas.* 18. . . *hæc quando terrere debet.* 52
—— *Quando tolerabilia.* 303. *mollia initio morborum insidiosa.* 67. . . *lethalia.* 303
—— *Cuique morbo sua sunt.* 64. 173. *horum doli.* 282. 297. *inconstantia.* 296
Systaltica *vis.* 21. 42. 280. . . . *cadens.* 143. 147. 312. *in senibus.* 115. *hujus melioris signum.* 315
Systematum *ratio, notio, tolerabilitas. VI. VII. IX. XV. XVI.*
Veris ætiologiis operam præstant. VII.
Systema mechanismi præferendum. XI. . . . . . *indicationum remediorum rationes retegit. XI. &c. systematis usus apud Hippocratem. XIV.*

T

Tabidi, *quibus purgatio convenit.* 120
Tendinum *subsultus. vide* tremores.
Terra, *lumbricorum seminio fæta.* 111
Tertiana *exquisita, quæ?* 154. *brevi solvitur.* ibid. . . . . *quomodo curanda.* ibid.
Tetanus, *quid.* 173. 184. . . . *à plethora.* 19. . . . . *febre solvitur.* 153. 182
Tonus, *partium.* 11. 45. 163. 172. . . . *illius ratio.* 174. . . . *in mulieribus.* 287. *in senibus.* 21. *adolescentibus.* ib. *in pulmonibus.* 73. *in utero.* 204
—— *Laudabilis.* 40. 48. 59. 66. *vitiatus labascens.* 140. 143. 114. 240. 259. 312. *perversus in morbis stomachi.* 305
Transmutationes *sub morbis.* 57
Transpiratio, *quanta illius habenda cura.* 7. . . . . *utilitas.* 8. 266. 273. 286. . . . . *illius natura, finis.* 29. *ratio hyeme.* 26. *in senibus.* 22. 58. 76. 103. 115.
—— *Hujus exitus nervi sunt.* 223. *somno excitatur.* 41. . . . *Hippocrati comperta.* 307. . . . *ars quæ* 56. 224. . . . . *quæ materies.* 43
—— *Transpiratio interiorum partium.* 48. 293. *exteriorum sive cutis exterioris.* 101. 188. *illius quantitas.* 273. *regula.* 56
Tremores (*spasmodici tendinum subsultus*) *delirio solvuntur.* 224
Tritus, *illius ratio.* 49. 83. 267. . . . . *potentiæ dissentientes in partibus.* 68. 280. 281. . . . *mutatio* . . . . *perversio.* 144
Tritûs organum princeps. 148. . . . *vitium in stomacho.* 305
Tubercula (*tumores*) *horum ætiologia.* 54. *pulmonum in tabidis.* 213
Tuberculi in urethra curatio qualis. 169
Tumores *laxi, crudi, duri quales.* 221
—— *Sub his ossium substratorum status observandus.* 305
Turgentia, quid. 32. *non est crudi humoris.* 31. 32. *non humorum inertia.* 33. *rara est.* ibid.
Turgentiæ genus purgationem impediens. 34
Tussis *neglecta pulmones perdit.* 284 *stomachalis in infantibus.* 108 *spasmodica in hystericis.* 151
—— *Qualis sub hydrope.* 248. 289. . . . . *sub chlorosi* . . . . . *mensibus imminentibus.* 151. . . *sub febribus ardentibus.* 150

V

Varices, *harum causa.* 275. . . . *vulnerum curam tardant.* ib.
Variolæ (*morbilli*) *nostrates, tubercula verna Hippocrati fuere.* 104. . . . *sub nephritide delitescunt.* 80
Vasa, *illorum ductus quales sunt.* 49. 78. . . . *mechanismus.* 141. *crispatura.* 147. . . . *responsus.* 222. . . . .

dia-

diametri, succorum moduli. 45.... *delectus ad venæsectionem.* 222.249. *considentiæ.* 9.11.45.66.
Vasa in infantis corpusculo qualia sunt. 108
Venæ *lymphaticæ nervorum appendices, sanguinalium arteriarum exceptoriæ.* 30
Venæ *sectio, purgationi præferenda.* 47.... *copiosior, infrequentior antiquis.* 193.... *hinc gravidis periculosa erat.* ibid.... *sub finem morborum quando juvat.* 47.... *æquilibrium tuetur.* 240
——— *Incruenta sub hydrope, quid.* 244
Ver, ratio eius, quomodo salubris. 96. *insalubris.* 90. *aeris illius energia.* 104.106.... *morbi proprii.* ibid. 260
——— *Illius cum autumno convenientia.* 106.... *natura illius.* 260.... *venæ sectio, purgatio vernales, quomodo instituendæ.* 98.... *de his æ-tiologiæ.* 255
Ventriculi *potentia.* 108.... *mollis est.* 72..... *& tritus genus.* 226
——— *Tot quot tritus officinæ.* 23
Vergentiæ *humorum, quid.* 30. 302. .... *sub orgasmo.* 161.304
Vermes, *vide* lumbrici.
Vesica, *detrita.* 166.... *inflammata.* 168. *ulcerata.* 164. *quomodo affecta in senibus.* 229.... *in urinarum morbis.* 164... *in hæmorrhoidibus.* 212. *hanc persecare cujus crimen fuit.* 237
Victus, *ex cerealibus, optimus.* 25. *quantitas.* ibid.... *paucitas.* 14.46
——— *Ratio in morbis.* 48.... *in paroxismo.* 27.... *sub vigore morbi.* 15.17.18.... *in senibus.* 21. *in pueris.* 25
——— *Humidi ratio mechanica.* 24
——— *Rationis quanta cura.* ibid.
Vigilia, *sub morbis, unde venit.* 42. ... *illius ætiologia.* 41.274
Vigor *morbi, quid.* 15. *inflammatio est.* 15
Vinum, *illius periculum in morbis.* 29. *oculorum.* 88.... *vesicæ.* 289
——— *Ataxias mulcet.* 294
Vini spiritus, exitialis. ibid.
Vinorum naturæ. 267
Vires *considerandæ.* 15.28.72
Viscerum *mollitudo.* 72
Vita *brevis, quomodo.* 1
——— *Quid.* 42.... *ejus expositio physica.* 318. *elateri comparatur.* 84.... *tota in assuetudinibus, mutationibus posita.* ibid.
Ungues, *ad nervos pertinent, ex his signa.* 316
Ulcera *dysepulotica unde.* 152. *vesicæ, quid sunt.* 164.... *hæc quomodo discernenda.* 168
——— *Nervos afficiunt.... quomodo declinantur.* 205. *sub hydrope vix sanescunt.* 230.... *in utero insanabilia.* 206
——— *Quomodo ad coctionem ducenda.* 186
Volatilia, *spirituosa remedia in alimentis sumenda sunt.* 123
Volvulus *urinalis, quid est.* 254. *intestinalis, inflammatio est.* 270
Vomitus, *consuetudo quando servanda.* 127. *singulis mensibus erat veteribus.* 119. *valetudinis causâ.* 127.... *gracilibus quomodo utilis.* ibid. *quomodo causariis.* 120
——— *Spasmus stomachi est.* 265. *ejus difficultas.* 120.... *ratio.... periculum.* 265
——— *A vulnerato cerebro, quomodo fit.* 257.... *sanguinis qualis est.* 306
Vomitoria (*emetica*) *illorum necessitas.... ratio.* 119.120.127
Urbanorum *inertia vitæ.* 41. *Urethræ tuberculum quomodo melius curatur.* 294
Urinæ, *quid.... quomodo coctionum notæ.* 300

—— *ut alvi excretiones examinandæ.* 19.162
—— *Albæ decolores, quid significant.* 161. *limpidæ.* 162. *rubræ.* ib. *cruentæ.* ib. & 285. *undè fiunt.* ib. & 166. *crassæ.* 300. . . . . *abscessum arcent.* 163. *harum omnium ætiologiæ.* 161. 162. 163. 299.
—— *Nothæ.* 161. . . . *chylosæ.* 168 *puriformes.* 163. 164. 168. . . . *furfuraceæ.* 280. *biliosæ.* 281. . . . *ætiologiæ illarum.* ibid.
—— *Illarum stillicidium; à phlegmone.* 168. *difficultates.* . . . *his quæ remedia.* . . . . . *venæ sectio.* 248. . . . *non vulneraria* . . . . *non diuretica.* 165
—— *Harum varietates.* 281. *bullæ.* 283. . . . *undè, quid significant.* . . . . . *pinguedines.* ib. *unde fiunt.* 282
—— *Quæ morbum prænuntiant.* 299. 300
Uterus, *ejus fabrica* . . . . *mechanismus* . . . . *tonus.* 216. *vide* tonus.
—— *Frigidus, adurens, quid Hippocrati.* ibid.
Vulnera, *horum ætiologiæ.* 171. . . . *cura* . . . . . *conditio* . . . . *tumentia labia* . . . . *suppuratio.* 220. 221. . . . *cicatrix, coalitio illorum, inoculatio est.* 241. 279
Vulnera & ulcera. ibid. *apud Hippocratem.* 220. &c.
—— *Cerebri undè lethalia.* 237. . . . *intestinorum quâ arte coalescunt.* ibid. & 241.
Vulneraria. 171. . . . . *vesicæ morbis inimica.* 165

Finis Indicis.